

R 1150

# THEOLOGIA

## CHRISTIANA


### DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE *de S. P. 1110*

### CONCILI

RECENSUS

### PROLOGUM



ROMÆ, MDCCLXIII.

SUPERIORUM PERMISS

ANTVENALESVE

SIM NEM OC




0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25

R 1150

B.B.

THEOLOGIA  
 CHRISTIANA  
 DOGMATICO-MORALIS  
 AUCTORE de S.<sup>o</sup> Paolo  
 CONCILII  
 TRIDENTINI  
 DECISIONUM  
 ET  
 CANONUM



ROMÆ, MDCCLXIII.  
 SUPERIORUM PERMISS

ANTVENALESVE  
 SIMONOC



# I N D E X

Librorum, dissertationum, capitum, paragraphorum, & questionum, que in hoc Tomo continentur.

## LIBRI PRIMII

### IN DECALOGUM

#### DISSERTATIO VI.

De misericordia, & eleemosyna.

##### CAPUT I.

**D**e misericordia. Quid, & quotuplex sit. Pag. 1.

- Quæst. I. Quid sit misericordia? ibid.
- Quæst. II. Quomodo sit misericordia? ibid.

##### CAPUT II.

De eleemosyna. Prores adversi hanc virtutem.

##### CAPUT III.

Propositiones Ecclesia proscribit. Et antea lig quædam nimium laxa.

##### CAPUT IV.

Quid sit eleemosyna, & cuius virtutis actus? ibid.

##### CAPUT V.

Iure naturali, & divino eleemosyna præscribitur.

##### CAPUT VI.

Gravissimum eleemosynarum debitum Patrum testimoniis evidentius manifestatur.

##### CAPUT VII.

Quæ nes quas ex Scripturis, & Patribus D. Thomas colligit, ut præceptum eleemosynæ ad fidem pertinere ostendat, paucis exhibentur.

##### CAPUT VIII.

Collatio doctrinæ quorundam recentium Theologorum cum doctrina Christi Domini, & SS. Patrum. Excusationes quibus eleemosynæ præ-

ceptum eludi solet, Patrum responsis repelluntur. 9.

##### CAPUT IX.

De tempore quo eleemosyna præceptum urget. Difficultates quæ extremam necessitatem spectant, resolvuntur. 12.

Quæst. I. Præceptum elargiendæ eleemosynæ obligat ne extrema, vel quasi extrema necessitatis tempore? 13.

Quæst. II. Tenentur ne tunc divites extreme indigenti succurrere nedum ex superfluis, verum etiam ex necessariis statui? ib.

Quæst. III. Numquid cum gravissimo status detrimento subveniendum extreme indigenti? ibid.

Quæst. IV. Impendenda ne est summa gravis, puta octo, aut decem millium aureorum, si divitiæ longe hanc pecuniæ quantitatem superent, ad liberandum innocentem a latronibus interficiendum? 14.

Quæst. V. Tenentur ne divites captivos apud Turcas, aliosque infideles redimere? ibid.

Quæst. VI. Astringuntur ne divites ex necessariis propria vitæ bonis opitulari pauperibus? ibid.

Quæst. VII. Satisfacit ne dives eleemosynæ præcepto, si extreme indigenti rem mutuo tribuat? 15.

Quæst. VIII. Quid, si pauper in extrema constitutus necessitate alibi bona habeat? Impletur ne præceptum illi mutuando? ib.

Quæst. IX. Licet ne pauperi extremam necessitatem patienti aliena surripere? ibid.

Quæst. X. Tenentur ne dives ad restitutionem, si omitat eleemosynarum pauperi impertiri in extrema necessitate? ibid.

CAPUT X.

Licetum ne divitibus estretinere superflua statui presenti, ut ad altiorem statum ascendant? Quam falsa sit hac recentiorum doctrina? Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum, vel suorum, sive ad comparandum sibi, vel suis altiorem statum. 17.

Quaest. I. Reperiuntur ne divites habentes superflua? ibid.

Quaest. II. Licita ne est statuum permutatio? ibid.

Quaest. III. Peccant divites, si omnia presenti statui superflua retineant, ut altiorem sibi comparent gradum? 18.

Quaest. IV. Quid dicendum de plurium recentiorum sequenti doctrina? Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum, vel suorum, sive ad comparandum sibi, vel suis altiorem statum. 20.

CAPUT XI.

Laxa doctrina P. Antonini Dianae, aliorumque recentiorum expenditur. 24.

CAPUT XII.

Nonnulla alia quaestiones quae eleemosyna sublevandam extremam, gravemque necessitatem spectant, resolvuntur. 25.

Quaest. I. Expectanda ne est extrema proximi necessitas, ut praecipuum eleemosynae succurrendi onus imponat? 26.

Quaest. II. Tenentur ne divites, in gravi etiam necessitate, pauperibus subvenire ex superfluis natura, quamquam ad status decentiam requirantur? ibid.

Quaest. III. Licetum ne pauperi est in gravi constituto necessitate furari ea quae sibi necessaria sunt, ut hanc vitet necessitatem? 27.

Quaest. IV. Satisfacit ne dives, si pauperi graviter indigenti succurrat mutuando? ibid.

CAPUT XIII.

De obligatione eleemosynae ratione superfluitatis. Mens D. Thomae exponitur. In communi necessitate pauperibus subveniendum est ex superfluis. Recentiorum opiniones expenduntur. 28.

Quaest. I. Tenentur ne divites sub praecipuo superflua tam natura, quam persone, seu statui, in pauperes distribuere? 29.

Quaest. II. Quid super exposita sententia tiores sentiant Casuista.

CAPUT XIV.

Nonnulla regulae pro christiana praxi.

CAPUT XV.

Nonnulla quaestiuacula de his qui facere eleemosynas possunt, et tenentur.

Quaest. I. Filiis familias licet ne eleemosynas pauperibus distribuere? 35.

Quaest. II. Quid potestatis uxores habeant in eleemosynarum distributione. 36.

Quaest. III. Possunt ne uxores ad avertendum malum sive temporale, sive spirituale, quod maritis imminet, eleemosynas facere? ibid.

Quaest. IV. Possunt ne uxores, in scio maritus succurrere extreme indigenti? ibid.

Quaest. V. Eleemosynas parvas, et consuetae quas sine expressa mariti licentia uxor facere solet, potest ne pauperibus consanguineis nempe parentibus, et fratribus donare? 36.

Quaest. VI. Licetum ne uxoris est bona sua propria in pauperes erogare? ibid.

Quaest. VII. Assignari ne potest quantitas bonorum quam ex bonis communibus mariti in pauperes distribuere uxor valeat? ibid.

Quaest. VIII. Tenentur ne Monachi, seu Regulares voto pauperum astricti eleemosynas erogare? ibid.

CAPUT XVI.

Quomodo pauperibus eroganda sit eleemosyna. 37.

Quaest. I. Danda ne eleemosyna est homini avaro indigenti, propterea quod nolit ex suis bonis sibi succurrere? ibid.

Quaest. II. Peccat ne graviter qui simulans pauperitatem, eleemosynas querit, recipitque? Tenetur ne hic ad restitutionem? ibid.

Quaest. III. Peccant ne ii qui reapse pauperes sunt, sed maiorem ementiam pauperitatem, rationesque confictas exponunt, quibus facilius commoveant dantium corda in ampliores eleemosynas? 38.

Quaest. IV. Pauperes mendacio impediunt alios pauperes ab eleemosyna consecutione, aut eleemosynis divites effecti, tenentur ne ad restitutionem, si postea mendicent? ibid.

Quaest. V. Utrum peccent qui mendicant ut filias matrimonio iungant, quas dotare nequeunt, vel ut aliis pauperibus subveniant? 39.

Quaest. VI. Cui facienda est restitutio eleemosynae ficta paupertate comparata? ibid.

Quaest.

Quaest. VII. Quomodo se gerere debet qui potestatem habet a testatore pecunias in pauperes distribuendi? 39.

CAPUT XVII.

Ex quibus bonis facienda eleemosyna est? ib.

CAPUT XVIII.

De eleemosyna Clericorum. Arctius isti quam laici pauperum egestatem suis superfluis levare tenentur. Quae ex beneficiis ecclesiasticis percipiunt bona, congrua sustentatione dempta, iustitiae, nedum caritatis, titulo in pauperes distribuere astringuntur. 40.

§. I.

Beneficarii omnes arctius quam laici gravissimo caritatis praecipuo tenentur ecclesiastica bona superflua congrua sustentationi in pauperes, pioque usus distribuere. 41.

§. II.

Auctoritates quibus evincitur, iustitia lege Beneficarios astringi superfluos ecclesiasticos redditus in pauperes, et pia opera distribuere. 42.

§. III.

Sanctorum Patrum auctoritates inducuntur. 45.

§. IV.

Doctrina S. Thomae hoc de argumento exponitur, et a vanis commentis vindicatur. 46.

§. V.

Clarius sententia nostra exponitur. Auctoritate Theologorum, et Canonistarum, rationumque momenti confirmatur distinctis conclusionibus. 52.

PRIMA CONCLUSIO.

Portio pauperum semper permixta fuit redditibus Beneficiorum. ib.

SECUNDA CONCLUSIO.

Portionis quae taxatur pro congrua Beneficiorum sustentatione, dominium est penes eodem. Prudentia in hac definienda mensura. 55.

TERTIA CONCLUSIO.

Beneficarii non sunt absolute et omnino domini ecclesiasticorum reddituum. Iustitia lege tenentur erogare superflua in pauperes, aliaque pia opera. 56.

§. VI.

Contrariae sententiae argumenta diluuntur. 60.

§. VII.

Nonnulla quaestiuacula resolvuntur. 63.

Quaest. I. Utrum Beneficariis liceat quidquam de expensis congrua sustentationi necessariis subtrahere, ut has parsimonias consanguineis, amicosve donent? ibid.

Quaest. II. An Beneficarii valeant bona quae ex Missarum, exequialium precum, concionumque eleemosynis colligunt, parentibus, et consanguineis, amicosve donare? 64.

Quaest. III. Si Beneficarius ex bonis patrimonialibus eleemosynas fecerit, poterit ne ex redditibus Ecclesiae compensatione uti? ib.

Quaest. IV. Beneficarius habens filias spurias valet ne fructibus Beneficii dotare? ibid.

Quaest. V. Potest ne Beneficarius ex redditibus Beneficii nepotes in studio alere, etiam si bonis patrimonialibus abundet, et laurea doctoratus ornare? ibid.

Quaest. VI. Quid, si nepotes, aut fratres parentes divites habeat? Poterit ne etiam tunc Beneficarius eos alere? 65.

Quaest. VII. Beneficarius humili loco natus, et ad ecclesiasticam splendidam dignitatem evectus, potest ne ad altiorem statum redditibus Ecclesiae consanguineos extollere? ib.

Quaest. VIII. Episcopus, et Beneficarius ditissimus satisfacit ne eleemosynae praecipuo, si quartam, aut dimidiam partem reddituum Ecclesiae in opera pia erogat? ibid.

Quaest. IX. Eadem ne obligatione tenentur Pensionarii ac Beneficarii in reddituum Ecclesiae distributione? 66.

Quaest. X. Obtinet ne consuetudo, vi cuius Beneficarii valeant ex redditibus sacris ad causas profanas testari? ib.

§. VIII.

Confectorium. 67.

## DISSERTATIO VII.

De correctione fraterna.

## CAPUT I.

Quid & quotuplex sit fraterna correctio, & utrum de eadem præceptum sit: & quæ illius obligatio, atque conditiones sint. 68.

Quæst. I. Quæ notitia necessaria est, ut præceptum urgeat? 69.

Qu. II. Quænam peccata sunt fraternæ correctionis materia? ib.

Quæst. III. Superiores tenentur ne sub gravi culpa subditorum venialia crimina corrigere? ibid.

Quæst. IV. Peccatum præteritum est ne correctionis fraternæ materia? 70.

Quæst. V. Peccata ex ignorantia commissa sunt ne vi præcepti corrigenda? 71.

## CAPUT II.

De personis quibus onus incumbit correctionis faciendæ, & quæ corrigendæ sunt. ibid.

Quæst. I. Utrum tam iusti quam peccatores corrigere debeant proximum delinquentem? ibid.

Quæst. II. Utrum Prælati ecclesiastici peccato polluti peccent subditos corripientes peccatores? 73.

Quæst. III. Utrum homines privati teneantur propria emendare vitia, ut digne alios corrigere valeant in extrema necessitate? ib.

Quæst. IV. Utrum Concionatores verbum Dei e suggestu annuntiantes, & vitia increpantes gravi culpa infecti, mortaliter peccent? ibid.

Quæst. V. Debent ne Concionatores publica peccata corrigere, tametsi nullum fructum sperent? 74.

Quæst. VI. Tenentur ne subditi Prælatos suos corrigere? ib.

Quæst. VII. Qui sint superiores qui ad correctionem speciali iure tenentur? 75.

Quæst. VIII. Hæc maior superiorum obligatio efficit ne ut in mores subditorum inquirere debeant? ibid.

## CAPUT III.

De tribus conditionibus necessariis, ut correctionis præceptum obliget. Sunt autem spes profectus, temporis opportunitas, & commoditas. 76.

Quæst. I. Certam ne, an probabilem concipere spem profectus debet ille qui alterum corrigere studet? ib.

Quæst. II. Peccant ne frequenter homines ob fraternæ correctionis omissionem? ib.

Quæst. III. Quando prima correctio non obtinet effectum, repetenda ne secunda, & tertia? 77.

Quæst. IV. Si dubius sis de correctionis eventu, astringeris ne illam omittere? ibid.

Quæst. V. Differri ne licite correctio potest, ut opportuniore tempore peragatur? 78.

Quæst. VI. Urget ne præceptum correctionis, cum prævidet ab alio faciendam? ibid.

Quæst. VII. Quandonam omisso fraternæ correctionis mortalis est, aut venialis? ibid.

## CAPUT IV.

De ordine quem in correctione fraterna servandum Christus Dominus præscripsit. 79.

Quæst. I. An hic ordo sit a Christo Domino sub præcepto, vel sub consilio præscriptus? ibid.

Quæst. II. Utrum necesse sit semper observari ordinem hunc? ib.

Quæst. III. Obligat ne ordinis servandi præceptum, cum existimatur securius Prælatum correcturum fore delinquentem? 80.

Quæst. IV. Quomodo explicanda est illa præcepti evangelici propositio: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, &c. 82.

Quæst. V. Licetum ne est renuntiare iuri fraternæ correctionis, & an re ipsa aliqui renuntiaverint? 83.

## CAPUT V.

Quænam sunt peccata quæ, neglecto fraternæ correctionis ordine, ad Prælatum referri nequeunt? 84.

Qu. I. Peccatum perpetratum coram duobus, potest ne immediate ad superiorem deferri, neglecta secreta admonitione? ib.

Quæst. II. Peccata publica sunt ne referenda ad superiorem, omisso correctione secreta? 85.

Qu. III. Hæresis, proditio, & quæ genus similia crimina sunt ne semper illicito iudici denuntianda, etiamsi occulta sint? ib.

Quæst. IV. Crimina quæ in damnum tertii vergunt, sunt ne statim denuntianda? 86.

Quæst. V. Peccata carnalia quæ a Religiosis committi queunt, sunt ne ita bono communi infesta, ut, reiecta secreta correctione, debeant Prælato deferri? 87.

DIS-

## DISSERTATIO VIII.

De vitiis caritati contrariis.

## CAPUT I.

Quid sit odium Dei, & proximi? 88.

Quæst. I. Odia in proximum distinguuntur ne specie ex malorum diversitate? ib.

Qu. II. Licetum ne est desiderare interdum alteri malum ob finem boni spiritualis, aut ob bonum commune? 89.

Quæst. III. Est ne peccatum mortale proximo maledicere? ib.

## CAPUT II.

De acedia, invidia, discordia, contentione, & schismate. 90.

Quæst. I. Quid sit acedia? ibid.

Quæst. II. Quid sit invidia? ibid.

Quæst. III. Quid sit discordia? 91.

Quæst. IV. Quid sit contentio? ibid.

Quæst. V. Quid sit schisma? ibid.

## CAPUT III.

De bello, & de illis qui illud indicare iure valent. A quibus peragendum, quibus conditionibus, & quo tempore. ibid.

Quæst. I. Quid sit bellum, & quotuplex? ib.

Quæst. II. Utrum licitum sit bellum tam defensionum, quam offensivum? ibid.

Qu. III. Quæ sint conditiones ad belli iustitiam necessaria? 92.

Qu. IV. Qui sunt Principes qui bellum indicare iure valent? ib.

Quæst. V. Quæ sit iusta bellandi causa? ib.

Qu. VI. Utrum Princeps habens opinionem probabilem quod sibi aliquod regnum, vel civitas debeatur, possit alteri Principi regnum illud possidenti bellum indicare? ibid.

Quæst. VII. Quæ notitia de belli iustitia necessaria militibus est, ut parere Regi præcipienti bellum valeant? 93.

Qu. VIII. Utrum Rex catholicus in bello iusto contra alios Catholicos vocare in auxilium possit hereticos, aut gentiles? ib.

Quæst. IX. Utrum Clericis, & Religiosis liceat in bello iusto propria manu pugnare? 95.

Quæst. X. Licet ne Religiosis necessitate urgente bellare? ib.

Qu. XI. Licetum ne est Christianis captivis pro infidelibus pugnare adversus Christianos, timore mortis percussi? ibid.

Quæst. XII. Quinam modis servandus in bello peragendo? 96.

Qu. XIII. Quænam sunt peccata quæ perpetrari in bello solent? 97.

Quæst. XIV. Licetum ne est in bello iusto innocentes fontibus permixtos occidere? ibid.

Quæst. XV. Licite ne sunt reprisallicæ? ibid.

Quæst. XVI. Liceat ne die festo bellare? ibid.

## CAPUT IV.

De rixa, seditione, & duello. 98.

Quæst. I. Utrum duellum sit licitum? 99.

Qu. II. Occurrere ne causæ possunt quæ duellum aliquando licitum efficiant? ibid.

Quæst. III. Licetum ne duellum est ad evitandum periculum vite, honoris, aut fortunarum? ibid.

Quæst. IV. Quæ pœna constituta sunt in provocantes, & acceptantes duellum? ib.

Quæst. V. Qui valeant ab excommunicatione ob duellum contracta absolvere? 101.

## DISSERTATIO IX.

De scandalo.

## CAPUT I.

Recensentur propositiones proscriptæ, & laxæ. 102.

## CAPUT II.

Quid, & quotuplex sit scandalum. 104.

## CAPUT III.

De scandalo activo speciali. 105.

## CAPUT IV.

Unde colligendum est, scandalum esse peccatum mortale, vel veniale? Eiusdem gravitas, & vitandi necessitas. 106.

## CAPUT V.

Reticenda ne veritas est vite, doctrine, & iustitiæ, ut scandalum vitetur? 108.

Quæst. I. Veritas est ne interdum dimittenda propter scandalum passivum vitandum? 109.

Quæst. II. Opera spiritualia quæ ad salutem non sunt necessaria, omitti ne licite possunt a scandalum vitandum? ib.

Quæst. III. Est ne veritas doctrine reticenda, ne scandalum oriatur? 110.

Quæst. IV. Dimittenda ne est iustitiæ veritas propter scandalum vitandum? 111.

Quæst. V. Sunt ne temporalia propter scandalum dimittenda? 112.

## CAPUT VI.

Opera spiritualia, vel temporalia differenda, aut occultanda interdum sunt, ut pusillorum, secus Phariseorum scandalum evitetur. 113.

## CAPUT VII.

Plures de scandalo quasiuncule. Naamani Syri idololatria discutitur. ibid.

Qu. I. Quando nam actiones quæ adiphore, seu indifferentes dicuntur, prætermittendæ sunt, ut scandalum declinetur? 114.

Quæst. II. Abstinentum ne est ab iis quæ speciem mali præferunt? Utrum Naaman Syrus idololatriæ maculam contraxerit in obsequio præstito Regi Syriæ? ibid.

## CAPUT VIII.

Alia de scandalo quasiuncula. 117.

Quæst. I. Licitum ne est idola, & thus Ethnicis vendere, fana, & synagogas construere, & cetera eiusmodi, quorum malum prævidetur usum? ibid.

Quæst. II. Graviter ne peccant captivi Christiani, qui in Turcarum trivemibus remigant adversus Christianos? 120.

Quæst. III. Potest ne quispiam absque flagitio ad feneratorem accedere, ut pecuniam ab eodem mutuo accipiat, quam certe scit sine fenore non crediturum? 121.

Quæst. IV. Peccat ne mortaliter qui, aut nulla cogente necessitate, aut ab homine non parato ad fenus, mutuas pecunias petit cum usura restituendas? 123.

Quæst. V. Licitum ne est suadere illi qui peccaturus est, ut, omissio graviore flagitio, perpetret minus? ibid.

Quæst. VI. Licitum ne sit suadere ei qui paratus est surripere pecunias a paupere, ut surripiat a divite, non designando divitis personam? 125.

Q. VII. Licitum ne sit mercatori a feneratori pecunias petere ad mercaturam exercendam? 126.

Quæst. VIII. Quæ causæ requiratur, ut quis deponere licite possit apud feneratori pecunias, dum prævidetur, eas ab illo mutuatio- ne fenebri distrahendas; & vinum apud tabernarium, qui creditur venditurus illud fore mixtum aqua? ib.

Quæst. IX. Utrum liceat invitare ad coenam eum qui solvere ieiunium paratus est? 127.

## CAPUT IX.

De peccatis scandali, qui adversus castitatem tantum a mulieribus, quam a viris perpetrantur. ibid.

## §. I.

De licito mulierum ornatu. 128.

## §. II.

Immoderatum mulierum ornamentum Scriptura sacra improbat, prohibetque. 129.

## §. III.

Sancti Patres communi assensu execrantur superfluum feminarum ornatum. 130.

## §. IV.

Peccant mulieres quæ fucis vultum adulterant: ut pulchritudinem, quæ sunt destituta, ementiantur, aut ut habitam augeant. 131.

## §. V.

Juniorum Casuistarum placita hoc de argumento. 134.

## §. VI.

Quando nam mulierum ornatus superfluus censendus mortalis sit, aut venialis? 135.

## §. VII.

Mulieres superfluo ornatu cultæ indicia produunt impudicitie. 136.

## §. VIII.

Immodicus mulierum ornatus sæpe letalis est ob superfluum prodigamque divitiarum assumptionem. Hinc non familie modo, verum etiam civitates, & regna ad egestatem rediguntur. 139.

## §. IX.

Immodicus mulierum ornatus, non solum ad venerem alliciens, crimen letale est. 141.

## §. X.

Patrum, & Theologorum auctoritate ornatus muliebris nimium superfluus letali culpa minime caret. 143.

## §. XI.

Eadem sententia rationibus evincitur. 149.

## §. XII.

Peccant ne letaliter mulieres quæ nudato pectore incedunt? 153.

CA.

## CAPUT X.

De feminis quæ se conspiciendas offerunt viris, a quibus turpiter adamari prævident. Nonnulla præmittuntur de scandalo Pharisæorum, & pusillorum. 157.

Quæst. I. Peccat ne mulier quæ, si in publicum exeat, a determinato viro, puta Paulo, prævidet se turpiter amandam? 158.

Quæst. II. Mulier per se ad Ecclesiam, vel ad aliud peragendum negotium, prævidet se libidine se amandam: tenetur ne omittere Missionem, & negotium, ut scandalum vitet? 159.

Quæst. III. Peccat ne mulier in publicum sine ulla rationabili causa prodiens, si prævideat se impudice amandam ab aliquibus indefinite, & vage acceptis, dummodo ipsa nullam pravam intentionem habeat? 161.

Quæst. IV. Peccant ne mulieres quæ pulchritudinem sibi inservire permittunt, & illorum familiarum colloquio fruuntur, dum ex pluribus indicis probabiliter colligunt veneris amore erga se deflagrare? 162.

## CAPUT XI.

Utrum expediat permittere meretrices, licitumque sit domos eisdem locare. ib.

Quæst. I. Licita ne est scortorum publica emissio? ib.

Quæst. II. Licitum ne est domos, & vestes locare meretricibus, & usurariis? 166.

## CAPUT XII.

De aliis actionibus quæ, licet a circumstantiis præcisè, indifferentes, & honeste sæpe sint, spectatis tamen circumstantiis, aliorum peccatis cooperantur. 168.

Quæst. I. Licitum ne est nautis, & aurigis deferre herum in domum concubinae, aut contra concubinam in domum veri? 171.

Quæst. II. An, si amicus meus velit ut ego feram munuscula, & similia, turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mittit ad suam concubinam, possim ego sine peccato deferre? ib.

Quæst. III. Qui ex officio lecticas humeris portant, vel sedas agunt, possunt ne licite pretio conducti puellam ad lascivum adolescentem adducere? ib.

Quæst. IV. Peccat ne qui alteri occasionem peccandi præbet, puta uxori, ut in adulterio perpetrato deprehendi possit? 172.

Quæst. V. Licitum ne est deferre litteras amatorias turpia continentis concubinae, vel eas scribere, aut librum provocantem ad duellum? ib.

Quæst. VI. Licitum ne meretricibus inservire, eas comitari ad domum amasio, aut ianuam amasio adeunti scortum aperire, lectum sternere, idque genus obsequia præstare? ib.

Quæst. VII. Quid de famulis concubinariorum dicendum? 174.

Quæst. VIII. Licitum ne est commodare alicui cubiculum vel fornecandam? 175.

Quæst. IX. Licitum ne est donare aliquid iudicis concubinae, ut intercedat apud illum? ib.

Quæst. X. Utrum pingens concubinam amasio, vel obscena grave perpetret peccatum scandali? ib.

Quæst. XI. Quid agendum illis qui imagines obscenas palam in domibus expositas habent? 176.

Quæst. XII. Licite ne possunt tabernarii vinum vendere iis quos inebriandos prævident? 177.

Quæst. XIII. Utrum licitum sit petere solutionem malefici a malefico, vel saga? 178.

## CAPUT XIII.

Quædam regulæ pro praxi a Confessariis servandæ. Nonnulla de moderna mulierum, viro- rumque familiari conversatione. ib.

## LIBER SECUNDUS.

## IN DECALOGUM.

## DISSERTATIO I.

## De Religione.

PRELOQUIUM. Pag. 183.

## CAPUT I.

Errores, propositiones damnatæ, & laxæ in religionis materia recensentur. 184.

## CAPUT II.

Natura, & actus religionis, quam præscribit primum Decalogi præceptum. 186.

## CAPUT III.

De devotione, eiusque effectibus, & causis. 187.

## CAPUT IV.

De oratione, eiusque natura, & divisione. 188.

CA.

CAPUT V. De orationis necessitate. 190.

CAPUT VI. De conditionibus quæ comitari orationem debent. 196.

CAPUT VII. Utrum solus Deus orandus sit? 197.

CAPUT VIII. De Sanctorum invocatione. Utrum vi præcepti teneamur invocare Sanctos? 199.

§. UNICUS. Nonnullæ animadversiones in hanc questionem. 207.

CAPUT IX. Pro omnibus viatoribus orandum, etiam pro animabus in purgatorio detentis, quibus prodesse vivorum suffragia ostenditur. 212.

Quæst. I. Profunt ne infallibiliter eiusmodi suffragia quæ animabus purgatorii applicantur? 214.

Q. II. Suffragia pro pluribus oblata aque ne omnibus profunt? ib.

Quæst. III. Quot annorum spatio detineantur in purgatorio animæ illæ pro quibus nulla offeruntur suffragia. 215.

CAPUT X. Qui orare debeant, & quorum orationes certo exaudiantur. 216.

Q. I. Utrum peccatores orare debeant, & exaudiantur a Deo? ib.

Quæst. II. Sunt ne invocandæ animæ in purgatorio existentes, ut pro nobis orent? 217.

DISSERTATIO II. De horis canonicis.

CAPUT I. Propositiones damnatæ, & laxæ recensentur. 219.

CAPUT II. De horarum canonicarum, seu officii divini nomine, numero, & definitione. 220.

Quæst. I. Quot sint horæ canonicæ? ib.

Q. II. Cur septenario numero horæ canonicæ con-

cludantur? ib.

Quæst. III. Quanam sit horarum canonicarum, seu officii divini definitio? 221.

Q. IV. Quando primum canonicæ horæ institutæ fuerunt? ib.

Quæst. V. Quanam sunt partes maiores, minoresque officii divini: & quo tempore olim celebratæ fuerunt? 222.

Quæst. VI. Est ne peccatum separare Matutinum a Laudibus? ib.

CAPUT III. De pervetusta consuetudine recitandi in choro canonicas horas. 223.

CAPUT IV. Sit ne laude dignum divinum officium cantu in Ecclesia persolvere? Quæ ratio cantus adhibenda? 224.

CAPUT V. De obligatione recitandi horas canonicas in choro, & de tempore, ordine, & loco quibus celebrari debent. 227.

Quæst. I. Tenentur ne omnes Ecclesiæ cathedrales, collegiatæ, parochiales, & regulares sub gravi culpa recitare canonicas horas in choro? ib.

Quæst. II. Regularium Ecclesiæ, quæ chorum frequentant, tenentur ne sub letali culpa horas in choro recitare? ib.

Quæst. III. Præceptum cui subest Conventus, seu Ecclesia recitandi horas canonicas in choro, afficit ne singulos Religiosos eisdem communitatis? 228.

Quæst. IV. Prælati Regulares possunt ne libere cum subditis dispensare, ne chorum frequentant? ib.

Quæst. V. Quot Religiosi requiruntur, ut præceptum recitandi horas canonicas in choro impleatur? 229.

Quæst. VI. Valent ne soli Novitii præceptum celebrandi officium in choro adimplere? ib.

Q. VII. Quo tempore recitandæ sunt horæ canonicæ in choro? ib.

Quæst. VIII. Est ne obligatio gravis recitandi horas canonicas statim definitisque horis? 231.

Quæst. IX. Est ne gravis culpa ordinem recitandi horas in choro invertere? ib.

Quæst. X. Quis sit locus recitandæ horas in publico? 232.

Quæst. XI. Religiosi ad chorum iam incceptum accedentes tenentur ne, absoluto cho-

ro, supplere partem officii recitati, aut quam ipsi accederent? ib.

Quæst. XII. Peccaret ne letaliter Prælati qui non curaret, seu permetteret aliquam officii partem non recitari in choro? ib.

Quæst. XIII. Tenetur ne chorus submissa voce recitare versus qui organo, aut alio instrumento pulsantur? ib.

Quæst. XIV. Sit ne peccatum mortale omittere in choro officium defunctorum, & officium parvum B. Virginis? 233.

Quæst. XV. Licetum ne est recitare officium, seu Matutinum Defunctorum in die festo omnium Sanctorum post vespas? ib.

Quæst. XVI. Litanie, quæ die S. Marci, & tribus alijs ante Ascensionem celebrantur, debent ne recitari ab iis qui extra chorum officium persolvunt? ib.

Q. XVII. Satisfaciunt ne sue obligationi qui in choro recitantes partem suam, non attendunt ad partem quæ ab altero choro recitatur? 234.

Quæst. XVIII. Tenentur ne recitantes ex una chori parte ita clare, & distincte recitare suos versiculos, ut ab altera chori parte audiri possint? ib.

CAPUT VI. De forma, seu ritu Breviarii, quem servare tenentur ii qui divino persolvendo officio adstricti sunt. 235.

Quæst. I. Peccarent ne letaliter qui alium ritum ab eo qui in propriis Ecclesiis receptus est, & diu obtinet, in persolvendis horis canonicis sequerentur? ib.

Quæst. II. Carens Breviario Romano, & præmanibus habens Dominicanum, Ambrosianum, Benedictinum, aut aliud, tenetur ne illud recitare? ib.

Quæst. III. Religiones, seu Ecclesiæ quæ proprium Breviarium habent, possunt ne acceptare Romanum; aut, si hoc acceptent, tenentur ne uti proprio, excluso quocumque alio? ib.

Quæst. IV. An Religiosi proprium Breviarium habentes, dum Romæ degunt, possint Romano uti Breviario? 236.

Quæst. V. Religiosus Benedictinus transiens per Monasteria Dominicanorum, aut contra, potest ne uti Breviario illius Cœnobii per quod transit, si ibi aliquot dies commoretur? ib.

Quæst. VI. Religiosus factus Episcopus tenetur ne, relicto suæ Religionis Breviario, suæ diocesis Breviarium recitare? ib.

Quæst. VII. Qui habet duo beneficia in diversis Ecclesiis, quæ diversis utuntur Breviariis, debet ne recitare divinas laudes iuxta ritum illius Ecclesiæ in qua residet? 237.

Quæst. VIII. Scholares qui commorantur in aliqua universitate studiorum gratia, debent illud, aut propria diocesis Breviarium recitare? ib.

Q. IX. Potest ne quis recitare officium ante tempus, aut solito brevius cum socio habente privilegium hæc agendi? ib.

Quæst. X. Clericus qui nulli Ecclesiæ addictus est, sed ratione patrimonii sacris ordinibus initiatus est, valet ne ad libitum eligere Breviarium diversum a Romano? ib.

Quæst. XI. Valet ne Episcopus cum Clericis sacris ordinibus initiatis dispensare, ut, omisso Breviario proprio, iuxta aliud recitent? 238.

Quæst. XII. Peccatum ne est quidpiam addere, aut demere ex Breviario Romano? ib.

Quæst. XIII. Qui officium divinum recitaret cum additione alicuius notabilis partis, satisfaceret ne præcepto? ib.

Quæst. XIV. Peccaret ne qui horas canonicas in Ecclesia latina in choro lingua græca, hebræa, aut vernacula persolveret? ib.

CAPUT VII. De illis qui privatim canonicas recitare horas tenentur. ib.

§. I. De obligatione Clericorum ad canonicas horas recitandas. 239.

Quæst. I. Clerici in minoribus constituti ordinibus tenentur ne horas canonicas, vel aliquam precem recitare? ib.

Quæst. II. Potest ne Episcopus Clericos præfatos astringere ut singulis diebus aliquas preces recitent? ib.

Quæst. III. Omnes Clerici sacris initiati tenentur ne solvere pensum divini officii? ib.

Quæst. IV. Qui per metum iniuste incussum suscipit sacros ordines, tenetur ne canonicas horas recitare? ib.

Quæst. V. Subdiaconus qui beneficium suscipit, qui professionem emittit, tenetur ne eo die quo initiatur sacris, professionem emittit, vel beneficium accipit, recitare totum eius-

eiusdem diei officium, aut officii partem duntaxat? 240.  
 Quæst. VI. Potest ne Episcopus cum Clericis dispensare, ne officium recitent? ib.

Quæst. VII. Tenetur ne qui sacros ordines est suscepturus, aut accepturus beneficium, ante ordinationem, aut beneficii susceptionem paratum habere Breviarium, modumque recitandi scire? ib.

## §. II.

De obligatione Regularium, & Monialium recitandi post emissam professionem horas canonicas extra chorum. ib.

Quæst. I. Religiosi professi, nondum in sacris constituti, & Moniales professæ tenentur ne sub gravi culpa recitare horas privatim extra chorum? 241.

Quæst. II. Religiosus chorista, nondum in sacris constitutus, aut Monialis professæ peccaret ne mortaliter, si semel aut iterum omitteret extra chorum horas canonicas? 243.

Quæst. III. Religiosus chorista nondum sacris initiatus, si dispensetur a Pontifice, ut extra claustra vitam degat, tenetur ne recitare horas canonicas? ib.

Quæst. IV. Si presatus Religiosus dispensetur a Papa ut uxorem ducat, evadit ne liber ab onere recitandi horas canonicas? ib.

Quæst. V. Religiosus fugitivus nondum in sacris constitutus tenetur ne horas canonicas recitare? ib.

Quæst. VI. Religiosus chorista iudicis sententia e Monasterio eiectus, obnoxius ne est oneri recitandi horas canonicas? ib.

Quæst. VII. Religiosi ad irremedias damnati, tenentur ne ad horas canonicas recitandas? ib.

Quæst. VIII. Privilegium concessum Benedictinis, & Iesuitis, ut eorum professi non teneantur recitare horas canonicas, donec sint sacris initiati, est ne aliis Ordinibus communicabile? ib.

## §. III.

De obligatione recitandi horas canonicas, cui subiecti sunt illi qui beneficium ecclesiasticum possident. ibid.

Quæst. I. Qui habet beneficium, sive simplex, sive curatum, tenetur ne sub gravi culpa horas canonicas recitare? ib.

Quæst. II. Qui metu coactus suscipit benefi-

cium, subiacet ne horarum canonicarum oneri? 244.

Quæst. III. Qui habet beneficium redactum in commendam, donec alicui detur, aut manuale, seu regulare, tenetur ne horas canonicas recitare? ib.

Quæst. IV. Ille cui confertur beneficium, ut pulset organa, aut artem, ut grammaticam, aliamve doceat, tenetur ne ad horas canonicas recitandas? ib.

Quæst. V. Qui percipit prestimonia, tenetur ne ad horas canonicas? ib.

Q. VI. Habens capellaniam tenetur ne ad horas canonicas? ib.

Quæst. VII. Quid, si capellania ex sua institutione non sit collativa, conferatur autem postea per Episcopum, aut Pontificem, incumbit ne tunc habenti illam horarum recitatio? ib.

Quæst. VIII. Qui ante annum quartum decimum obtinet capellaniam collativam ex dispensatione Pontificis, tenetur ne per se ipsum recitare canonicas horas? ib.

Q. IX. Tenentur ne Pensionarii ad recitationem divini officii? ib.

Quæst. X. Qui titulo clericali obtinuit pensionem, tenetur ne recitare Officium Marianum, si postea matrimonium contrahat? 245.

Q. XI. Clericus Beneficiarius, si obtineat pensionem, tenentur præter horas canonicas recitare Officium parvum B. Virginis? ib.

Quæst. XII. Episcopi, & Cardinales debent ne horas canonicas recitare? ib.

Quæst. XIII. Coadiutores beneficiariorum tenentur ne ad horas canonicas? ibid.

Quæst. XIV. Qui habet beneficium sine fructibus, tenetur ne ad horas canonicas? 246.

Qu. XV. Beneficiarius qui ob excommunicationem non percipit fructus sui beneficii, tenetur ne horas canonicas recitare? ib.

Quæst. XVI. Qui beneficium perquam exile acceperunt, tenentur ne precum canonicarum lege? 247.

Quæst. XVII. Beneficiarius qui capta beneficii possessione impeditur pro aliquo tempore a fructuum perceptione, tenetur ne precum canonicarum lege? ib.

Quæst. XVIII. Qui per vim, & fraudem impeditur a fructuum perceptione, tenetur ne lege divini Officii? ibid.

Quæst. XIX. Paulus, post collatum sibi beneficium, ne in eius possessionem pedem ponat, lite sibi intentata a Ioanne impeditur,

tene-

tenetur ne precum canonicarum lege? 248.

Quæst. XX. Beneficiarius habens possessionem beneficii, sed non tranquillam, tenetur ne horarum canonicarum lege? ib.

Quæst. XXI. Qui dubius est de tenuitate beneficii, tenetur ne reddere precum canonicarum pensum? ib.

Quæst. XXII. Qui habet plura beneficia quorum quodlibet ita venie est, ut non sufficiat, sufficienti tamen ad honestam sustentationem omnia simul, tenetur ne lege canonicarum precum? 249.

Quæst. XXIII. Qui habet plura pingua beneficia, tenetur ne plura divina officia recitare? ib.

Quæst. XXIV. Beneficiarius qui simul est sacerdos, obligatus recitare officium divinum ob plura quæ retinet beneficia, si illud omittat, perperat ne plura peccata? ib.

## CAPUT VIII.

De restitutione Beneficiariorum ob omissionem precum canonicarum. ibid.

Quæst. I. Peccat ne mortaliter cum onere restitutionis qui primis sex mensibus divinum officium omittit? 250.

Quæst. II. Quid dicendum de eo qui per sex primos menses officium integre recitavit, his autem elapsis incipit omittere? 251.

Quæst. III. Beneficiarius qui elapsis sex mensibus omittit recitare preces canonicas absque gravi culpa, tenetur ne fructus restituere? ib.

Quæst. IV. Beneficiarius omittens officium divinum uno, aut altero die, vel per octo, aut decem dies, tenetur ne restituere fructus respondententes tali tempore? 252.

Quæst. V. Liber ne ab onere restitutionis est Beneficiarius qui unam integram, aut notabilem horæ partem omittit? ib.

Quæst. VI. Quid, si Beneficiarius partem levem in singulis horis omitteret, ita ut partes simul sumptæ materiam gravem constituerent? Ita recitans peccaret ne mortaliter? 253.

Quæst. VII. Beneficiarius qui hodie omittit officium, tenetur ne restitutioni, si sequenti die duplex recitet officium? ib.

Quæst. VIII. Qui grossam canonicatus absolute acquisivit, antequam diceret officium, tenetur, ne lege restitutionis, si postea officium recitare negligat? 254.

Quæst. IX. Presata restitutio facienda ne est ante iudicis sententiam? ib.

Quæst. X. Beneficiarius absque ulla attentio-

ne recitans officium, tenetur ne restituere? ibid.

Quæst. XI. Beneficiarius curatus non recitans, tenetur ne restituere omnes fructus beneficii, aut solos fructus correspondentes recitationi, secus alios quos ob alia ministeria percipit? 255.

Quæst. XII. Quid de Beneficiario qui unum officium pro alio recitat, puta officium de Sancto pro officio de feria? 256.

Quæst. XIII. Cumam restituere Beneficiarius fructus debet, fabricæ, an pauperibus? ib.

Quæst. XIV. Fieri ne licite potest hæc restitutio alteri Ecclesiæ, vel in pauperes alterius loci fructus erogari? ib.

Quæst. XV. Si Beneficiarius qui restituere debet, pauper revera sit, licite ne fructus illos restituendos applicare sibi potest? ib.

Quæst. XVI. Fructuum restitutio suppleri ne potest per eleemosynas quascunque factas a Beneficiario, antequam omitteret preces canonicas? 257.

Quæst. XVII. Pensionarii tenentur ne fructus pensionis restituere pro rata, si officium recitare omittant? 259.

Quæst. XVIII. Pensionarius iure ne potitur exigendi a Beneficiario pensionem, si horas canonicas non persolvat? ib.

## CAPUT IX.

De conditionibus pluribus quæ ad divini officii recitationem requiruntur. 260.

## §. I.

De attentione, & devotione qua preces canonicæ persolvendæ sunt, ut præceptum impleatur. ibid.

## §. II.

Resolvuntur adversariorum obiecta. 272.

## §. III.

Nonnullæ aliæ questionculæ resolvuntur. 276.

Qu. I. Sufficit ne ad implendum præceptum attentio habitualis? ib.

Quæst. II. Sufficit ne attendere ad Deum, ut quis præceptum horarum canonicarum impleat? ib.

Quæst. III. Satis ne est meditare mysteria Passionis Christi, aut Sanctorum, & B. Virginis gesta? ib.

Quæst.



- Quaest. IV. An contingat quod quis ex negligentia peccet mortaliter in recitando preces canonicas? ib.
- Qu. V. Qui non ex precepto, sed ex libera devotione preces recitat, peccat ne, si animo distracto eas fundat? 277.
- Quaest. VI. Quae sunt actiones externae quae interiori animi attentionem impedire solent, nequeuntque cum divini officii recitatione componi? ib.
- Quaest. VII. Quid de iis dicendum qui inter manuum labores preces recitant? 278.
- Quaest. VIII. Satisfacit ne precepto recitandi horas canonicas qui simul Missam de precepto audit? 279.
- Quaest. IX. Qui a somno vexatur, sepiusque dormitat, unaque ita resistit, ut intermiscat se omnia proferre, satisfacit ne precepto? ib.
- Quaest. X. Qui probabiliter credit se horas dixisse, tenetur ne easdem repetere? ib.
- §. I V.
- De intentione necessaria recitandi horas. 280.
- Qu. I. Necessaria ne intentio est recitandi divinum officium? ib.
- Quaest. II. Est ne necessaria voluntas, seu intentio implendi preceptum recitandi? ib.
- Qu. III. Qui incipit recitare officium divinum cum animo expresse non satisfaciendi precepto, tenetur ne iterum recitare? ib.
- Quaest. IV. Qui divinum officium recitavit animo non implendi preceptum tenetur ne animum mutare, si nolit illud repetere? 281.
- §. V.
- De pronuntiatione, seu voce, qua preces canonicae persolvenda sunt: & de privilegiis Regularium in hac materia. ibid.
- Quaest. I. Satis ne est sola mente absque voce exteriori divinum recitare officium? ib.
- Quaest. II. Spectato communi iure, qui sola mente percurreret officium, satisfaceret ne sua obligationi? ib.
- Quaest. III. Regulares fruuntur ne privilegio aliquo mentaliter recitandi officium, dum privatim extra chorum illud persolvunt? ibid.
- Quaest. IV. Quomodo intelligendum est privilegium Clementis VII. concessum Theatinorum superioribus dispensandi super recitatione officii cum Praedicatoribus, Confessariis, aliisque Religiosis? 283.
- Quaest. V. Qui recitat preces canonicas, debet ne tam clara voce pronuntiare, ut audiri vel ab adstantibus, vel a seipso valeat? 287.

## §. VI.

- De integritate qua divinum officium persolvi debet. 288.
- Quaest. I. Peccat ne letaliter qui unicam ex minimis horis recitare negligit? ib.
- Quaest. II. Qui tertiam, aut dimidiam partem horae minoris, puta Tertiam, Sextam, aut Nonam, omittit, peccat ne mortaliter? ib.
- Quaest. III. Qui in matutino cum laudibus omittit unum nocturnum, peccat ne mortaliter? ib.
- Quaest. IV. Qui omittit tres lectiones cum Responsoriis, peccat ne letaliter? 289.
- Quaest. V. Sacerdos recitans cum socio ita festinanter, ut antequam socius terminet pronuntiare suos versus, ipse resumat sequentes, peccat ne mortaliter? ib.
- Quaest. VI. Cum plures alternatim recitant, debent ne alternatim lectiones legere? ib.
- Quaest. VII. Peccat ne mortaliter qui brevius loco longioris officium recitat? 290.
- Quaest. VIII. Satisfacit ne precepto qui in die Palmarum recitat officium paschale? ib.
- Quaest. IX. Qui inadvertenter & ex errore recitat hodie unum officium pro alio, quod recitandum non erat, tenetur ne proprium illius diei officium repetere? 291.
- Quaest. X. Qui ex errore omisit officium duplicis, ut supra, tenetur ne primo die vacuo, nempe die feriali, vel trium lectionum, omissum officium recitare? ib.
- Quaest. XI. Qui hodie ex errore celebrat officium de aliquo festo, de quo recitandum est sequenti die, tenetur ne die sequenti recitare idem officium? ib.
- Quaest. XII. Sacerdos hodie sub Vesperas Venerabilis existens, ubi feria, aut duplicis recitatur officium, cras perreiturus Patavium, ubi festum S. Danielis, aut alterius Patroni celebratur, valet ne primas Vesperas, & Matutinum illius Sancti recitare? 292.
- Quaest. XIII. Peccaret ne mortaliter qui officium sub ritu duplici praescriptum recitaret sub ritu simplici, aut e contrario? ib.
- Quaest. XIV. Quot committit peccata qui totum officium diei pratermittit? ib.
- §. VII.
- De continuatione, & ordine quo recitari debet officium. ib.
- Quaest. I. Qui privatim maxima cum interruptione recitaret aliquam horam, peccaret ne letaliter? ib.
- Quaest. II. Quo ordine recitanda sunt canonicae horae? 293.

## §. VIII.

## §. VIII.

- De tempore quo persolvenda sunt hora canonice. ib.
- Quaest. I. Quanam diei hora incipit obligatio recitandi divinum officium? 294.
- Quaest. II. Licitum ne est vespertina hora antecedentis diei persolvere, sicut Matutinum & Laudes, ita & Primam, ceteraque horas diei sequentis? ib.
- Quaest. III. Qua causa requiritur ut licite quis anticipare, vel postponere recitationem precum canonicarum possit? ib.
- Quaest. IV. Qua hora post meridiem diei antecedentis licitum est recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti? ib.
- Quaest. V. Qui hodiernum officium recitare incipit paulo ante mediam noctem diei sequentis, satisfacit ne precepto, si proseguatur recitationem post mediam noctem? 295.
- Quaest. VI. Qui celebrat Missam non recitato Matutino, peccat ne mortaliter? 296.
- §. IX.
- De loco, & modo quo recitanda sunt canonicae preces. 297.
- C A P U T X.
- De causis excusantibus a recitatione precum canonicarum. ib.
- §. I.
- De impotentia. ibid.
- Quaest. I. Qui solus nequit, cum socio vero potest officium persolvere, tenetur ne socium adhibere, si commode eo uti potest? ib.
- Quaest. II. Tenetur ne cæcus memoriae officium mandare, ut illud memoriter recitare queat? 298.
- §. II.
- De infirmitate. 299.
- Quaest. I. Excusatur ne ab officio qui tertiana febris laborat? ib.
- Quaest. II. Qui tali febre, vel oculorum infirmitate vexatur, ut valeat, & solet reapse notabilem diei partem in fabularum, historiarumque lectione, aut in amicorum confabulationibus insumere, liber ne ab officio recitando est? 300.
- Quaest. III. Qui dubitat, utrum teneatur recitare, liber ne est a recitatione? 301.
- §. III.
- De occupatione. ibid.
- Quaest. I. Excusantur ne a recitatione qui habituri sunt publicam lectionem ad cathedram, aut lauream acquirendam? ib.
- Quaest. II. Concionatores quotidiani tempore quadragesimae excusantur ne ab officii recitatione? ibid.

- Quaest. III. Licet ne propter contemplationem altissimam officium omittere? 303.
- Quaest. IV. Peregrinatio ad loca pia iuste, & legitime suscepta excusat ne ab horis canonicis persolvendis? ib.
- Quaest. V. Ille qui distulit Matutinum usque ad meridiem absque urgente causa, eximitur ne postea a recitatione? ib.
- Quaest. VI. Qui previdet aliquod impedimentum superventurum, tenetur ne anticipare officium? ibid.
- Quaest. VII. Qui non potest maiorem officii partem recitare, tenetur ne recitare minorem? ibid.
- Quaest. VIII. Qui non potest minorem, potest autem maiorem partem officii recitare, tenetur ne hanc dicere? 306.
- Quaest. IX. Qui non potest dimidiam, potest vero alteram officii dimidiam partem recitare, tenetur ne ad hanc? ib.
- Quaest. X. Qui habet Diurnum, caretque Breviario, tenetur ne psalmos Matutini recitare? ibid.
- Quaest. XI. Excusatur ne ab officio qui magnam patitur in eo recitando difficultatem? ibid.
- §. IV.
- De dispensatione. 307.
- Quaest. I. Summus Pontifex potest ne dispensare Clericum ab officii recitatione? ibid.
- Quaest. II. Valet ne Pontifex dispensare Beneficiarium? ib.
- Quaest. III. Potest ne Episcopus dispensare in perpetuum Clericum ab officio? ibid.
- Quaest. IV. Prelati regulares valent ne dispensare cum suis subditis? ibid.
- C A P U T XI.
- De obligatione Præbendorum, seu Canonicorum frequentandi chorum, ut quotidianas distributiones lucentur. ibid.
- §. I.
- Quanta sit Canonicorum obligatio chorum frequentandi, & qua ratione psallere, & canere cum aliis debeant, ut distributiones lucentur. 308.
- Quaest. I. Peccat ne letaliter Canonicus, sive Præbendatus, qui abest a choro absque causa legitima? ibid.
- Quaest. II. Si absunt a choro animo cedendi distributiones temporis absentiae debitas, peccant ne letaliter? ibid.
- Quaest. III. Peccant ne letaliter Canonici qui semel aut bis a choro absunt absque ulla causa? ib.
- Q. IV.

- Quæst. IV. Quomodo Canonici, seu Præbendati captare, & recitare in choro cum aliis debeant, ut distributiones lucrentur, præceptoque faciant satis? *ibid.*
- Quæst. V. Satisfaciunt ne suæ obligationi Canonici qui suam officii partem ita submissa voce recitant, ut ab altero choro non audiantur? 309.
- Quæst. VI. Quid præscribunt Concilia de modo quo Canonici, & Præbendati tenentur implere præceptum assistendi choro? 310.
- Quæst. VII. Quibus penis obnoxii sunt Præbendati, seu Canonici qui absque legitima causa a choro absunt? 315.
- §. II.
- Quibus applicandæ sunt distributiones quas a choro absentes perdunt? *ibid.*
- Quæst. I. Qui legitima causa a choro absunt, acquirunt ne distributiones, non modo propriæ præsentis debitas, sed eas etiam quæ ex aliis absque causa absentibus accrescunt? *ib.*
- Quæst. II. Præbendati præsentis iure ne valent absentibus absque causa remittere distributiones, vel donare, aut de eisdem cum illis transigere? *ibid.*
- §. III.
- Ce causis excusantibus Præbendatos, sive Canonicos a chori frequentia, quin distributiones amittant. 316.
- Quæst. I. Quæ infirmitas excusat Canonicum sive præbendatum a chori frequentia? *ibid.*
- Quæst. II. Canonicus qui culpa propria infirmitatem contraxit, amittit ne distributiones? *ibid.*
- Quæst. III. Canonicus qui data opera se in morbum coniicit, ut a choro absit, amittit ne distributiones? 317.
- Quæst. IV. Quænam dicenda sit rationabilis corporis necessitas, quæ est secunda causa excusans Præbendatum a chori frequentia? *ib.*
- Qu. V. Quid de Præbendato absente ob excommunicationem? 318.
- Quæst. VI. Quid, si iuste excommunicatus choro assistat? *ib.*
- Quæst. VII. Quid de Beneficiato, seu Canonico suspenso? *ib.*
- Quæst. VIII. Quid de Canonico iudicis sententia Beneficio privato? *ibid.*
- Quæst. IX. Quæ utilitas Ecclesiæ evidens excusat a chori assistentia? 319.
- Quæst. X. Qui absens est a choro in utilitatem Ecclesiæ manifestam, debet ne

- esse in loco beneficii, ut distributiones lucretur? *ibid.*
- Quæst. XI. Qui a proprio Episcopo mittitur ad visitanda limina Apostolorum, lucratur ne tempore absentis distributiones? *ib.*
- Quæst. XII. Canonicus qui ab Episcopo mittitur ad Concilium generale, vel provinciale, tamquam Theologus, Canonista, vel Procurator, acquirunt ne distributiones? *ib.*
- Quæst. XIII. Canonicus qui Sede vacante eligitur a Capitulo Vicarius, seu Provisor, amittit ne distributiones, si abest a choro causa exercendi officium? 320.
- Quæst. XIV. Quanto tempore fruatur privilegio percipiendi distributiones qui abest a choro ob Ecclesiæ negotia tractanda? *ib.*
- Qu. XV. Celebratio capituli excusat ne absentiam a choro? *ib.*
- Quæst. XVI. Canonicus Theologus, seu Lectoralis acquirunt ne distributiones, si absint a choro die qua lectionem habet, aut concionatur? 321.
- Quæst. XVII. Quid de Canonicis curam animarum habentibus in aliis Ecclesiis a Cathedralibus? *ibid.*
- Quæst. XVIII. Quid de Parochis publice legentibus Theologiam? 322.
- Quæst. XIX. Ut Præbendati legentes in universitate, aut studio generali fruatur privilegio exemptionis, requiritur ne ut sint conducti? *ibid.*
- Qu. XX. Quid de Præbendatis studentibus in universitate? *ib.*
- Qu. XXI. Tenentur ne eiusmodi Præbendati licentiam ab Ordinario petere ut possint causa studii abesse? *ibid.*
- Quæst. XXII. Præbendatis parochialia Beneficia habentibus licitum ne est abesse ab Ecclesiâ studiorum causa? 323.
- Quæst. XXIII. Licentia quæ ab Episcopo datur Præbendatis non Parochis, extenditur ne ultra quinquennium? *ib.*
- Qu. XXIV. Si Beneficium constet ex solis distributionibus quotidianis, lucratur ne eas qui studii causa absunt? *ib.*
- Quæst. XXV. Canonici non curati qui tribus mensibus singulis annis absunt ab Ecclesiis lucratur ne fractus, & distributiones? *ib.*
- Quæst. XXVI. Canonicus qui habet duplex Beneficium, ut Canonicatum & Decanatum, acquirunt ne duplices distributiones? 324.
- Quæst. XXVII. Quomodo interpretanda est dispensatio non interessendi choro? *ibid.*

F I N I S.

L I.

# LIBER PRIMUS IN DECALOGUM. DISSERTATIO VI.

DE MISERICORDIA, ET ELEMOSYNA.

CAPUT I.

DE MISERICORDIA.

Quid, &amp; quotuplex sit.



Uoniam elemosyna misericordie partus est, priusquam de illa sermonem instituo, de hac nonnulla prælibare expediat; paucis tamen omnia expediam, eo quod nihil difficile, & impervium occurrat, ut sequentes quæstionumculæ ostendent.

II. Quæst. I. Quid sit misericordia? Resp. Misericordia, si vocis etymon spectes, a miseria, & corde, seu a misero corde originem trahit. Quam etymologiam tradit Augustinus Lib. de morib. Eccl. cap. xxvii. Quis nesciat ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis super alieno malo? Hæc tamen misericordia hominum dumtaxat propria est. Quare Clemens Alexandrinus Lib. IV. Strom. ut refert Sylvius, ait: Misericordia non est, ut quidam existimant Philosophi, molestia propter alienas calamitates; sed est potius quid divinum. Misericordia itaque absolute spectata sic defini potest: Voluntas alterius miserie sublevanda. Hac quippe ratione Deo, & hominibus convenit. Quæ hominum propria est, annexam semper habet cordis compassionem, sive de alterius malo tristitiam. Docet quippe Angelicus 2. 2. qu. xxx. art. 1. obiectum misericordie esse malum alterius. Dicitur malum alterius, quia nemo erga seipsum proprie misericors est, sed erga alterum. Nec officit illud Eccl. c. xxx. Misereve anime tue, placens Deo: quia ibi vocabuli proprietates non expenditur; sed suadet ut qui alteri benefacere velit, primum sibi benefaciat. Malum porro alterius, quod obiectum misericordie diximus, involuntarium aliquo modo sit oportet. Quod enim omnino voluntarium est.

ac liberum, haud dignum misericordia reputatur. Misereve vero peccatorum, eorumque qui merces in mare proiciunt, quin & martyrum, qui deliberate tormenta patiuntur, quoniam tristitiam maximam naturæ repugnantem passi sunt. Sicut ipse Christus Dominus de se testatus est Matth. xxvi. Tristis est anima mea usque ad mortem. Naufragi in mare merces proicientes, quid involuntarii patiuntur; & peccatores, quamvis plena voluntate peccent, semper tamen errore maximo decipiuntur, iuxta illud Prov. xiv. Errant qui operantur malum: idcirco commiseratione digni sunt.

III. Ad misericordie exercitium requiritur quod alienum malum ut proprium aliquo modo concipiatur: quod duobus modis accidit, inquit Angelicus 2. 2. qu. xxx. art. 2. Uno modo secundum unionem affectus, quod fit per amorem. Quia enim amans reputat amicum tamquam seipsum, malum ipsius reputat tamquam suum malum; & ideo dolet de malo amici sicut de suo. Et Apostolus dicit ad Roman. xii. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Alio modo contingit secundum unionem realem, utpote cum malum aliquorum propinquum est, ut ab eis ad nos transeat. Hinc est quod senes, mulieres, infirmi propensiores in misericordiam esse solent, atque clementiores propter naturæ imbecillitatem, & defectus quibus obnoxii sunt. Contra robusti, felices, divites, potentes, quod a miseriis immunes sint, nimium a misericordia alieni existunt. Sed hi insipientes sunt, cordeque stulti. Reputare enim animo deberent, se gravioribus momentis ad misericordiam urgeri, quod eis infirmitatibus, inopia, & calamitatibus liberi sint, quibus premuntur alii eiusdem naturæ consortes. Quod illi egeant, iurmentur, langueantque; tu vero validus, fortis, dives, & opulentus sis, non ne sola Dei mirabili, atque ineffabili providentia evenit?

IV. Quæst. II. Quotuplex sit misericordia? Resp.

Conc. Theol. Tom. II.

Resp. Duplex. Altera corporalis, spiritualis altera. Illa corporis, hæc animæ defectibus succurrit. Utriusque actus, seu formæ ad septem veluti genera revocantur. Cuius partitionis rationem optimam Angelicus tradit 2. 2. qu. xxxii. art. 2. Quoniam miseria quæ corpus afficit, aut in vita, aut post mortem toleratur. Si in vita; aut est earum rerum penuria quibus egent omnes; quæ vel interior esse potest, ut privatio cibi, & potus; vel exterior, ut vestium, domiciliique carentia: quibus quatuor miseriis, quatuor misericordiæ actus respondent, nempe alere esurientem, sitientem potare, vestire nudum, peregrinum domicilio excipere: aut est earum rerum inopia quæ speciales ærumnas constituit, quæque non omnes, sed quosdam dumtaxat comitatur, ut sunt morbus, & captivitas: quibus duo alia misericordiæ genera correspondent, videlicet visitare infirmos, & redimere captivos. Miseria quæ post mortem contingit, est sepulture carentia, quæ tollitur ultimo misericordiæ actu, quo defuncti sepeliuntur. Ad hos septem actus cetera corporalis misericordiæ officia revocantur, cæcos dirigere, claudos sustinere, viduas, pupillosque protegere, virginibus dotem providere, pauperum debita solvere, & id genus alia.

V. Miseria quæ animam tangit, aut culpa est, aut poena. Si culpa, tolli a nobis nequit, sed culpæ reus iuvare tantum potest tribus modis, oratione ad Deum, iniuriæ remissione, & correctione fraterna. Si poena est, aut intellectum lædit per ignorantiam, aut affectum per tristitiam: quibus doctrina, consilio, consolatione, & patientia medemur. Quapropter septem sunt misericordiæ spiritualis munia, orare pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere delinquentes, docere ignorantem, consulere imprudentibus, consolari afflicto, alienam infirmitatem tolerare. Quæ omnia fufius explicat Angelicus loc. cit. & nos de quibusdam latius disputabimus. Misericordiæ corporalis officia hoc versu clauduntur: *Visto, potio, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Spiritualis misericordiæ actus hoc altero versu exhibentur:

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Sub hoc verbo *consule* duo comprehenduntur, & consilium indigenti dare, & docere ignarum: quare sequens versus preliis omnes actus recenset.

*Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

## CAPUT II.

## DE ELEEMOSYNA.

*Errores adversus hanc virtutem.*

I. Duo sunt in hac materia errores extremi. Primus eorum est qui ad vitam æternam comparandam nihil aliud præter eleemosynam requirunt, hac sola omnia deleri peccata contententes: quem errorem recenset Augustinus Lib. XXI. de Civ. Dei cap. xxii. *Comperi etiam quosdam putare, nos tantummodo arduos illius æternitate supplicii qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt, iuxta illud Apostoli Iacobi II. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Qui ergo fecerit, inquit, quamvis mores in melius non mutaverit, sed inter ipsas eleemosynas nefarie, ac nequiter vixerit; iudicium illi cum misericordia futurum est: ut aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus sive parvum, sive prolixum, ab illa damnatione liberetur. Ideo iudicem ipsam vivorum, atque mortuorum noluisse existimant aliud commemorare se esse dicturum sive dextris, quibus est vitam daturus æternam, sive sinistris, quos æterno supplicio est damnaturus, nisi eleemosynas, sive factas, sive non factas.*

II. Istius erroris qui iam exolevit, patroni plura argumenta in medium promebant. In primis afferbant illud Lucæ cap. xi. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Deinde alterum Matth. v. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tandem plurimos alios Scripturæ textus: Eccl. III. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: & Tobie IV. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.*

III. Omnis variis Patrum expositionibus, ea quam præbent Theophilactus, & S. Maximus serm. I. de eleemosyn. ad primum textum, seligitur. Christus ibi Phariseis loquebatur, quorum potissimum vitium avaritia erat. Id circo eleemosynæ studium illis commendat: quoniam, evulsa omnium vitiorum radice, facile ad fidem, & aliorum icelerum poenitentiam pervenire poterant. Quemadmodum Medici, cognita morborum origine, quæ non raro repletio est, dicere solent: Sobrius esto, & integre convalesces. Ad secundum responsio obvia est: ibi enim indicatur, quantum misericordia grata Deo sit,

fit; minime vero solam ad æternam salutem sufficere. Ceteri textus sancti loquuntur de eleemosynis quæ fructus poenitentiae sunt, ceterasque virtutes iunctas habent.

IV. Contrarius error est omnium recentium hæreticorum, qui, quamvis concedant utiles esse eleemosynas; negant tamen aut ad satisfaciendum Deo pro peccatis, aut ad vitam promerendam æternam, vim quampiam habere. Quem errorem Catholici omnes confutant, & execrantur. Ex recensitis quippe textibus compertum est, eleemosynas quæ a caritate imperantur, & reguntur, æterna mercede a Deo donari, iuxta illud Matth. xxv. *Percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Esurivi enim, & dedisti mihi manducare &c. Verum contra hunc errorem plura infra dicturi sumus.

## CAPUT III.

*Propositiones ab Ecclesia proscriptæ, & aliæ quadam nimium laxæ.*

I. U Nica est hoc de argumento propositionis ab Ecclesia damnata, quæ eiusmodi est. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* De hac propositione plura infra.

II. Propositiones, quæ nimium laxæ videntur.

„ Nemo ex necessariis ad suum statum conservandum tenetur eleemosynam pauperibus elargiri, etsi extrema necessitate laborent. “ P. Matthæus Moya Tom. I. tract. VI. disp. VI. quæst. IV. §. 3. num. 21. „ Obligatio eleemosynas pauperibus de superfluis statui elargiendi, solum extenditur ad casum extremæ necessitatis. “ P. Torrecilla tract. VIII. ad propos. damn. 12. Innocentii XI. num. 13. fol. 44.

„ Ut Clerici ex redditibus beneficialibus licite, & valide testentur ad causas profanas, efficere potest consuetudo rationabilis. „ Quod autem consuetudo ita testandi per totam aliquam Diocesim illimitate vigens, sit rationabilis, difficile probatum est. “ P. Franciscus Zech in Opuscul. Rigor moderatus prope finem num. 19.

## CAPUT IV.

*Quid sit eleemosyna, & cuius virtutis actus.*

I. ANtequam gravissimas difficultates quæ in istius argumenti tractatione oc-

currunt, dispicere aggredior, ipsius eleemosynæ naturam, & vim patefaciam oportet. Eleemosyna a verbo græco proficiscitur *ἐλεησίνω* quod est *miserere*. Quare quod Latinis *miserericordia*, Græcis *eleemosyna* est. Non quilibet tamen misericordiæ actus, sed is tantum quo egens sublevatur, eleemosyna dicitur. *Iustitiæ* nomine nonnumquam appellatur, iuxta illud Psal. cxv. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.* Et Christus Matt. vi. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: quem textum sic legit Chrysostom. hom. xix. in Matth. Attendite ne faciatis eleemosynam coram hominibus.* Vocatur quoque gratia, & communicatio, ut habetur II. Cor. cap. viii. vers. 4. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerii quod fit in sanctos.* Frequentius tamen pro caritate accipitur, tum apud vulgus, tum apud veteres, qui *agapen*, nempe caritatem, vocant quod nos eleemosynam dicimus, ut notat Sylvius.

II. Porro eleemosynam definit D. Thomas 2. 2. qu. xxxii. art. 1. *Est opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Dicitur, *opus*, quia accipitur eleemosyna, non pro ipsa re, sed pro actione. Si quis finitionem cupit quæ actui iuxta ac rei conveniat, loco operis ponat *beneficium*. Ut autem hoc beneficium eleemosynæ nomen obtineat, *indigenti* conferri debet. Quippe beneficia quæ non egentibus impertimur, ad liberalitatem pertinent. Idcirco *ex compassione* additur, quoniam miseria proximi misericordiam excitat ad subsidium porrigendum. Propter Deum adiicitur, quia christiana eleemosyna, non ethnica, hic definitur. Quare eleemosyna potest utique esse sine caritate; immo etiam fieri valet inanis gloriæ cupiditate; verum tunc eleemosyna *materialiter*, inquit Angelicus, tantum dicenda est. Ut enim intelligatur *formaliter*, seu eo quo fieri debet modo, sine caritate esse nequit.

III. Ad quam autem virtutem eleemosyna spectet, non una est Doctorum sententia. Communior tamen ea est quam docet D. Thomas loc. cit. videlicet eleemosynam elici a misericordiæ virtute, imperari autem a caritate. Unde manifestum est quod dare eleemosynam proprie est actus misericordiæ. Ad caritatem autem reducitur, quia ab eadem imperatur. Verum utique habet, omnes aliarum virtutum actus a caritate imperari; sed propinquioræ affinitatem cum caritate eleemosyna habet, quia summopere in operibus

eleemosynæ caritas elucet. Diligendus est enim proximus non verbo, & lingua, sed opere, & veritate. Iure igitur caritatis opus appellari eleemosyna communiter solet.

IV. Non parum disputant Theologi, pertineat ne ad iustitiæ virtutem eleemosyna. De hoc infra sermo recurret. In præfens pauca delibabimus. Duplicem in eleemosyna respectum considero: alterum ad Deum, ad proximum alterum. Cum proximi miseriam sublevat, opus misericordiæ est, a caritate iubente, seu dirigente profectum, ut dictum est. Quatenus Deum respicit, ad iustitiam legalem pertinere non est ambigendum: est quippe sub hac acceptione tributum a Deo ipso impositum in omnes divitias hominibus concessas, quod non Deo, sed pauperibus solvendum est. Pauperes enim exactores instituti a Deo sunt tributi istius. Qui illud defraudat, iustitiæ in Deum, inhumanitatis in proximum reus est. Verum de hoc plura infra.

### CAPUT V.

Iure naturali, & divino eleemosyna præscribitur.

I. **Q**uod iuris naturæ vi eleemosynarum subsidium conferre pauperibus adstricti divites sint, paucis evincitur. Deus namque conditor, ac pater omnium providentissimus est. Nihil eorum quæ edidit in lucem, negligit, aut obliviscitur. Non modo iumentis fenum produxit, sed fenum ipsum, quod cras in cibum mittitur, liliæque agrorum sic vestit, ut nec Salomon omnium Regum potentissimus, in omni gloria sua, tanta fuerit venustate ornatus. Quanto igitur longe maiori studio hominibus, omnium mundi huius creaturarum præstantissimis, providit? Ideo ne divitiarum opulentiam filiorum suorum multis impertiit, ut ipsi assistuerent, ceteris necessario victu destituitis? Absit de tanto patre tam crudelis suspicio. Sed ideo alios divites voluit, alios pauperes, ut omnes valido, perpetuoque nexu devinciret. Si omnes æque divitiis aut affluerent, aut egerent; nulla eos inter necessitudo, nulla societas esset. Nemo alterius ope egeret, nec alteri subiectus foret. Nemo servus, nemo dominus. Caritatis exercendæ occasio deesset, & paupertatis, egestatisque patientia nulla occurreret. Pauper ergo, & dives duo sunt extrema contraria, sed duo maxime necessaria, inquit SS. Patres. Orbis præpotens effectus Deus caelestibus irrigationibus terram

subiectam voluit, omnesque partes tam arctissimo nexu copulatas, ut ex hac æquabili harmonia, ordineque exactissimo, omnibus compertum fieret unius Dei arbitrio omnia moderari. Sic idem divitum, & pauperum Dominus altissimo disposuit consilio ut plures penuria laborarent, & ceteri auro, argentoque affluerent, quo divites pauperum servitute, & pauperes divitum ope indigerent: illi caritatis, amorisque studium bona sua distribuendo excolerent: isti patientiæ, humilitatisque colendæ materiam haberent: denique omnes unius veluti corporis membra effecti vicariam opem sibi invicem præberent. Qui ergo hunc ordinem quo homines mutuo neceuntur, abrumpunt, a naturæ legibus procul dubio recedunt. Naturæ porro ordinem, & connexionem pervertunt, infringuntque divites, quoties pensionem terrenis bonis ab auctore naturæ impositam solvere pauperibus negligunt. Alius itaque eleemosynarum debitum est quam quod vulgus existimat. Et profecto, nisi hæc omnia vera essent, improvidus pauperum pater Deus esset. Hoc autem dici nequit. Ergo divites iniustitiæ, & perfidiæ redarguendi sunt, qui pauperes sibi a Deo commissos necessario presidio defraudant. Quis iustitiæ, ac inhumanitatis non condemnaret patremfamilias, qui filiorum suorum plurimos alimentis privaret, ut ditiores efficeret alios? Verum quid plura congerimus, ut veritatem seipsa perspicuam, manifestamque confirmemus?

II. Eleemosynarum tributum pauperibus solvendum iure divino impositum fuisse probatur. Ex pluribus divinæ Scripturæ textibus paucos seligam, in duas veluti classes tributos. In prima eos colloco qui debitum præstius evincunt; in altera illos qui præmia eleemosynæ respondentia indicant. Et ut a primis initium capiam, hæc Deus præscribit. Deut. xv. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tue: idcirco ego precipio tibi ut aperias manum fratri egro, & pauperi, qui tecum versatur in terra.* D. Paulus ad Timoth. I. cap. vi. *Divitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum. . . bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.* Christus Dominus Matth. xxv. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitiivi, & non dedistis mihi potum: hospes evam, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis*

astis me. . . . Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

III. Privilegia eleemosynæ, & ad illam exercendam adhortantes textus recensentur. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus: Psal. xl. Feneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei: Prov. v. xxix. Conclude eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit: Eccli. xxix. Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere: Eccli. iv. Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare: Prov. III. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: Isaia. lviii. Carnem tuam, pauperem vocat, quod frater tuus est, & eadem comparetur carne. Peccata tuæ eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet tibi Deus: Danielis iv. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertere facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribus: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. . . . Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam: Tobia. iv. Quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam: ibid. xii. Date, & dabitur vobis; mensuram bonam, & confertam, & coagulatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis: Luca. vi. Quicumque potum dederit ex minimis istis calicem aquæ frigide tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam: Matth. x. Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: Iacobi cap. i. Si frater, & soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? ibidem cap. ii. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauderit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? I. Ioan. cap. III. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur*

ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo: Luca. xii. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: ibid. xi.

### CAPUT VI.

Gravissimum eleemosynarum debitum Patrum testimoniis evidentius manifestatur.

I. **Q**uoniam Patres divitum christianorum salutem in pauperum levandis miseris magna ex parte collocant, in rem meam conferre existimavi præcipua eorumdem testimonia in medium producere. Nec vitio prolixitatis vertendum mihi est, si latius quam soleant ceteri, summi momenti veritatem explicuero. Modum tamen servabo, & ex plurimis pauca seligam.

II. Origenes hom. v. in cap. xix. Gen. *Missi Angeli ad subversionem Sodomorum, cum in unum cuperent maturare negotium, curam prius gerunt hospitis Lot, ut eum de imminente ignis excidio contemplatione hospitalitatis eximerent. Audite hæc, qui peregrinis clauditis domum: audite hæc, qui hospitem velut hostem vitatis. Lot in Sodomis habitat: alia eius bene gesta non legimus: hospitalitas in eo sola ex usu veniens memoratur. Evadit ignes, evadit incendia ob hoc solum quod domum suam patefacit hospitibus. Plurima habet Lib. II. in Iob. Eiusmodi eleemosynarum iustificationibus tamquam lux effulget coram Angelis Dei. Talis fuit beatus Iob, apud quem nunquam hospes foris mansit, cuius ianua omni advenienti patuit, quem invalidi nunquam pretermiserunt rogare de his quæ opus habuerunt, qui non dimisit pauperem exire de domo sua vacuum, ad cuius tonsuram ovium, omnium pauperum scapula calefactæ sunt: ob hoc enim & istam multitudinem pecorum nutrit, & maximam agriculturam exercuit, ut plurimis impertiret, ut plurimis beneficeret.*

III. D. Basilius hom. vi. ex variis Eleemosynæ, & fides ne te deserant. Item frange esurienti panem tuum. Sed horrea multitudine fructuum gravata dirumpebantur; cor autem eius parvum, ac tenax minime exsaturatum est. . . . Quid faciam? inquit. . . . Agnosce, o homo, eum qui dedit. . . . quæ gratia tam multis sis prælatus. Dei optimi minister es, tuorum dispensator conservorum. Ne puta omnia ventri tuo preparari: quæ in manibus habes, ut aliena existima: parvo te exhilarabunt tempore, deinde disfluentia præteribunt, quorum ratio abs te acriter exigetur. . . . Plane imprudenti uteris consiliario: quid faciam? Parata tibi responsio fuerat:

esurientium animas explebo, aperiam horrea, & omnes vocabo indigos, imitabor Ioseph &c. Paulo infra: Imitare, o homo, vel terram: ut illa, fructus proferto, ut ne illa conspiciaris esse deterior, quæ inanimis est. Sane illa non in suum usum, aut commodum, sed in tuum ministrare contendit. . . . Pulchram deinde similitudinem adiicit. Putei continuo exhausti & copiosiores, & pulchriores admodum fluunt aquæ, dimissi vero, & quieti facile putent: sic & opes condite quiescentesve, inutiles; motæ autem, & translata publicum commodum, & fructum pariunt. . . . Dixeris: Cui facio iniuriam, si mea retineo? Quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad traducendam presentem hanc vitam invenisti? . . . Nonne nudus ex utero matris exivisti, nudusque rursus reverteris ad humum? . . . Cur tu dives es, ille pauper? Profecto non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias. . . . Esurientis est panis, quem tu retines; nudi est vestis, quam in arca custodis; discalceati calceus, qui apud te marcescit; egentis argentum, quod tu terra infossum possides. Item hom. VII. contra divites avaros sermonem habens de illo adolescente qui audiens a Christo Domino Matth. XIX. Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, tristis abiit, hæc scribit Basilus. Mihi evenisse huic adolescenti, vel propinquis ipsius videtur quod illi solet evenire qui iter facit civitatis alicuius spectaculi videndi studio, properatque usque ad mœnia: ibi reperto diversorio requiescit, modicumque quod restat vitæ, ob pigritiam, atque desidiam ire detrectat, simul & toleratum itineris laborem inanem reddens, & spectaculo honorum quæ videre poterat in urbe, excludens. Sic & huiusmodi sunt homines, qui cetera quidem mandata observant, ad bonorum vero suorum erogationem claudicant. Vidi ego multos ieiunantes, orantes, præteritorum penitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodest? Non propterea regnum Dei consequentur. Idcirco, inquit Dominus, difficilius est divitem intrare in regnum colorum quam camelum per foramen acus. . . . Quid miser iudici respondebis? Parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis?

IV. D. Ioannes Chryostomus præ ceteris Patribus debitum, vim, meritum, ac mer-

cedem eleemosynarum disertissime exponit, exaggerat, amplificat, divitum crudelitatem improbat, & excusationes repellit. Homil. xxxv. in Gen. Pecuniarum abundantiam in animarum salutem expendamus, superfluaque indigentibus insumamus. Quare enim, dic mihi, permittis filium aurum, & argentum prodigere, quæ oportebat in pauperum ventres evacuare, reponendo in tutum promptuarium, ut tempore quo maxime opus habes eorum adiutorio, consolationem invenias: & qui a te hic pasti sunt, alibi fiducia fores tibi aperiant, & accipiant te in æterna sua tabernacula? Vestes quoque non sumamus a vermibus rodi, & absque usu in arcubus putrescere, cum tot sint qui indigent, & obambulant nudi. Sed veneremur, honoremque demus nudo Christo potius quam teneis; & induamus eum qui propter nostram salutem nudus obambulare vult, ut, cum ipsum induerimus, audiamus in die illa: Nudus eram, & vestistis me. Num onerosa sunt præcepta? Ea quæ pereunt, inquit, quæ a vermibus arroduntur, quæ absque usu, & frustra consumuntur, hæc dispensa, ut tibi fiant utilia, & ut detrimenti damnum effugias, & ut ex ipsis lucrum maximum tibi pares.

V. Idem hom. VII. in Lucam: Rapina est, pauperibus non impertiri de tuis facultatibus. Ac fortassis mirum nobis esse videtur quod dico. Verum ne miremini testimonium vobis ex divinis Scripturis proferam. Itaque Dominus Iudeos accusans per Prophetam dicit: Produxit terra proveniunt suum, & non intulistis decimas; sed rapina pauperis est in domibus vestris. Quoniam, inquit, oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit declarans quod res pauperum possident, etiam si paterne hereditates obvenierint.

VI. Idem hom. IV. in Gen. Videamus quantam abundantiam vim possideat larga eleemosyna, ut cum didiceris lucrum quod inde nascitur, alacriter eam facias. Forte enim tanta eius potestas est ut non solum peccata purgare, sed & mortem fugare valeat. Et quis, dicit aliquis, eleemosynam faciens superior morte effectus est? Sane omnes vidimus sub mortis potestate venisse. Ne turberis, dilecte; sed discite, quomodo eleemosyna vis & mortis vicit tyramnidem. Tabitha vestiebat viduas, & alios sumptus ei præbebat. Factum est autem ut infirmata moreretur. Sed quæ ab illa curabantur & quas vestiebat, habant circa Apostolum, & ostendebant ei vestes quas faciebat illis Dorcas, atque admirationem Apostolum provocabant: qui genibus flexis

flexis orans dixit: Tabitha surge. Illa autem aperuit oculos suos, & viso Petro resedit: & dans ei manum erexit eam, & accersitis sanctis viduis assignavit eam vivam: Vidisti, quanta retributio beneficentia in viduas etiam in presenti vita?

VII. Idem serm. de eleemosyna. Deus eleemosynam non ob hoc solum instituit ut pascantur indigi, sed etiam ut dantibus accrescerent beneficia; atque adeo magis propter dantes quam propter accipientes. Et propterea vera eleemosyna est sic dare ut gaudeas te dare, putesque te accipere magis quam dare, non ex tristitia, aut ex necessitate. . . . An non potuit Deus præcipere telluri, ut proferat aurum elaboratum? Etenim qui dixit, Germinet terra erbam feni; & ipsa mox protulit viridantem faciem; non potuit præcipere ut fontes, & auri fluvii ubique manent? At noluit; sed permisit multos inopes tam ob illorum, quam ob tuam utilitatem.

VIII. Idem hom. in II. Epist. ad Timoth. Virginibus fatuis non incestus, non adulterii, non invidia, non ebrietatis, non infidelitatis, aut perverse fidei crimen inuritur, sed olei tantum defectus, quia scilicet misericordiam non exercebant, neque eleemosynas fecerant: id enim significat oleum. Et illi item qui supremæ damnationis sententiam luent, quibus dicitur: Dedicite maledicti in ignem æternum: solum quod Christum non paverint, crimine exagitantur: nullaque ceterorum mentio fit. Vides certe ut eleemosyna sola neglecta gehennæ ignibus tradat? Ad quid enim eris utilis qui eleemosynam non facies? Ieiunus quotidie? At virginibus non profuit huiusmodi studium. Oras? At sine eleemosyna infructuosa erit oratio: absque illa inutilia sunt omnia. Qui non diligit fratrem suum, ignorat Deum. Illum quomodo diligis, qui ne minima quidem ista, & vilia pateris ei tecum esse communia? Item hom. de penitentia; Sine plumis eleemosynæ penitentia volare non potest. Quapropter Cornelio bene penitenti, religionis, & pietatis penna eleemosyna fuit. Eleemosynæ enim tuæ, inquit, & orationes in cælum ascenderunt. . . . Hic iustitia modica emitur. Pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigide. . . . Calix aquæ frigide dignus est mercede. Frigida aqua, in qua nec ligna consumis, ut calefiat, mercedem habet. Qui miseretur pauperis, feneratur Domino. Si Deo feneramur, is ergo nobis debitor erit. Quem ergo eum tibi esse velis, debitorem, an iudicem? Debitor veneratur fenerantem: index ne-

quaquam mitigatur ab eo cui ipse feneratus est. Item hom. xxxvi. ad popul. Tanta est vis eleemosynæ, ut suos in cælum introducat alumnos. Est enim cæli nota ianitoribus, sponsalis thalami fores observantibus, quin & venerabilis; & quos sui cultores agnoverit, cum multa introducet libertate, & contradicet nemo. Nam si Deum in terram deduxit, & hominem fieri persuasit; multo magis poterit in cælum hominem reducere. Hanc diligamus, non uno die vel altero, sed in omni tempore, ut nos agnoscat. Si ipsa nos agnoverit, & Dominus agnoscat; & si non agnoverit ipsa, ignorabit & Dominus, & dicit: Nescio vos.

IX. D. Hieronymus Lib. I. in cap. III. Proverb. exponens illa verba: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus; & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt: hæc scribit. Multi multa pauperibus, sed de aliena substantia, ac frugibus, quas vi, vel fraude rapuerant, tribuunt. Multi largiuntur de suo, sed largiendo Dominum non honorant, qui favoris humani, & non amore superni inspectoris, faciunt. Qui ergo proficuum sibi eleemosynæ fructum fore desiderant, & de suis propriis, & in conditoris honorem tribuant, ut scilicet homines qui eius plasma sunt, & ad eius imaginem facti, recreentur.

X. D. Ambrosius serm. lxxx. de divite evangelico: Quod si difficile tibi putas, o homo, magnificentiam divinæ largitatis imitari, imitare terram. Si levare sursum oculos non potes, saltem ea quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis, intueri. Affer tu fructum, sicut terra, noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus quos affert, non suis visibus vindicat, sed tuis ministrat obsequiis. Tis vero fructus illius solus invadis, & tibi soli concludis. Quod si tantum aviditatis te morbus astringit, ut tua velis facere omnia; accipe & adhuc salutare remedium: beneficium largientis præbenti magis permanet quam suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicata mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem: ille quidem pastus est: sed ad te redit quod dedisti, cum fructibus, & usuris. Quod si difficile putas, considera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius quam ad suscipientis lucra cedit. Ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo fenore divina gratia restituetur in posterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ huius initium celestium satisfactionum. Seminate enim,

inquit, vobis ad iustitiam . . . Si ergo tu gloriam ex divitiis quaris, cognosce quia melius est mille filiorum, quos per misericordiam filios acquisieris, patrem vocari, quam mille aureorum dominum dici. Et considera quanta vobis tunc erit gloria, cum te omnis ille populus qui ex promptuariis tuis passus est, & refectus, pro tribunali magni illius, & iustissimi iudicis, caterva constipante circumdabit, pastorem te suum, ac tutorem pium, & misericordie patrem omni gratiarum voce testabitur.

XI. Idem Lib. I. Officior. cap. XI. Nihil tam commendat christianam animam quam misericordia, primum in pauperes, ut communes iudices partus nature, que omnibus ad usum generat fructus terrarum, ut quod habes, largiaris pauperi, consortem, & conformem tuum adhiberes. Tu nummum largiris, ille vitam accipit: tu pecuniam das, ille substantiam suam estimat salutis. Si nudum vestias, te ipsum induis iustitia. Item serm. xxxi. de elemosyn. exponens illud Ecclesiast. III. Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum . . . Ergo elemosyna quadammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quid forte post baptismum humana fragilitas deliquerit, supersit ei ut iterum elemosynis emundetur, sicut ait Dominus: Date elemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis: nisi, quod salva fide dixerim, indulgentior est elemosyna quam lavacrum. Lavacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; elemosynam quoties feceris, toties veniam promeris.

XII. D. Augustinus Lib. 50. homiliarum, de exhortatione ad elemosynas faciendas homil. XIX. Lectio ista, fratres, quam modo audivimus de sancto Evangelio, ad elemosynas faciendas nos hortatur, & sic hortatur, ut in iudicio suo Dominus has solas factas imputet dextris, has solas factas imputet sinistris: non quo cetera facta hominum vel bona, vel mala non veniant in iudicium: scriptum est enim, omnia ventura ad iudicium: & tamen non elegit Dominus noster Iesus Christus, prænuntians nobis iudicium suum futurum, unde nos admoneret, nisi solas elemosynas. Numquid dextris non erit dicendum, quia caste vixistis, quia res alienas non rapuistis, quia fidem meam usque ad sanguinem confessi estis? Omnia enim facta ista bona necesse est honorari in iudicio Iesu Christi. Rursus putatis non esse dicendum sinistris, quia fuistis impudici, quia fornicati estis, quia res alienas rapuistis, quia superbia vestra, & malis moribus nomen meum blasphemari fecistis?

Et cetera queque enumerat; tacet tamen Dominus noster, prænuntians nobis iudicium suum, omnia cetera recta facta iustorum, & solas elemosynas commemorare dignatus est. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem elemosynæ increpandam esse indicavit, non nisi ad nos commoneandos. Quare hoc? Quia omnia crimina elemosynis redimuntur. Ideo illam laudavit fecunditatem, istam culpavit, & damnavit ariditatem. Sed audistis, omnia malefacta elemosynis redimi. Nolite sic intelligere, ut intelligunt quidam perverse. Elemosyna enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaveris. Si autem in eisdem malis perseveraveris, elemosynis tuis non corrumpes iudicium Dei. Item serm. XII. de tempor. Certe videtis quod in lectione evangelica nihil aliud Dominus nominaverit de universis virtutibus, nisi solam elemosynam, que cum caritate operatur. De ramis tacuit, radicem tantummodo nominavit, ita dicens: Venite benedicti, percipite regnum. Esurivi enim &c. Item exposit. in Psalm. XLV. Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea, & rubigo exterminant, & ubi fures effodiunt, & furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in celo. Venite cum muneribus, date elemosynam, & omnia munda sunt vobis. Venite cum muneribus ad eum qui dicit: Misericordiam volo magis quam sacrificium. Item serm. LXII. de tempor. Pro eo tamen quod non potest ieiunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata que non potest ieiunando curare, possit elemosynas dando redimere. Bonum est ieiunare, fratres; sed melius est elemosynam dare. Si possibilitas non fuerit ieiunandi, elemosyna sufficit sibi sine ieiunio; ieiunium vero sine elemosyna omnino non sufficit.

XIII. Ceteros Patres silentio prætereo, quod omnes eadem voce loquantur. Quare, ne nimia molestia lectorem afficiam, que ex Scripturis, & Patribus descripsi, in pauca contraham sequenti capite.

## CAPUT VII.

Rationes quas ex Scripturis, & Patribus D. Thomas colligit, ut præceptum elemosynæ ad fidem pertinere ostendat, paucis exhibentur.

I. I. Taque D. Thomas 2. 2. qu. XXXII. art. 5. hæc promittit rationum momenta, quibus elemosynarum mandatum confirmet. Prima hæc est. Evangelium Iesu Christi æternæ poenæ illos damnat qui elemosynas dare pauperibus negligunt. Ite male-

dedisti in ignem æternum. Esurivi, & non dedisti mihi manducare. Matth. XXV. Nemo autem damnatur propter omissionem operis quod lege præcipiente imperatum non sit. Præceptum ergo elemosynæ fateamur necessum est. II. Illa in mandatis nobis sunt sine quibus caritas christiana consistere nequit. Porro caritas hæc ardere in cordibus nostris minime valet, nisi indigenti pauperi subsidium conferamus, teste Apostolo Ioanne Epist. I. cap. III. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & claverit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo? III. Præceptum istud declarant tum Scripturæ sanctæ, tum sanctorum Patrum textus, quos adduxi. IV. Accedit denique ratio ipsa naturalis, quam supra exposuimus, queque confirmari ratione thelogico potest. Elemosyna est actus caritatis media misericordia. Sed caritas, ad quam pertinet non solum velle bonum proximo amore affectivo, verum etiam amore efficiente, & operante, est sub præcepto. Ergo & elemosyna. Cum dilectio proximi (inquit Angelicus) sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud Ioan. I. cap. III. Non diligamur verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicuius, requiritur quod viis necessitati subveniamus, quod fit per elemosynarum largitionem. Et ideo elemosynarum largitio est in præcepto.

II. Quæ obici solent, seipsis omnino evanescent. Ex illo enim Danielis IV. Consilium meum Regi placeat: peccata tua elemosynis redime: nihil infertur adversus catholicam veritatem. Quoniam ibi S. Propheta vim præcepti non explicabat; sed Nabuchodonosori suggerebat remedium, quod Deum elemosynis placaret. Quemadmodum si peccatori animam agenti dicerem: Consilium meum tibi arrideat: animam tuam penitentia sincera a sordibus munda scelerum: non propterea inferri hinc legitime quisquam posset, penitentiam non esse iuris divini. Consilium ergo est illius qui remedium suggerit; non Dei, qui tale opus iubet, imperatque, ut demonstrevimus.

## CAPUT VIII.

Collatio doctrinæ quorundam recentium Theologorum cum doctrina Christi Domini, & SS. Patrum. Excusationes quibus elemosyna præceptum eludi solet, Patrum responsis repelluntur.

I. A. Nequam pressius subtilissimas quæsiunculas quas recentiores Theologi hoc de argumento instituerunt, expendere aggredior, pauca præfari lubet: istorumque inventa cum Christi Domini oraculis, Patrumque sanctorum doctrina comparare operæ pretium existimavi. Hæret animus, ac summo percellitur terrore, cum pericula illa gravissima quibus obnoxios esse divites, Christus tam frequenter, tamque severe inculcat, serio perpendo. Plangere divites admonet, ululare, tritari, ingemiscere. Damnationis laqueos illorum vocat divitias, aternæque salutis impedimenta. Ubique sere divites alloquens inlamar: *Vae vobis divitibus: vae vobis, quia habetis consolationem vestram; vae vobis, quia lugebitis, & æstibitis. Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei.* Luc. cap. VI. & XVIII.

II. Hæc altius dum Patres expendunt, ferventis zeli spicula in divites vibrant, ut eos ad elargiendas in pauperum subsidium divitias suas permoveant, inducantque. Clamant, inlamarque, solas elemosynas in extremo iudicio commemorandas, tanquam pretium infinite mercedis, solamque elemosynarum omissionem increpandam, ceu crimen cui æternum debeat supplicium. Serio ergo, pavidoque spiritu paululum reputemus damnatum iri divites, etiam si avari, raptores, iniusti usurarum exactores, adulteri, fornicatores non fuerint, ob hoc solum fortasse quod divitiis vel iuste partis abusi sint quod illarum partem pauperibus non erogaverint, quod plus nimio easdem adamaverint. *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Psal. LXXV. Divitiarum servi, & mancipia a Deo vocantur divites, quia pauci sunt qui divitias ut domini possideant, ut domini eisdem utantur, & ut domini illas in usum a Deo præscriptos distribuunt. Hinc colligunt Patres, non quidem divitum salutis impossibilitatem, sed difficultatem quam maximam.

III. Quam Scripturæ sanctæ, Patrumque doctrinæ maxime adferentur recentiorum quorundam Theologorum inventa, opus haud est multis ostendere. Generatim nunc quædam indicabimus, plura infra singillatim explicaturi. Pauperibus iuxta atque divitibus latam deficiendi viam quidam aperiant. Potestatem egenis faciunt furandi in gravi, nedum in extrema necessitate. Divitibus animos adiciunt supervacanea retinendi: quoniam licet superfluant illis bona statui præfenti, altiori tamen gradu in futurum comparando necessaria sunt. Hic colligunt vix in familiaribus divitibus superflua reperiri. Ex quo consequitur vix illos præcepto eleemosynæ urgeri, cum ad solam superfluum erogationem teneantur. Hæc interpretamenta idcirco se excogitasse inquirunt, quia alioquin pauci divites salutem consequerentur. Absurdum reputant, si dicatur paucos divites salvandos fore, eo quod pauperum egestatem, miseriaque, suarum divitiarum subsidio levare omittant. Porro qui hæc conciliari cum Scripturæ sanctæ, Patrumque documentis possunt, ceteri iudicent. Isthuc ego transcribam quod Dominicus Soto in suo libello inscripto *Causa pauperum* cap. VIII. scribit: Theologi scholastici, ne divites vehementer perterrefacere videantur, multa comminiscuntur, antequam sub peccato mortali homines ad eleemosynas obligent; nempe quod habeant superfluum, quod pauperes graviter indigeant, aliaque huiusmodi. . . . At ubi sanctos Patres attentus lego, existimo quod neque in pauperibus tam gravem necessitatem, neque in divitibus tantam super statum redundantiam desiderabant, ut sub pœna peccati mortalis eleemosynas exigerent: immo vix forte credebant esse hominem, si pauper ipse non esset, qui non aliquid haberet quod erogare teneretur.

IV. Prætextus, excusationes, fuscque omnes quos in præfens obtrudunt, olim quoque allegarunt divites, divitiarum plus iusto cupidi. Illos singillatim confutarunt Patres, neglectis recentiorum quorundam distinctionibus. Primum divitum effugium est privatio superfluum. Porro superfluum, quod est eleemosynæ materies, dempto, evanescit eleemosynæ præceptum. Plures distinctiones excogitatæ sunt, quibus excusatio isthæc divitum honestetur. Contra vero Patres perquam raro eas admittunt; immo absolute eas improbant.

V. Allegatum prætextum hoc responso confutat Augustinus enarratione in Psalm. cxlvii. *Multa autem superflua habemus, si*

*non nisi necessaria teneamus. Nam, si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quarite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. . . . Quarite quæ sufficiant, & videbitis quam paucæ sint. Vidua suffecerunt duo minuti nummi ad faciendam misericordiam, suffecerunt duo nummi ad emendum regnum Dei. . . . Quare quantum tibi dederit, & ex eo tolle quod sufficit. Cetera, quæ superflua iacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. Superfluum, quod se habere divites pernegant, ubi repositum habeant, ostendit D. Ioannes Chryostomus homil. xi. in Epist. Pauli ad Rom. *Rapina, atque avaritia incumbis, non paupertate pressus, non fame te ad id impellente; sed quo equi tui frenum, domus tectum, columnarum capita copiose inaurantur. Hoc ipsum vero quantum gehennam meretur, cum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eo usque a Domino honoratus est tuo, in infirmitas calamitates præcipitem agis, ut lapides, & domus tuæ pavimentum, ut animantium ratione carentium corpora exornes? Tene tam sollicitam alendi carnis curam gerere, hominem autem, seu verius dicam Christum ipsum propter canem ad summam famem adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac iniquitate letalius? Quot tandem igni fluvii at huiusmodi animam depascendam satis esse possunt? En qui ad Dei similitudinem expressus est, pannosus, indecorusque iacet per tuam inhumanitatem; multi autem uxorem tuam portantes, tum autem pelles, & ligna, quibus tectum illud tectum, multo auro splendescunt, ac si sedile, ac scabellum conficiendum est, ubique aurum, ubique argentum; Christi autem membrum, is propter quem Deus de celo ad nos descendit, sanguinemque pretiosum effudit, avaritia tua ne necessarium quidem cibum habet? Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt; sanctorum vero corpora vel necessario operculo carent; ac tibi minoris fit ipse Christus quam muli, quam lectus, quam sedile, quam scabellum.**

VI. Altera divitum excusatio, quam obtrudunt, ut se eleemosynæ exercendæ debito solutos ostendant, est eorum paupertas. Et nos, inquirunt, pauperes sumus. Quibus sic respondet D. Basiliius hom. vi. ex variis. *Unam tantum nostri vocem: Non dabo, non habeo: nam & pauper ego quoque sum. Pauper, inquam, caritate pauper, benignitate*

in

*in indigos pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe. . . . Dixeris: Cui facio iniuriam, si mea retineo? Quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad traducendam presentem hanc vitam invexisti? Non ne nudus ex utero matris excidisti, nudusque rursus reverteris ad humum? Præfatam divitum excusationem latius explodit Augustinus pluribus in locis. Serm. lxi. de temp. sabbat. post dominic. in quinquag. hæc scribit: Sed quis se poterit excusare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigide dixerit? Ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut certe dicere, se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere. Denique & quam beatum Prophetam, fratres carissimi, Dominus ita hortatur, & admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit qui se valeat excusare. Sic enim ait: Frange esurienti panem tuum. Non dixit ut integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet: sed frange, inquit; hoc est dicere: Etiam si tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue. . . . Si aliquis ita pauper est, ut non habeat unde tribuat pauperi cibum, vel in uno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum. Quid ad hæc dicturi sumus, fratres, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas, & spatiosas domus habentes, vix aliquando dignamur suscipere peregrinum, ignorantes, immo non credentes, quod in omnibus peregrinis Christus suscipitur?*

VII. Tertia divitum illusio qua sibi blandiuntur, est cominentitia quædam voluntas qua constituunt plura mortis tempore se pauperibus legaturos fore. Quod inane commentum reiicit D. Basiliius hom. vii. cont. divites. *Sed, inquis, ego quidem bonis, dum vixero, frui volo; post mortem vero in testamento heredes facultatum mearum, ac dominos pauperes adscribam. Heu miser! Tunc benignus, ac liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? Cum te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? Scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur, aut gratia, si in sepulcro iacens, & in terram conversus, magnificus ac sumptuosus apparebis. Dic, cuius mercedem temporis potissimum exposces, vite ne, an mortis? Nam si tempore quod ad promerendum datur, in voluptatibus absumpto, pauperes nequaquam respexisti, mortuus cuiusnam actionis, aut operis mercedem petiturus es? . . . Atramento, & tabulis pulchra ope-*

*ra, & commendanda gerere studes? Quis exitus tui tempus nuntiabit? Quis de mortis genere sponsor? Quot videmus repentino, ac vi, casuque extingui, qui præ doloris, & spiritus angustia nec vocem quidem emittere potuerunt? Quot etiam febris a sensu alienos fecit? Quid igitur tempus expectas, in quo sæpe rationis tue compos non eris? Enimvero nox profunda, morbus gravis, nullus circa adiutor: immo qui hereditati insidiatur, paratus aderit, omnia tantum quæ ad eius faciendam usum adhortans, ac tua irritare consilia quaerens. . . . Quod si nihilominus contigerit ut & verbo, & scripto res tue palam mandentur, una tantum transposita littera, unum non probe appositum signum, totam sententiam mutare, ac irritam facere valebit. Duo item, aut tres improbi testes totam hereditatem in alios convertent.*

VIII. Quartus prætextus quo divites velare crudelem avaritiam solent, est in filios amor. In horum futura commoda, & exaltationem thesaurizare licite posse divites sibi adulantur. Hanc illusionem sic propulsat Augustinus Lib. de decem chordis cap. xii. *Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis, inquis, meis servo. Magna excusatio, filiis meis servo. Videamus. Servat tibi pater tuus; servas tu filiis tuis; filii tui filii suis, & sic per omnes; & nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potius impendis omnia que te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit, & ex his qua fecit, ipse pascit & filios tuos. Neque enim melius committis filio patrimonium tuum quam Creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines. Mala est, inquirunt, avaritia. Palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare homines quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerumque contingit, dicitur de quodam: Quare non facit eleemosynam? Quia servat filiis suis. Contingit ut amittat unum. Si propter filios servabat, mittat post illum partem suam. Quare illam tenet in sacco, & illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. Mortuus est, inquit. Sed præcessit ad Deum: pars ipsius debetur pauperibus: illi debetur ad quem perrexit: Christo debetur, ad ipsum enim perrexit: & ille dixit: Qui uni ex minimis meis fecit, mihi fecit; & qui uni ex minimis istis non fecit, mihi non fecit. Sed quid dicis? Servo fratribus ipsius. Si viveret ille, non erat cum suis fratribus diviturus? O fides mortua! Mortuus est enim filius tuus. Qui quid dicas, mortuo debes quod*

viro

vivo servabas. Mortuus est filius meus; sed tamen partem filii mei servo fratribus ipsis. Si credis quia mortuus est; si pro illo Christus mortuus non est, mortuus ipse est. Si autem in te fides est, vivit filius tuus. Vivit profusus; non decessit, sed precessit. Qua fronte venturus es ad filium tuum qui precessit, cui precedentem non mittis partem suam in calum? An non potest mitti in calum? Potest profusus. Audi ipsum Dominum dicentem: Theaurizate vobis thesauros in celo. Si ergo ille thesaurus melius est custoditus in celo, numquid tunc mittendus non est filio tuo, quando si missus fuerit, non peribit? Tenebitur hic, ubi potest perire; non mittitur illuc, ubi Christus est custos? . . . Videtis, fratres, quia mendacium est: fratres mei, mendacium est: avari sunt homines. . . . Quanta donatis venatoribus, quanta turpibus personis, quanta donatis eis qui vos occidunt?

IX. Hunc eundem pretextum convellit D. Basilius hom. VII. in ditescentes. Dic mihi, queso, cum Deum orasti pro fecunditate, cum precatus es ut feres liberorum pater, ad didisti ne illud: Da liberos, ut causa sint ne preceptis tuis obediam: da mihi liberos, ne veniam in regnum celorum? Præterea quis tibi spondiderit de ipsorum voluntate, ac ingenio, quod datis, relictisque recte sint usuri? Nonne multis opes sunt causa luxurie? An non audisti Ecclesiastem dicentem: Vidi stultitiam multam, & gravem, divitas in malum custodientibus ipsas converti: & rursus: Relinquo ego heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit? Considera igitur ne opes multis cum ærumnis cumulatatis relinquendo, peccandi materiam aliis suppedites, duplici poena postmodum plectendus, & tuorum scilicet criminum causa, & aliorum, quibus delinquendi materiam præbueris.

X. Quinta divitum deceptio est nimia cogitatio de crastino; quam deceptionem expendit, & refutat Augustinus ser. XLIII. de diverbis. Avaritia dicit: Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat quantum putat avaritia; non quantum ostendit, non quantum docet, non quantum fudit, sed quantum putat, vixerit, senuevit, finit: adhuc senex, incurvus, baculo immixtus, lucrum querit, & audit avaritiam dicentem: Consule in posterum. In quod posterum? Iam expirans loquitur: Propter filios tuos, inquit. Utinam vel illos senes habeamus non avaros, qui non habent filios: etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nulla pietatis imagine excusantibus, non cessat avari-

tia dicere: Consule in posterum. Divus Hieronymus epif. CXXXIX. Nihil ita decipit humanum genus, quam quod, dum ignorant spatia vita longa, largiorem sibi seculi huius possessionem reprovittant. Unde & illud egregie dictum est, nullum tam senem esse, & sic decrepita ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur.

XI. Ultimo loco divites opponere consueverunt pauperum vafritionem, figmenta, dolos, artes, quibus vulnera, & infirmitates simulant. Quam exultationem peracute in divitum crudelitatem retorquet D. Ioannes Chrysostomus hom. XXI. in Epif. ad Rom. vel hom. XXXVII. ad popul. Etenim si simulat exinopia, & necessitate, simulat propter crudelitatem tuam, & inhumanitatem, huiusmodi personarum simulationibus egentem, quæ nulla commoveretur misericordia. Itaque simulatio illius tunc est inhumanitatis præco. Dum enim rogans, & supplex, & miserabilibus verbis, & anxius, & lacrymans toto die circumeundo mendicans, ne necessarium quidem victum comparat, fortasse hanc artem invenit, quæ non tantum illi, quantum tibi affert ignominiam, & culpam. Nam si facile moveremur, numquam sane ille eiusmodi sustinere eligeret. Et quid nuditatem, & tremorem memoro? Dicam, quod longe horribilius est, quod nonnulli suos cecare filios ætatis florem agentes, coacti sunt. . . . Siquidem cum sensu visus fruentes, & nudi circummendicantes, neque ætate, neque calamitate, inhumanos, atque immisericos moverent, tantis malis aliam addiderunt calamitatem, & quidem maiorem: & ut famem linirent, levius fore arbitrati sunt hoc communi lumine, & solaribus radiis, omni humano generi concessis, privari, quam perpetuo cum fame pugnare, & miserissima morte perire. . . . Alii quidem sine calceis incedunt, alii capiti acutos clavos infingunt, alii per ipsum gelu nudo corpore mendicantes petunt, alii etiam his graviora ferentes, miserabile de se præbent spectaculum. . . . Quomodo autem dicis: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: cum tu non secundum magnam misericordiam miserearis, fortasse neque secundum parvam?

### CAPUT IX.

De tempore quo elemosynæ præceptum urget. Difficultates quæ extremam necessitatem spectant, resolvuntur.

I. Præcepta omnia quæ adfirmantia nuncupantur, semper, sed non pro semper,

per, ut aiunt, astringunt. Tempora definita habent, quibus onus solvendum imponunt. Egrestatis tempore elargiendæ elemosynæ præceptum urget. Triplicem necessitatis gradum Theologi distinguunt, extremæ, gravis, communisq. Extrema est, cum pauper in proximo, seu in probabili vitæ periculo versatur. Animadvertit D. Thomas in IV. dist. xv. quæst. 2. art. 1. quæstionc. 4. ad 4. non esse expectandam extremam penuriam, sed subveniendum esse, cum apparent signa probabilis extremæ necessitatis futura. . . . Non enim expectanda est ultima necessitas: quia tunc forte non possit iuvari, natura iam fame, vel siti consumpta. Ad hanc necessitatem attinet periculum perpetui carceris, mutilationis, & incurabilis morbi. Necessitas gravis est, quando grave damnum homini imminet in honore, vita, statu, aut re domestica. Communis est, qua premuntur pauperes ostantim stipem emendicantes. Huic triplici necessitati tria opponuntur bonorum genera. Alia sunt necessaria alendæ vitæ nostræ, & illorum quorum cura nobis incumbit. Alia statum, conditionemque spectant, quatenus sine eiusmodi bonis non potest homo propriæ conditionis gradum sustinere. Quæ quidem bona duplicis sunt generis. Quædam ita necessaria sunt, ut sine eisdem a suo statu quisque excideret; quædam vero ad status decorem, & decentiam pertinent. Postrema tandem non necessaria; sed superflua vel vitæ, vel statui, aut utriusque reputantur. His prænotatis, sequentibus quæstionculis rem totam dispiciemus.

II. Quæst. I. Præceptum elargiendæ elemosynæ obligat ne extrema, vel quasi extrema necessitatis tempore? Resp. Communis sententia est, tunc divites teneri opem pauperibus ferre. Quoniam datur præceptum elemosynæ: ergo interdum astringit; alioquin supervacaneum mandatum foret. At nullo tempore urgentius obligare potest quam necessitate extrema occurrente, vitæque proximi periclitante.

III. Quæst. II. Tenetur ne tunc dives extreme indigenti succurrere, nedum ex superfluis, verum etiam ex necessariis statui? Resp. Convenit inter omnes, succurrendum esse pauperi extrema laboranti penuria ex superfluis statui. Dissident vero Theologi, cum ex necessariis proprio statui servando levanda foret ultima indigentis miseria. Nam alii affirmantem, alii negantem partem defendunt: & plures satis implicite hanc quæstionem versant. Facile tamén utriusque par-

tis documenta conciliantur, si vera a falsis fecernamus. Itaque ut paucis rem totam expediam, dico, neminem teneri ex nobili plebeium, ex divite mendicum fieri absolute loquendo, ut succurrat extreme indigenti. Nec officit quod vita corporea quid præstantius sit ipso divitum statu, & honore, atque adeo præferenda. Quamquam enim id absolute verum sit; si tamen vita privati pauperis, & divitis status cum publico Reipublicæ bono comparentur, oppositum apparet. In maius namque Reipublicæ bonum cedit divitum status, quam pauperis vita. Accedit quod nemo tenetur tolerare brachii, aut alterius membri abscissionem, ut vitam servet; quamvis hæc maius bonum sit quacumque corporis parte. Nec quis astringitur ut famam, honoremque proiciat pro vita tuenda. Quid quod neque ad curandam propriam infirmitatem divites astringuntur omnes opes impendere, atque in mendicitatem se se conicere? Cum igitur amissio minoris boni seiungi nequit ab ingenti, & extraordinaria difficultate; nemo ad eiusmodi iacturam obstringitur, ut maius bonum servet; potissimum si omnia sint eiusdem ordinis. Divites æque, ac pauperes in istius mundi teatro Deus sua providentia constituit. Inverteretur providentiæ ordo, si divites, nobilesque deserere proprium deberent gradum, quo pressis egestate pauperibus opem ferrent. Sed quid operam ludimus in hac confirmanda sententia, quæ metaphysica est, quæque in praxi vix occurrit? Quando nam tanta divitiarum copia opus est ad tollendam pauperis extremam penuriam, ut necesse sit nobilem evadere plebeium, divitemque mendicum? Rarissima hæc sunt, & fere commentitia. Ea ergo dicamus quæ obvia occurrunt, & quæ divites sæpius fallunt.

IV. Cum aliquo proprii status detrimento astringuntur divites ad opem ferendam pauperibus extreme indigentibus. Hæc communis Theologorum sententia est. Quandoquidem eiusmodi status diminutio non affert extraordinariam difficultatem, neque Reipublicæ bono officit. Alias vero vita pauperis, in extremo, aut quasi extremo periculo constituta, cum sit maius bonum, præferenda est huic status decremento. Tenentur ergo divites, & nobiles famulorum, & equorum numerum minuire, vestium valorem, conviviorum lautitias, aliosque plures sumptus restringere, quos ad propriæ conditionis ornatum, decoremque impendere solent, ut pauperibus extreme indigentibus succurrant.

V. Quæst. III. Numquid cum gravissimo status



status detrimento subveniendum est extreme indigenti? Resp. Prudentia christiana, & evangelica opus est. Vix, ac ne vix quidem, certa præscribi regula potest. Communiter divites erigere ab extrema inopia pauperes valent, quin aliquod incommodum patiantur. Compescant ipsi avaritiam, superbiam, ambitionem, & continuo absque ullo propriæ conditionis detrimento pauperibus succurrant. Sed pressius quæstioni respondendum est. Gravissimum status detrimento fere æquiparatur eiusdem iacturæ. Dicitur autem est, præceptum eleemosynæ cum proprii status amissione haudquaquam obligare. Igitur neque cum gravissimo detrimento. Ceterum communiter absque tali detrimento gravissimo sublevatur pauperum egestas.

VI. Quæst. IV. *Impendenda ne est summa gravis, puta octo, aut decem mille aureorum, si divites longe hanc pecuniam quantitatem superent, ad liberandum innocentem a latronibus interficiendum?* Resp. P. Thomas Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap. 1. num. 12.* docet, pauperem in extrema constitutum necessitate posse similem pecuniæ summam a divite surripere, eo quod in eventu extremæ egestatis omnia sint communia. Qua ratione probabile illi est etiam divitem tunc teneri ad eandem summam erogandam. Sed quia opposita sententia probabilis est, ideo eam sequi dives potest, suamque pecuniam retinere. Probabilissimus iste tum pauperis, tum divitis conscientias implicat, suscipitque omnia miscet. Probabilitas hæc respectu tum pauperis, tum divitis commentitia est. In extrema necessitate omnia sunt communia quantum ad usum, secus quantum ad proprietatem. Porro usus iste prudenti distributioni subiacet. Licitum esse pauperibus, extrema fame, siti, frigore, ceterisque id genus incommodis obviis, & ordinariis languentibus, ea divitibus surripere quæ servandæ vitæ sufficiunt, nemo dubitat. Hoc quippe pactum tum in prima divisione rerum, tum postea, tacito gentium consensu adiectum est. Ceterum privilegium istud extendendum minime videtur ad eventus extraordinarios, & ex mera hominum malitia proficiscentes, quibus reparandis maxima pecuniæ quantitate opus est. Si licitum esset pauperibus octo, aut decem mille aureos divitibus rapere, vel furari, ut propriam vitam e Turcarum servitute, latronumque laqueis eriperent, omnia suscipere perverterentur, plurimæque gravissima incommoda in publicum permanerent. Quare nec dives similem pecuniæ summam erogare

tenetur, nec pauperi licet eandem surripere. Hæc nemine præeunte dixi. Libenter meliora audirem. Quæ mihi verosimilia videntur, scribo; sapientum tamen iudicio eadem submitto. Omnia in extrema necessitate esse communia, planum est: sed de externa necessitate quæ ex naturalibus causis confurgit, intelligendum existimarem; secus de extrema necessitate quam hominum pravitas inducit, & quæ insolita, & extraordinaria remedia deposcit. Quapropter communiter Theologi docent, divitem non altrungi ad emendas medicinas maximi valoris, medicos distantes advocare, opulentæque divitias insumere, quibus extremo morbo laborantibus succurrat: quæ extraordinaria remedia si pro vita propria servanda dives non tenetur adhibere, multo minus certe pro aliena.

VII. Quæst. V. *Tenentur ne divites captivos apud Turcas, aliosque infideles redimere?* Resp. Negat Hurtadus de Mendoza 2. 2. *dis. clx.* quia captivitas suapte natura non affert extremam necessitatem; cum quisque sine libertate, vitam degere valeat. Adfirmant plures alii, quos laudat Leander *tract. v. dis. III. quæst. xx.* Verum distinctione opus est. Et primo captivitas ex se grave malum est, ad quod tollendum plus minusve divites altrunguntur pro maiori aut minori divitiarum abundantia. Si captivitati iunctum sit aliquod grave periculum amittendæ fidei, aut vitæ, si captivus utilis sit Reipublicæ: tum gravior est divitum obligatio, quando hæc omnia illis perspecta sunt. Si captivorum redemptio maximam divitiarum summam exigeret; non auderem cuique diviti onus imponere similes captivos in libertatem redigendi. Hoc quippe onere divitibus iniecto, possent infideles extremis malis captivos torquere, Christianorumque opes brevi expilare. Spectandæ ergo sunt circumstantiæ omnes; & iuxta istarum diversitatem divites plus minusque obligantur.

VIII. Quæst. VI. *Astringuntur ne divites ex necessariis propriæ vitæ bonis optulari pauperibus?* Resp. Negant communiter Theologi. Quoniam vita propria alienæ præferri debet, & in pari necessitate ordo caritatis postulat ut quisque semetipsum diligat magis quam proximum. Ex superfluis ergo naturæ tantum liberandi sunt pauperes ab extrema miseria. Quid, si extreme indigens sit maxime Reipublicæ utilis? Teneri tunc divitem privatam, publico bono servando inutilem, ad eleemosynam elargiendam, docet communis sententia, eo quod bonum publicum privato ante-

anteponendum sit. Verum rarissime hæc contingunt. Nec facile liquido constare solet, hominem extreme indigentem adeo utilem esse Reipublicæ, ut pro illius conservatione innocentis vita immolari debeat. Missis itaque quæ aut nunquam, aut rarissime accidunt, ad ea quæ passim occurrunt, discutenda accedamus.

IX. Quæst. VII. *Satisfacit ne dives eleemosynæ præcepto, si extreme indigentem mutuo tribuat?* Resp. Adfirmant quidam Neoterici, quos refert, & sequitur P. Diana *Tom. IV. tract. VII. resolut. 4.* Ratio eorum est, quod impletur eleemosynæ præceptum cum extremæ necessitati pauperes subducuntur, quocumque id præstetur modo. Sententia quocumque id præstetur modo. Sententia negans communis est, atque vera. Quoniam eleemosynæ præceptum per se urget, estque a præcepto mutuandi distinctum. Si extrema necessitate premente mutuo quis præceptum adimpleret, evanesceret illius obligatio. Prætere in extrema necessitate iure natura omnia sunt communia, suntque pauperibus debita bona quibus ab ea penuria liberentur. Hinc peccaret dives, si onus pauperi imponeret restitutionis, cum meliorem is nactus sortem fuerit: nec pauper restitutioni esset obnoxius, etiamsi postea dives evaderet. Quæ enim extreme indigens accepit, sua erant, non divitis.

X. Quæst. VIII. *Quid si pauper in extrema constitutus necessitate alibi bona habet, impletur ne præceptum illi mutuando?* R. Adfirmat communis & vera sententia. Quippe eiusmodi pauper absolute extrema non laborat necessitate; quin nec pauper absolute est, sed tantum in hac circumstantia. Quapropter satisfacit præcepto, si ab hac liberetur miseria, & ad illum revocetur statum in quo valeat uti bonis suis. Similiter solvitur eleemosynæ pensum, si usus rei, non res ipsa concedatur; quando pauper usu tantum, non re ipsa indiget. Necessarius illi equus est ad mortem declinandam: sublato periculo, non teneris illi equum relinquere, cum eodem amplius opus non habeat.

XI. Quæst. IX. *Licet pauperi extremam necessitatem patienti aliena surripere?* Aiunt Doctores omnes id licere, si alia via pauper sibi consulere nequeat. Tum quia quisque iure summo potuit propriam vitam defendendi, atque adeo ea accipiendi quæ huic sua necessaria defensionis; tum quia dives altrictus est iure naturali, divinoque necessaria bona conferre; tum denique quod in extrema necessitate omnia sint communia. Quæ

tamen verum habet duntaxat, cum pauper nulla alia via se se a miseria ultima liberare valet. Nam si rogatione, si precibus divitis animum flectere possit, ut sibi succurrat, nequit clam bona auferre. Hoc nihilominus intelligendum est, si commode pauper porrigere preces valet, prudenterque confidat opem necessariam hac via se se a divite impetraturum. Quin, ut mea præfert opinio, omisso harum precum, & petitionis non videtur graviter noxia. Si enim in extrema necessitate omnia sunt communia, non est gravis culpæ damnandus ille qui nolit precari ut sua sibi dentur, sed eadem accipiat. Servandus tamen ordo iste est, dum commode potest, ut plura vitentur pericula, & potissimum iniuria divitis, qui, dum clam ipsi a paupere bona surripiuntur, in suspicionem venit inhumanitatis, quasi nolit ipse pauperi suppetias ferre.

XII. Quæst. X. *Tenetur ne dives ad restitutionem, si omittat eleemosynam pauperi impertire in extrema necessitate?* Resp. Quæstio isthæc non leve mihi facescit negotium. Duæ occurrunt Theologorum sententiæ, & in quam concedere debeam, non satis patet. Utriusque partis argumenta proponam, adfirmantis primum, deinde negantis. Adfirmantem sententiam defendunt Caietanus, Aragonius, Turcremata, Sarmiento, Petrus Hurtado *dis. clx. §. 23.* perdoctus Cardenas *tract. II. disp. xx. art. 2.* Quibus expresse favere videntur Patres, qui fures, raptoresque vocant divites illos qui succurrere pauperibus negligunt. Et primum iure naturæ in extrema necessitate omnia sunt communia, quemadmodum erant ante divisionem iure gentium inventam. Porro partitio bonorum facta minime fuit cum vitæ pauperum iactura. Sunt ergo propria pauperum bona nunc, sicut erant ante divisionem. Accedit quod pauperes extrema laborantes necessitate licite, valideque surripere valent quæ sibi sunt necessaria; nec dives impedire illos iure potest. Sunt igitur pauperes domini bonorum eiusmodi. Tandem iudex compellere divites divitiis superfluis affluentibus potest ut pauperibus subveniant: ergo etiam ante coactionem debito erogandi pauperibus tenentur divites. Quæ omnia confirmare videtur D. Th. 2. 2. *quæst. cxviii. art. 4. ad 2.* ubi explicans verba D. Basilii asserentis fures esse divites qui omittunt bona pauperibus impartiri, necessitate extrema urgente, hæc habet. *Ad secundum dicendum, quod Basilii loquitur in illo casu in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua*

*sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum. Porro iustitia spectat debitum istud legale, ut explicat 2. 2. quæst. lxxx. in corp. Debitum quidem legale est ad quod reddendum aliquis lege astringitur: & tale debitum proprie attendit iustitia, quæ est principalis virtus. Idem repetit q. cv. art. 1. ad 2. Retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale. Similia habet quæst. cix. art. 3. in corp. cxiv. art. 2. q. cxvii. art. 5. ad 1.*

XIII. Contraria sententia communior est. Eam propugnant Navarrus in *Man. cap. xxiv. num. 7. & 8. Torres 2. 2. disp. lxxxii. dub. 3. Vasquez opusc. de elem. cap. 1. dub. 5. Suarez disp. vii. sec. ult. de carit. Bonacina disp. iii. quæst. iv. de carit. punct. 6. num. 29. Leander disp. 2. quæst. xxvi. Castropalaus tract. vi. disp. 2. punct. 3. Franciscus Sylvius in 2. 2. quæst. xxxii. art. 5. & plures alii. Distinguunt isti duo bonorum genera, alia personalia, realia alia. Quod actiones personales vi iustitiæ debite pauperibus non sint, res videtur perspicua, minimeque dubia. Quisque enim suarum actionum dominus est; neque ob aliorum miseriam eorumdem dominium amittit. Quod pertinet ad bona realia, licet iure naturæ ante divisionem essent communia, facta tamen partitione, tua sunt, nec desinunt esse tua, propterea quod alii egent. Quid quod plures divites nihil de bonis communibus acceperunt; sed eorum divitiæ pecuniis constant, vestibus, ædificiis, ceterisque id genus, quæ sibi propria industria compararunt? Sola igitur caritate, & misericordia elemosynæ pauperibus debentur. Porro harum virtutum violatione nequaquam onus inducit restitutionis.*

XIV. Ad Patrum effata respondent, ipsos per quamdam exaggerationem locutos fuisse. Quæ interpretatio semper mihi displicuit, displicetque. Si quis dumtaxat Patrum furti, rapinæque damnaret divites qui opem pauperibus ferre recusant; toleranda utcumque esset interpretatio, quoties aliunde evidenti nitere ratione. Verum arbitrariæ exaggerationis postulare Patres, dum unanimi consensione divinæ legis præcepta explicant, & cum evidens in oppositum ratio non occurrit; res est, ut modeste loquar, plena periculi. Porro quod Patres hoc versantes argumentum, una voce furti reos declarent divites qui nolunt suffragari pauperibus, exploratum est atque compertum. Quod vero evidens ratio quæ oppositum evincat, præsto non sit, etiam pa-

ter ex iis quæ breviter in favorem prioris sententiæ indicavimus. Potissima quippe istius secundæ sententiæ ratio est, quod elemosyna actus sit misericordiæ, & caritatis. At hoc est quod in quæstionem vertimus, dum de extrema necessitate sermo est. Convenit inter omnes, tunc omnia esse communia, & pauperem, invito etiam divite, furripere bona sibi necessaria posse, neque ad restitutionem teneri; etiam si ad meliorem sortem, necessitate sublata, ascenderit. Sua igitur tunc accipit pauper. Si pauperis sunt, ergo iniuste illa detinet dives. Si iniuste detinet, ergo ad restitutionem tenetur. Dives divitiis affluens videt pauperem extrema fame interire; re ipsa pauper occumbit: remanet illius pauperrima familia, quæ istius hominis indultia sustentabatur, quæque gravissimum damnum patitur ex tali morte. Ego sane non audeam ab omni debito eiusmodi damna faciendi divitem solvere: quandoquidem dives revera retinuit bona quæ, nemine dissentiente, erant pauperis in extrema constituti necessitate. Si aliena retinuit, damna quæ inde profecta sunt, reparare astringitur. Id tamen intellige, cum dives hæc damna pravi det. Nec valde refert quod tunc bona sint pauperum quantum ad usum, non quantum ad proprietatem: nam pauperes re ipsa iure potiuntur illa accipiendi bona. Ergo istius iuris defraudatio iustitiam lædit. Neque officit quod elemosyna sit actus misericordiæ, quin, ordine servato caritatis, etiam ex iustitia debeatur: non enim isti duo tituli misericordiæ, & iustitiæ invicem pugnant; sed eadem res duplici titulo gravari potest, ut optime advertit Cardenas *loc. cit. n. 97.*

XV. Neque interpretatio qua explicat D. Thomæ auctoritatem, genuina videtur. Debitum legale usurpari ab Angelico Doctore contendunt, quatenus ex aliqua lege sive caritatis, sive misericordiæ, sive alterius virtutis debetur; minime vero quod iustitiæ vi debeatur. Verum id quod ceterarum virtutum lege debetur, debitum morale ab Angelico vocatur: legale vero quod iustitia præcipit, ut ex pluribus laudatis locis palam est. Reponunt, iustitiæ legalis violationem haudquaquam inferre restitutionis onus, nisi simul iustitia commutatrix, seu particularis lædatur. Et hoc verum habet, idque ipsum est quod Angelicus docere videtur: neque enim asserit vi iustitiæ legalis reddendum esse debitum; sed ait, debitum legale reddendum esse ex iustitia quæ commutatrix inter divitem & pauperem iure naturæ nixa nuncupari

pari potest. Nec est quod opponas, nullum inesse pauperibus adversus divites, quo compellere illos valeant ad impertienda bona. Quoniam licet hoc ius nulli determinato pauperi insidet, tamen in Principe, qui cogere divites potest ad eroganda superflua, necessitate urgente. Vide quæ scribit Caietanus 2. 2. quæst. cxviii. art. 8. ad 2.

XVI. Utriusque sententiæ argumenta recensui, sapientumque iudicio subiicio. Elemosynam in gravi, communique necessitate actum esse, non iustitiæ, sed caritatis, certa mihi sententia est. At cum de extrema necessitate quæstio vertitur, iudicium ferre non audeo. Prioris opinionis quæ pro iustitia pugnat, rationes validiores mihi apparent, Patrumque auctoritas magno mihi est argumento. Posterior opinio communior cum sit penes graves Theologos, rationibusque haudquaquam spernendis munita, id in causa est cur me a ferenda absoluta sententia abstinere; tamen si dissimulare nequeam probabilior mihi primam apparere. Res est momenti summi. Cavendum ne divitum conscientie plus iusto graventur; sed non minus verendum ne nimium laxentur. Scripturæ, Evangeliorum oracula, Patrum documenta adversus divites sibi thesaurizantes severissima sunt, atque gravissima, eorumdem pericula pandunt, inculcant, exaggerant. Recentiorum placita e contrario divitum aures demulcent, illorumque divitiis securitatem spondent. Quibusnam standum? Verum de hoc plura infra.

## CAPUT X.

*Licitum ne divitibus est retinere superflua statui presentii, ut ad alio rem statum ascendant? Quam falsa sit hec recentiorum doctrina: Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum, vel suorum, sive ad comparandum sibi, vel suis alio rem statum.*

I. Difficillimam quæstionem versandam aggredior. Vix Theologorum aliquis illam data opera enucleat; sed communiter omnes per transfennam de ea verba faciunt, & valde implexè loquuntur. Quapropter perspicue, & distinctè tractanda, quoad fieri potest, nobis est. Quod ut præstein, primum omnium quæ penes omnes certa esse debent, explicabo; deinde quæ dubia sunt, & incerta.

II. Quæst. I. *reperiuntur ne divites habent.* Conc. Theol. Tom. II.

*ees superflua? Resp. Sententia adfirmans certa est, & a nemine in dubium vocari potest, salva fide. Siquidem materia præcepti elemosynæ est superfluum divitis, ut Christus ipse testatur. Veruntamen quod superest, date elemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis: Luc. xi. vers. 41. Si divites superfluis bonis carerent, sublata esset præcepti divini materia. Porro materia deficiente, cesset ipsum præceptum necesse est. Igitur qui negant divitum superflua, ipsum divinum præceptum de medio tollunt, suntque in ipsum Deum blasphemii, quoniam commentitii mandati auctorem illum constituunt. Si enim desunt superflua, quæ distribuenda præcipit egentibus; ad id quod impossibile est, astringit. Numquid quod non est, distribui in pauperes potest? Improvidus ergo, unaque iniustus esset Deus, si onere erogandi superflua divitibus adiecto, hæc superflua illis non contulisset. Fateantur ergo divites oportet se habere superflua, seque gravissimo mandato illa elargiendi in pauperes obstrictos esse.*

III. Quæst. II. *Licita ne est statuum permutatio? Resp. Statuum, ordinumque distinctionem Deus ipse constituit. Pauper, & dives obviaverunt sibi. Duo contraria, sed duo sibi sunt necessaria, inquit S. Augustinus. Quemadmodum hierarchias, ordinisque varios distinguit Deus in empyreo; sic variis ordinibus mundum hunc ornare voluit, tum ad pulchritudinem universi, quæ rerum varietate mirabiliter splendet; tum ut pluribus visis possent homines æternam sibi comparare mercedem. Divites bona sua impertiendo pauperibus, caritatis, & misericordiæ officia peragunt: dilectionem, quæ christianæ professionis character est insignis, operibus ostendunt, & comprobant. Pauperes alimenta, & vestes a divitibus petendo, in humilitatis, & patientiæ evangelicæ virtutibus se se exercent. Verum, ne divites multum fiderent thesauris suis, neve eorumdem illecebris deciperentur, simulque ne pauperes perpetua penuria obruti animos desponderent; tali providentia præpotens orbis rector Deus hos status disposuit, ut nec iidem homines semper essent divites, nec iidem semper essent pauperes. Sed qui modo sunt pauperes, divites imposterum fient & qui nunc divitiis affluunt, pauperes evadent. Semper divites erunt, semperque pauperes, sed hoc ordine, & vicissitudine, ut nunc isti, nunc illi, prout supremo Provisori expediens visum fuerit, pauperum, vel divitum in hoc theatro personam gerant. Quibus constitutis tamquam certitudinis, sponte fuit respon-*

sio ad propositam quaestionem, licitam videlicet esse, divinaeque providentiae consentaneam statuum permutationem. Licet quippe est, atque honestum illud appetere quod divina nobis providentia propositum est. Non ergo rusticus semper rusticus, nec artifex semper artifex, nec mercator semper mercator, nec civis semper civis; sed perenni ascensu, & descensu ab omnibus indiscriminatum sedes istae occupandae sunt, prout supremus Provisor disposuerit. Modus tamen servandus, & ratio in istorum graduum assecutione, sicuti iam iam explicaturi sumus.

IV. Quaest. III. *Peccant ne divites, si omnia praesenti statui superflua retineant, ut altiore sibi comparent gradum?* Hic est nodus dissolvendus, hic cardo vertitur difficultatis. Ascensum ad altiore statum licitum propugnativimus. Ut superflua distribuatur pauperibus, Christus iubet. Qua ergo ratione haec simul conciliari valent? Neque enim altior gradus acquiritur, nisi bonis quae supersunt gradui inferiori. Si haec expendantur in acquisitione maioris dignitatis, pauperibus non erogantur iuxta divinum mandatum.

V. Ut haec omnia claro in lumine constituentur, duo animadvertenda veniunt. Alterum, quod altior status duplicem habere possit sensum. Primo intelligi valet, cum homo sit ditior plures congregando divitias, fundos, census, bona tum mobilia, tum immobilia multiplicando. Secundo per transitum ad altiore ordinem civis, nobilitatis, marchionis &c. Alterum, quod appetitus divitiarum, dignitatum, graduum suapte natura infinitus sit, nulloque limite definiatur; sed pecunias pecuniis accumulare gestiat, & gradibus gradus adiacere. Hanc porro appetitionem malam esse, utpote nullo coercitam sine, nemo est qui neget. Ut igitur appetitio isthaec licita efficiatur, recto, honestoque sine circumferri, & moderari debet. Quisnam porro sit hic finis, quinam termini, infra quos coercere divites debeant appetitiones suas, explicatu difficillimum est. Divitiae instrumenta reputantur quibus vitae istius naturalis felicitas, si qua tamen est, comparatur. Prosperitas vero huius vitae maior, aut minor in moderata bonorum affluentia elucet. Quapropter ille felix vulgo dici solet qui, sua spectata conditione, congruas possidet divitias, altioreque sedem tenet. Quemadmodum autem graduum, ac statuum diversitatem Deus constituit; sic diversam indidit hominibus habitudinem, talenta, intelligentiam, industriam, capacitatem, ceteraque do-

na, quibus altiore, inferioreve sedem occuparent. Simplicem militem instruxit fortitudine, qua in bello praecleara facinora aggreddi valeat ad superiores ascendere gradus. Sapientiam, penetrationemque alteri donavit, qua populorum regimini praeficeretur. Artifices, mercatores, alique similes industria, solertia, prudentiaeque pollent. Hi omnes non possunt modo, verum etiam debent eiusmodi facultates, ac virtutes exercere, negotiari, quibus se dignos reddant ad adipiscendos gradus, dignitatesque sibi, suaeque habitudini consentaneas. Haec omnia licita sunt, & honesta; cum istius ordinis varietas a Deo sit constituta, ut dictum est supra, sitque humanae Reipublicae necessaria. Sicuti enim partes, & membra quae corpora componunt, alia validiora, alia imbecilliora, alia media sunt; ita civile Reipublicae corpus necessario indiget civibus, aliis opulentis, qui illius onera, & dispendia sustinere; aliis qui inservire, & infima officia peragere valeant. In his tamen assequendis gradibus moderatione opus est, & freno valido cohibenda sunt desideria, & appetitus, ne in infinitum astraent, omnesque limites transilire contendant. Lubet isthuc transcribere egregiam Cardinalis Caietani doctrinam ex 2. 2. *quaest. cxviii. art. 1.* „ Oportet ergo „ pecuniam & appeti, & amari, & haberi men- „ surate, quantum scilicet opus est ad finem. „ Finis autem proprius in unoquoque, propter „ quem divitiae sunt secundum rationem re- „ ctam, est propria uniuscuiusque vita secun- „ dum suam conditionem; ita quod in vita „ propria intelligatur etiam eorum vita quo- „ rum sibi cura incumbit. Et appellatio „ vitae intellige non solum cibum, & potum, „ sed quaecumque opportuna, commoda, & „ delectabilia, salva honestate. Ultra hunc „ autem finem non sinit recta ratio appeti, „ aut haberi divitias, nisi propter alios, puta „ propter liberalitatis, misericordiae, aut ma- „ gnificentiae opera, & si quid est huiusmo- „ di, ubi etiam apparet mensura appetitus ex „ sine. Unde appetere divitias in infinitum, „ & sic amare, aut velle habere, a recta „ ratione deviat. Et propterea negotiatio „ propter solum lucrum, utpote infinita, vi- „ tuperatur a Philosopho in *I. Polit.* Sunt „ igitur hic duo indubie vera. Primum est „ quod amor pecuniae debet esse mensuratus „ homini, quoad se quidem secundum con- „ ditionem suam, quoad alios vero iuxta „ opera virtutum. Secundum est quod appeti- „ tus in infinitum pecuniae est illicitum, ut-

pote

„ pote a recta ratione discordans. *Dubium* „ *autem restat, quid dicendum de appetitu* „ *mutare volentium statum ex cumulatione pe-* „ *culniae superfluae praesenti eius conditioni.* Et „ dicendum videtur, quod conditio hominis „ est duplex: una consequens speciem hu- „ manam, & altera consequens individua. „ Species siquidem humana ex eo quod pre- „ sentis felicitatis capax est, rationi consenta- „ neum esse constituit ut quilibet eoque sei- „ psium, suosque ducere conetur, ut felicitatis „ vitae praesentis particeps esse possit. Et „ quia ad felicitatem praesentem divitiae, licet „ non magnae, requiruntur organice, ut „ dicitur in *X. Ethic.* idcirco absque immo- „ derato pecuniae amore potest seipsum & „ suos reducere de operum servilium, me- „ chanicorumque, nec non negotiationum „ necessitate, & moderatas divitias acquire- „ re, quatenus felicitatis praesentis, quae se- „ cundum virtutis supremae exercitationem „ est, particeps esse possit secundum suum „ modulum. Singulares autem personas mul- „ tas ab intrinseco donatas conspicimus qua- „ dam sapientia aut a natura indita, aut ex- „ ercitatione comparata, seu aucta, ita „ quod inter homines velut aliorum domini „ nati, vel facti sunt, quamvis domini non „ sint. Et quia his naturali aequitate debetur „ regimen aliorum; idcirco si isti appetunt „ dominium, si ad hoc cumulant pecunias, ut „ dominium temporale emanent, ut cuiusque de- „ cet sapientiam, a rationis rectae tramite „ non recedunt. Et simile est iudicium de „ aliis virtutibus quibus homo idoneus reddi- „ tur ad mutandum statum; puta cum quis „ ad fortitudinis actus praeclearos, experientia „ teste, in bello conspicitur praeparatus, pro- „ pterea dignus sit praesse aliis. In omnibus „ enim huiusmodi mensuratur appetitus pecu- „ niae ex vita hominis secundum suam con- „ ditionem, ut patet. At si quis sufficienter „ dives pro naturali felicitate consequenda „ ex solo appetitu ascendendi, & gloriae, cu- „ mulat pecunias praesenti suae conditioni su- „ perfluas, proculdubio immoderato fertur „ amore; sicut illi qui solo amore lucri ne- „ gotiantur. Utriusque tamen appetitus sine „ fine est, quoniam tam ascendere, quam „ lucrari, absolute sumpta, termino carent. „ Et sicut non sic contingit appetentibus lu- „ crum propter opportunitatem vitam suae fa- „ miliae, aut necessitatem patriae, quia men- „ suratur eorum appetitus ex bono oeconomi- „ co, aut politico; ita non sic accidit illis „ de quibus praedictum est, quod cumulant

„ pecuniam, ut habeant superiore statum „ consonum suae virtuti. Mensuratur quip- „ pe horum appetitus ascendendi penes quan- „ titatem suae virtutis. Et propterea isti post- „ quam ascenderint ad gradum suae virtuti „ consonum, puta comitatum, quiescent, „ & non cumulabunt iterum, ut ascendant „ ad regnum, utpote excedens virtutem suam. „ Qui vero sola libidine ascendendi, & glo- „ riae cumulant, cum aliquid nacti fuerint „ dominii, iterum cumulant, ut ad altiora „ ascendant, & sic in infinitum. “ Haeste- „ nus Caietanus.

VI. Ex his omnibus colligas velim tria. Primum, pecuniarum cumulationem ex sola libidine, & ambitione occupandi altiore gradum, illicitam esse, malitiaeque plenam. Alterum, quod appetitio graduum, & dignitatum, nullo praescripto limite, nullaque propriae virtutis, & capacitatis consideratione habita, itidem culpabilis est, scelerumque scaturigo. Tertium, ut ascensus praefatus honestus sit, finem honestum iam indicatum, terminos qui naturae donis respondeant, spectare debet. Si ergo omnes qui superbia, ambitione, avaritiaeque astantes nihil praeter lucra, gradus, dignitates, imperandique potestatem somniant; qui spem suam non in praeclearis gestis, non in operum honestate, virtutumque exercitio collocant, sed folis pecuniis conquirendis, lucrisque augendis inhiant, dubio procul peccant, atque in aeternae damnationis alea versantur.

VII. Oppositionem audio obviam. Quis- que se se existimat virtutibus, dexteritate, penetratione mentis, animique dotibus ornatum, atque adeo ad comparandas dignitates, & gradus, ad regimina admittenda idoneum. Qua persuasione, tamen falsissima, imbutus divitiis, thesaurosque cumulabit, ut votorum suorum compos evadat. Hinc consequitur veram esse recentiorum doctrinam, superflua vix reperiri in divitiis, spectato altiore statu, quem, nobis fatentibus, acquirere iure valent.

VIII. Istius obiectionis explicatio rem totam perspicuam efficiet. Serio tamen animo reputandum est, in morum quaestionibus resolvendis non semper occurrere definitos limites. Nonnulla adeo sunt implexa, & eam latitudinem excipiunt, ut nequeant certis, & praecisis finitionibus circumferri, ob circumstantiarum, & eventuum diversitatem. Eiusmodi vero difficultates ad principia generalia fixa & certa, ad quosdam boni, & aequi leges, & ad prudentiae christianae, caritatisque

B 2

evan-

evangelicæ regulas exigendæ sunt. Verum ad id quod urget. Communiter homines se se pollere dotibus reputant quibus ad altiora contendunt. Verum habet. Sed id ortum ducit plerumque ex ambitione, superbia, avaritiaque. In primis ergo morum integritas spectanda in eiusmodi divitibus: subinde in proximum amor, in pauperibus iuvandis liberalitas, timor propriæ damnationis, æternæ salutis desiderium, ambitionis, superbiam, aliorumque scelerum horror, & detestatio. Si istorum criminum caligine nequaquam eorum mentes obductæ sint, si recensitarum virtutum lumine illustrentur, perquam facile semetipsos dignoscunt; & quæ dona possideant, quibusque dotibus careant, præter propter manibus contrectabunt. Quibus positis, nullo negotio conciliantur ea quæ pugnare invicem videntur, scilicet & licitam esse ad altiorum statum ascensionem, & adstrictos divites esse ad superflua pauperibus eroganda, si ea servantur quæ ante dicta sunt. Et primo plurimi sunt divites qui, ut Caietanus adnotavit, congruam sedem comitatus, nobilitatis, marchionatus occupant. Isti nec opportunitatem habent, neque dotibus præditi sunt pro altiore principatu acquirendo. Hi omnes, qui plurimi sunt, tenentur superflua in pauperes erogare, sicut infra latius explicabitur. Divites vero inferioris conditionis nequeunt omnia sua superflua sibi retinere, ut altius ascendat, dum pauperes extreme, aut graviter egentes obvii sunt. Absit ut in cuiusquam Christiani mentem veniat, licitum esse servare omnia præsentis statui superflua, prætextu altioris status comparandi, neglecta pauperum extrema, gravique, immo etiam communi indigentia. Clarius rem explico. Artifex aptus est ut, manuum labore relicto, ad mercatuam ascendat, minime vero ut fiat nobilis. Mercator habilitatem habet ad nobilitatem comparandam, necus ad comitatum. Comes, Marchio eis dotibus ornatus est quibus illustriorem reddere suum gradum valeat; minime tamen illas possidet prærogativas quibus principatum, aut regnum occupare possit. Iterum ergo repeto, quemque ad illam honorum, ac graduum sphaeram aspirare iure posse quæ iuvæ virtuti, merito, donisque naturalibus responderet, suamque qualem qualem naturalibus felicitatis sedem tenere. Qui sphaeram hanc transiliant, plus minasque peccant, prout majori, aut minori cupiditate, ambitioneque afficiuntur. Ut omnia in pauca contraham, paucis indicabo divites qui licite, quæ cri-

minose ad altiorum statum ascendunt. Qui videntes pauperes egere, nihil commoventur super eorum miseria; qui eorum petitionibus aures occludunt; qui veluti feræ indomitæ nulla ratione coercitæ, unice congregandis divitiis inhiant, isthuc industriam, vigiliam, conatusque omnes collineant, Dei cultum negligunt, tempus excolendæ conscientiæ, vitiumque repellendis debitum in congregandis thesauris impendunt, dies noctesque in terrenis negotiis miserrime absumunt; isti omnes peccant in altioris status acquisitione; eleemosynæ mandatum transgrediuntur, superflua retinent sine honesto sine nulloque adiecto termino, sed sola libidine, avaritiaque impellente. E contrario divites illi quorum viscera super pauperum calamitate vehementer afficiuntur, eisdem suppetias ferunt; quin non modo extremam, & gravem, sed communem etiam eorumdem miseriam auferunt eleemosynarum largitione, qui in congregandis divitiis modum sibi præstituant, rationemque servant, & mensuram; qui a divitiis non possidentur, sed possident divitias, qui ea quæ Deum, eiusque sanctissimam legem spectant, præ oculis habent: isti omnes licite ad altiora ascendunt, ut sperare nos iuvat. Quoniam istorum divitiarum præmium sunt misericordiam, & caritatis in pauperes. Hæc sunt argumenta, & signa dignoscendi utriusque generis divites: cum illos qui honesto sine præstituto, terminisque adiectis, absque culpa meliorem assequuntur sortem; tum alios qui avaritia, ambitione, libidineque pellecti, ac impotenti divitiarum amore ardentes, limites omnes transiliunt, altioraque semper anhelant. Nec reponeas, nimis nos verborum circuitu factæ objectioni obviam ivisse. Quoniam, ut sub initium responsionis dictum est, quæstio hæc, quemadmodum alia plures, non in puncto individuo, & metaphysico sita est, sed latius immanat, & ex plurium circumstantiarum meditatione pender.

IX. Quæst. IV. Quid dicendum de plurimum recentiorum sequenti doctrina? *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statum. Superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum, vel suorum; sive ad comparandum sibi, vel suis altiorum statum.* Resp. P. Gabrielem Vasquez istius sententiæ Auctorem refert P. Antoninus Diana cum aliis. P. Dominicus Viva de more abiudicat P. Vasquesio hanc opinionem, ut iacet; contenditque alio sensu Vasquesium locutum. Tanti mihi non est, ut factum hoc discutiendum suscipiam. Cuique legenti Vas-

Vasquez opusc. de elem. cap. 1. dub. 3. num. 27. & cap. IV. num. 14. & cap. I. num. 25. compertum erit totidem verbis reperiri propositionem hanc ab Innocentio XI. proscriptam. Neque hoc assero, ut P. Vasquesio, Theologo inter recentiores vere doctissimo, Patrumque doctrina fati exculato, notam inuram; sed ut furo occurram quem P. Viva lectoribus minus peritis facit. Dum enim damnatam propositionem non doceri a Vasquez contendit, lectoribus suadet doctrinam illius hoc de argumento sanam esse, cum revera falsa sit. Allegat textum Vasquesii, in quo Cardinalis Caietanus istius damnatæ doctrinæ patronus adducitur. Sed quam alienus ab hoc errore sit Caietanus, infra palam fiet. Nunc demonstrandum tantummodo est præfatam doctrinam anti-evangelicam esse, iurique omni adversam. Sublato quippe a divitiis superfluo, in fumum abit eleemosynæ mandatum, pauperes fame, & nuditate conficiuntur, caritatisque exercitium de medio Christianorum aufertur. Cardenas in sua *Crisi tract. II. disp. XX. cap. II. art. 4.* tamquam improbabilem reiicit opinionem illorum recentiorum qui divites eximunt ab obligatione succurrendi pauperibus graviter indigentibus, ut fiant ditiores. Sed quid doceant Scripturæ sanctæ, & Patres omnes, paucis indicandum est.

X. Christus Dominus *Luc. XII.* divitis bona sua in futurum servantis sermonem refert, cogitationesque. *Cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæc est divitis sermocinatio. Responsum Christi audiamus. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.*

XI. Labet isthuc transcribere D. Basilii Magni argutam, nec minus acrem in hunc, similesque plurimos divites reprehensionem homil. in hunc text. *O verba stultissima! o dementiam singularem! Nam si PORCINAM habuisses animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Ita ne pecuniam tu, ita bonorum animam ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis, & quacumque alvi secessus recipit, anima destines? . . . Audi te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse*

*Dominus indidit. Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent. Superat æternam penam irriso stultitia. Qui namque paulo post abripiendus e vita, & ad supplicium adducendus, quale inquit tacitus consilium? Destruam horrea mea, & maiora faciam. Isti ego sane dicerem: Bene facis: nam iniquitatis horrea proculdubio digna sunt quæ diruantur. Everte miser tuis ipse manibus quod male edificasti. Solve horrea; unde nullus unquam solatium ullum consecutus est. A fundamentis excita avaritia custodem, diuie rectum, everte muros, ostende Soli frumentum, quod cariem, sicumque contraxit. Educ diutius illegatas hæc divitias: produc in publicum triumphum tenebris obsita domicilia mammonæ. Destruam horrea mea, & maiora faciam. Ubi vero & ista sumentis adimpleveris, quid, quæso, amplius cogitabis? An rursus destrues, & rursus edificabis? Quid stultius quam laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio edificare, nec minore cura eadem demoliri? Habes, si vis, apothecas, ventres pauperum. Thesauriza tibi thesauros in celo . . . Longa tibi vita tempora præfixisti. Vide ne te illud tempus quod certo, ac præstituto termino accelerare solet, forte corripiat. Et profecto vitam sibi hoc modo confidentius polliceri, non bonitatis, sed malitiæ est iudicium.*

XII. Plura alia congerit sanctus Pater in similes divites, deinde paulo infra divitis objectionem refert his verbis. *Dixeris: cui facio iniuriam, si mea retineo, conservoque? Audi responsum Basilii. Quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam investisti? Perinde enim facis ac si quis in theatro locum spectandi mox ut antevertit aliis arripere, ceteros abarceat ingressu, suo unius usus id adiudicans quod ad omnium communem usum proponitur. Tales & divites existunt. Communia namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nam si tantum quisque usurparet, quantum ad propria necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret; nemo profecto esset dives, nemo item pauper. Nonne nudus ex utero matris excidisti, nudusque iterum reverteris ad humum? Hæc tibi bona præsentia unde? Si a casu dixeris, impius es, eum non agnoscens qui te condidit; neque ei qui dedit, rependens gratiam. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quam ob rem hæc sortitus es? Non enim iniustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum, inequaliter nobis dirigerit. Cur tu dives es, ille*

pauper? Profecto non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias; ille vero patientie maxime praeiis honoretur. Tu vero insatiabilis avaritiae lacertis omnia circumplexus, & tot homines illis privans, neminem te ledere putas? Quis, quae, est avarus? Ille qui eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis vero peculator? Ille qui ad se unum transfert quae singulorum sunt. Tu ergo non avarus, tu non peculator; cum ea quae ad dispensandum, distribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur; qui autem nudum non tulerit, modo possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Pluribus aliis missis quae hac in homilia habet Basilii, perpendas velim, quanta rationum efficacitate sanctus Pater evincat, superflua distribuenda esse pauperibus.

XIII. Verum quia superfluitatis defectus unicum solet esse divitibus, quo se recipiant, perfugium; e re nostra esse existimo longiorem eiusdem D. Basilii orationem transcribere. Tanta liquidem eloquentiae vi hanc bonorum affluentiam exponit, ut nullum relinquat divitibus praetextum, quo avaritiam suam tegere valeant. Recentiorum quoque Casuistarum commenta, & distinctiunculas omnes explodit. Testes superfluatorum quibus abundant divites, advocat domorum marmora, laquearia deaurata, famulorum numerum, equorum multitudinem, convivia opipara, vestium luxum, uxorum pompas rarissimas, aurum, argentumque, quo equos, veluti sponfos, ornant, ludos exercent, canes, ferasque alunt. Sed eloquentissimum Patrem audiamus, qui homil. in descensum hac effuso calamo scribit. „ Profecto non vestium, aut ciborum causa multi affectant opes, verum quaedam est diaboli methodus ad suggerendas divitibus mille sumptuum inaniam occasiones; ut ea quae superflua, & ad rem pertinentia non sunt, pro necessariiis ducantur. Ex quo ad sumptuum excogitationem nihil satis homines huiuscemodi habent. Substantiam namque in praesentem, ac futurum usum deducunt, primum sibi, deinde filiis accumulanti: rursus eandem in sumptus varios pro statu, & ordine cuiuslibet dividunt. Sit, inquit, res partim in usu, partim condita, sepositaque. Item quae in usu est, necessitatis terminos transcendat: illa serviat sumptibus domesticis, illa praesto sit ad externas phantasias; ut iter facienti ornatus, equitatus, viaticum, pro conditione, fiant: haec domi permanen-

ti vitam reddat splendidam, & illustrem; ita ut mihi miraculum sit, quomodo tot inanes sumptus excogitentur. Innumeri inflantur currus, quibus vel farcinæ, vel ipsi mortales vehantur, illicque aere, vel argento oblecti. Equi comparantur permulti, atque illi e maioribus suis generosi, qualiter homines solent, aestimati: quorum alii delicatos per urbem ad ostentationem circumvehunt; alii ad venationem, alii ad iter faciendum praeparantur: frena, zonæ, frontalia, argentea omnia, aureaque: insuper tapeta purpurea, ipsos veluti sponfos ornantia equos: mulorum quoque multitudo colore distincta: aurigæ illorum successores invicem, qui praecedunt, & qui subsequuntur: fervorum infinitus numerus, sumptibus eorum cunctis, ac magnificentiae suppeditans: curatores, promi, coloni: ministri cuiusvis artis, sive necessariae, sive voluptuariæ periti. Præterea coci, pistorum, pincernæ, venatores, fectores, pictores, voluptatis omnimodæ commentatores. Camelorum greges partim ad onera, partim ad pascua descripti: armenta bouum, porcorum, ovium, horumque pastores. . . Domus omni marmorum genere coruscantes, Phrygio, Laconico, Thessalico, e quibus alia hieme calida, alia aestate frigida esse oportet: pavimentum calculis ornatum variis: camerae, laqueariaque, & quicquid parietibus superest, auro, picturaeque floribus decorata. Sic igitur in usus mille supervacuos distractæ opes etiam in terra conduntur, & in secretis arcanisque custodiuntur. Incertum est, inquis, quid futurum sit. Necessitati quae nos quandoque urgere potest, providendum est. At longe incertior defossi thesauri usus: nec tamen poena incerta quae tuorum morum inhumanitatem manet. . . Gravis profecto insaniam. Primum in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo recludere: deinde semel effossum rursus in terra occultare. . . Vidi ego multos ieiunantes, orantes, praeteritorum poenitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem praebentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodest? Non propterea regnum Dei consequentur. Idcirco dicit Dominus: Difficilius est divitem intrare in regnum caelorum quam camelum per foramen acus. Hoc testimonium validum: qui testatur, verus: persuasi vero pauci. . . Quid miser iudici respondebis?

„ Pa-

„ Parietem vestis, hominemque non vestis? „ Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris „ amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? Aurum in terram condis, & oppressum non curas? Quid, si insuper uxorem avaram habueris, duplex tibi morbus creverit? Nugas hæc, & delicias ardet, voluptatis illecebras tibi augebit, concupiscentiæ, & supervacanei studii stimulum acuet. Circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum, eius cura continuo versatur. Hoc digitis aptat, illud vestibus intexit, malumque viri per omnia probra exaggerat. Neque sufficiens huic studio tempora, verum ordinaria noctes, atque dies tradit. Mille insuper assentatores illius adsunt desideriis, adducentes scullones, aurifices, unguentarios, textores, discriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum respicere, sinunt. Nullus item muliebri concupiscentiæ satis thesaurus, non si e fluminibus fluxerit: quandoquidem unguentum exoticum ex barbaris ita quaerunt, ut oleum e foro, & ex mari conchyliis: purpuram, variosque colorum flores, plus quam ex ove lanam habere contendunt. Præterea pretiosi lapides undique petiti auro innectuntur. Alii ad ornandam cervicem, alii collo adaptantur, alii zonas locupletant, alii manus, pedesque ornant. Gaudent auri cupidæ feminae manicis ligari, dumtaxat ex auro sit vinculum. Vir igitur muliebrem sequens appetitum, quando animæ curam geret? Sicut enim debilia navigia procellæ ac tempestates dispergunt, atque inundant; sic pravi uxorum affectus virorum debiles animas corumpunt, atque pessumdant. . . Si audieris: Vende omnia, & da pauperibus, ut vitam habeas æternam: mæstus abis. At si audieris: Da pecuniam mulieribus, delicis, lapidicidis, architectis, tessalariis, pictoribus: gaudes, quasi rem pecunia pretiosiore assequaris. Nonne vides hæc mœnia vetustate iam labefactata, quorum reliquiae tamquam scopuli quidam per urbem totam apparent? Quot per civitatem pauperes, dum excitabantur, erant; qui ab incolentibus ob ædificandi studium negligeantur. Ubi, quæso, nunc tantus operum splendor, & apparatus? Ubi & ille cui horum magnificentia studebatur? Nonne hæc dispersa, solo æquata, & abolita, veluti puerorum ludrica, qui inter arenas turres excitant, omnia perie-

„ runt; auctor vero ob rerum vanarum studium ambitiosum in inferno sepultus est? „ XIV. Nec te tædeat, lector, longiorem eloquentissimi Patris præfervidam legere orationem. Eloquii quippe venustas, rationum vis, similitudinum raritas, & pulchritudo, cuiusque prolixitatis fastidium delinunt, auferuntque. Nonnulla alia quæ paulo post addicit contra insatiabilem divinum cupiditatem altiore occupandi statum, transcribo. „ Sed „ & pauperem te ipsum dicis. Et ego tecum sentio. Pauper profecto est qui multis indiget. Pauperes, inquam, concupiscentia reddit. Decem talentis totidem addere contendis. Deinde viginti coactis etiam totidem. Nec solum crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus. Velut ebriis occasio sitiendi est vini copia, & augmentum; sic & qui repente ditatus est, plura possidens plura concupiscit: & dum perpetuo cumulum augeat, morbum perpetuo nutrit. Studium namque habendi contrarios eorum voluntati agit effectus. Non enim tantum eos ob iam parta non exhilarat, verum ob ea quæ deesse videntur cupiditati, potius angit. Ex quo anima curis continuo premitur, dum alios superare contendunt. Oportebat illos gaudere, & gratos esse, quod tam multis sunt opulentiores; illi vero mœrent, ac lugent, quod ab uno, & altero opulentioribus vincuntur. Ubi ditatiorem aliquem adæquarunt, mox & alterum a quo superantur, adæquare student. Et ubi istum quoque transierunt, erga alium ultra adæquandum rapiuntur. Quem admodum qui scalas, vel gradus ascendentes, ad ulteriora progressuri, continuo ad gradum sequentem veltigium attollunt, nec prius quiescunt quam summum attingant; sic & hi a rerum cupiditate non prius cessant, quam cum in altum sublatis se se a ruina firmos, ac securos reddant. Condidit omnium Deus Seleucidem avem insatiabilem, ad hominum tamen beneficium constituit. Tu vero te sponte insatiabilem animo reddens, multis profecto damnum facis. „ Si plura aves, legelis integram laudatam homiliam VII.

XV. Quæ alii sancti Patres, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, ceterique scribunt adversus divitum superflua, illorumque inanissimas excusationes, iam indicata sunt cap. VI. & seq. Idcirco, ne actum agam, eadem missa facio. Illud mirari satis non subit, quod recentiores Ca-

B 4

sultæ

fuisse non pauci ausi fuerint negare divitum superflua contra communem Patrum assensionem; quin, quod peius est, contra ipsam compertam, exploratamque experientiam. Numquid oculis nos non spectamus ea omnia quae fuso eloquentique calamo Basilius cum ceteris Patribus recenset?

XVI. Tria divitum genera distinguenda nobis sunt. Primum eorum qui, inferioris conditionis cum sint, ad altiorem statum comparandum conatus suos, industriamque omnem collineant. Hi multa habent superflua; sed divitem illum evangelicum ex Luca paullo ante descriptum imitantur. Omnia sibi congregant, horrea, arva, fundos, villasque amplificat, multiplicatque, ut titulos nobilitatis, ac domini indispicantur. Non virtutis merito, non habilitate, neque animi dotibus innixi; sed sola divitiarum face praerente altius assurgere contendunt. Quod quam sit iniquum, naturaeque ordini infestum, capite superiore ostensum est. Hi omnes eleemosynae praecipuum violant gravissime. Quamvis enim exaltatio isthaec licita, & honesta sit, cum non solis divitiis, sed animi dotibus comparatur; secus tamen est, si habitudo, si animi prerogativae desint, si denique eleemosynae omittantur, ut auctis divitiis facilius cupiditati, & ambitioni superius ascendendi, nullis adiectis limitibus, fiat satis. En primum divitum genus, misericordiae, caritati, honestatique infestum.

XVII. Secundum divitum genus est superioris conditionis. Isti divitias accumulantes, non aestu ambitionis, & superbiae ad titulos comparandos, sunt quippe Nobiles, Comites, Marchiones; sed solius avaritiae ardore perusti opulentiam, & thesauros anhelant, sitiuntque. Non alio spectant quam quo patrimonium augeant contemptis viduis, pupillis, pauperibusque omnibus. En divites quos fures, raptores, pauperumque oppressores SS. Patres appellat.

XVIII. Tertium divitum genus est eorum qui ampla prodigunt patrimonia in vanos sumptus, in vestium luxum, in crapulam, in ludos, in pompas vanissimas, in theatra, in comedias, in equorum, canum, aliarumque bestiarum alimentum, ceterasque id genus impensas, quas vividis coloribus depingit Basilius cum aliis Patribus. Haec omnia nos oculis conspicimus, lugemus, detestamur.

XIX. Primum divitum genus ambitiosum & superbum; secundum tenax & avarum; tertium prodigum est. Igitur recentio-

res Theologi, qui vix in divitiis superflua reperiri asserunt, Evangelio, rationi, & manifestae experientiae contradicunt, pauperibus infesti sunt, & divitibus viam damnationis aeternae percurrentibus calcaria addunt.

## CAPUT XI.

*Laxa doctrina P. Antonini Diana, aliorumque recentiorum expenditur.*

I. Pater Antoninus Diana, ut divites, quibus Evangelia, & Patres omnes pericula gravissima aeternum pereundi minantur, demulceat, & ab eiusmodi periculis terroribusque liberet, nonnulla se se excogitasse gloriatur. Quocirca titulum illum sibi comparavit: *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*: quin non sibi modo elogium istud acquisivit, sed Confessariis omnibus; quos ut scrupulis quibus in divitum confessionibus excipiendis ob eleemosynarum omissionem torquentur, subducat, atque tranquillos, hilaresque reddat, quinque illis monita, seu documenta porrigit, quae vocat *plausibilia*, & laetitiae plena. Ne quippiam per exaggerationem dicere videar, illius verba exscribenda sunt ex *Tom. II. coord. tract. VII. resol. 8.*

„ II. Confessarius quidamangebatur magis scrupulis in excipiendis confessionibus cuiusdam divitis circa praecipuum eleemosynam largiendi. *Tunc ego in eius gratiam haec ex multis Doctoribus adnotavi.* Ille est titulus suae resolutionis. Monita audiamus.

*Primum Diana remedium pro divitibus, eorumque Confessariis.*

„ §. 1. Primo divites, etiamsi habuerint superflua, non tenentur neque sub veniali peccato dare eleemosynas in communi necessitate, in qua solent esse quotidiani pauperes. Laudat Sylv. Alenf. Arm. Mald. Molf. Navar. & Tolet.

*Secundum Diana remedium.*

„ 2. Secundo etiam in gravi necessitate pauperum, dives qui habuerit superflua, non peccat mortaliter, si non praeretur eleemosynam. Haec opinio mihi placet, illamque docet Gabriel, Alensis, Malderus: „

*Tertium Diana remedium.*

„ 3. Tertio, etiamsi vera esset opinio asserentium, divites teneri sub mortali praeretur eleemosynam non solum in extrema, & gravi, sed etiam communi necessitate pauperum; tamen non tenerentur inquirere pauperes; sed solum misereri occurren-

„ ti-

„ tibus, & non impedire nimia austeritate, vel alio modo, ne occurrant: neque etiam tenerentur omnibus communiter indigentibus subvenire, sed aliquibus: nec tenerentur in totum alicuius indigentiam sublevare; sed satis est QUID ei dare. Lorca, Bonacina, Vasquez. „

*Quartum Diana remedium.*

„ 4. Quarto notandum est, quod bona quae conservantur ad acquirendum maiorem statum pro se, & suis consanguineis, non dicuntur superflua status: ascensus enim ad superiorem statum ad necessitatem, & convenientiam status revocandus est; ita ut ea non censantur superflua quae licet excedant mensuram status praesentis, conducere tamen possunt, & reservantur, ut altiorem statum acquirat, & acquisitum conservet. Ita Vasquez: „ *ideo asserit, quod in secularibus, etiam in Regibus, vix inveniuntur superflua status.* „

*Quintum Diana remedium.*

„ 5. Quinto dives cum diminutione, & detrimento proprii status non tenetur subvenire proximo in extrema necessitate constituto. „

*Prima conclusio Diana.*

„ 6. Ex his apparet divites non esse facile condemnandos circa praecipuum largiendi eleemosynam: quia non tenentur inquirere pauperes, nec tenentur largiri eleemosynam in communibus necessitatibus, & bona superflua non facile in ipsis etiam ditissimis reperiuntur. Unde ex his facile Confessarii scrupulos deponere possunt; licet consulere debeant divitibus, ut eleemosynam pauperibus abunde erogent. „

*Secunda Diana conclusio.*

Haec secunda Diana conclusio habetur *loc. cit. resol. 12. n. 5.* ubi post impugnatam sententiam quae docet divites astrictos esse ad subveniendum in communi necessitate ex bonis quae superflua statui, sic concludit. „

„ Ex his omnibus respondeo ad propositam questionem negative: Et licet opinio asserentium esset vera, tamen in praxi nunquam, aut rarius evenit. Nam, ut ait Vasquez, laici possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum suum, vel consanguineorum mutandum; & tunc illud non dicitur superfluum. Unde vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Haec Vasquez: quae quidem Confessariis divitum MUNITURE PLAUSSIBILIA erunt.

III. Conferas nunc velim has P. Antonini Dianae opiniones cum Evangelistarum, ac

sanctorum Patrum doctrina, ut hinc colligas, quantum discriminis, & manifestae contrarietatis illas inter & hanc inter sit. Dammandos propter eleemosynae omissionem divites, Evangelia, Patresque clamant. Nec culpam venialem divites perpetrare Diana docet, etiamsi in communi necessitate nihil eleemosynae largiantur. Quod si tibi haec non aridet opinio, subdit, satis esse, si dives QUID pauperi det. Scripturae vero sanctae praecipunt ut divites qui multa bona habent, multum tribuant. Denique, ut scrupulos omnes e divitum animis evellat, superflua de medio tollit, doctrinamque ab Ecclesia postea proscriptam ubique diffeminat, pluries repetens, quod in secularibus, etiam in Regibus, vix inveniuntur superflua statui. Istius doctrinae veneno suas respergit resolutiones. Quantum exitii, quantumque malorum Auctor iste, simileque casuum collectores in Catholicorum mores invehant, non est explicatu facile. Nec est quod opponas, me Dianae, aliorumque Casuistarum personas carpere. Absit ut tale de me ferat iudicium. Libros, & opiniones ab Ecclesia damnatas, & quae eadem necessario consequuntur, umice carpo, & execror; personas vero officio, & obsequio colo, easque, quoad fieri potest, excuso, quod ante damnatas theses scripserint, & quod ea docuerint quae sibi probabilia videbantur. Num innocens eorum methodus in colligendis laxioribus Casuistarum opinionibus, ut lectores, & Confessarii eas seligant quae sibi, & tempori, & hominum genio magis inferviunt; Dei esto iudicium. Nostra tamen interest lectores omnes admonere, quo ab eiusmodi libris magnopere caveant, auresque ocludant Dianae asserenti, quod sua placita Confessariis divitum multum plausibilia erunt.

## CAPUT XII.

*Nonnullae aliae quaestiones quae eleemosyna sublevandam extremam, gravemque necessitatem spectant, resolvuntur.*

I. Distinctio triplicis necessitatis, scilicet extremae, gravis, & communis, Scripturis, & antiquis Patribus penitus incongnita. Quia tamen graviores Theologi, eorumque Princeps Angelicus eadem utuntur, non reiicienda modo non est, verum etiam tanquam apprime opportuna ad difficultates clarius enodandas, admittenda. De extrema necessitate latius supra disputatum. Unam dum-

dumtaxat quaestiuunculam quæ mihi exciderat, proponam.

II. Quæst. I. *Expectanda ne est extrema proximi necessitas, ut præceptum eleemosynæ succurrendi onus imponat?* Resp. Probatum est supra, non solum ex superfluis statui, sed etiam naturæ, levandam esse extremam pauperis indigentiam. Nunc clarius explicatur, quid nomine extremæ necessitatis intelligendum occurrat. Dicimus ergo non esse expectandam extremam necessitatem, seu ultimum illud subeundæ mortis periculum. Necessitas hæc latitudinem admittit, & gradus. Dum pauper in ultimo necessitatis agone conflictatur, vix subsidii capax est. Tum ergo præceptum urget, cum signa probabilia apparent quæ portendunt venturam mortem, nisi pauper subleuetur. Perspicue hanc doctrinam explicat Angelicus in IV. dist. xv. quæst. II. art. I. quæstiuunc. 4. ad 4. *Dicendum, quod tempus ad quod obligat præceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis, & ex parte dantis. Ex parte accipientis, quando apparent signa probabilia extremæ necessitatis futura, nisi ei subveniatur; ut cum quis videt alios impotentes, vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ necessariis; nec sibi satisfacere posse. Non enim expectanda est ultima necessitas, quia tunc forte non posset iuvare, natura iam fame, vel sibi consumpta. Dicit enim Chrysostomus hom. lxxvi. in Ioan. Non oportet pauperem ululantem deceptorem vocare. Quid dicis, o homo? Propter unum panem deceptionem quis complicat? Uti que dicis. Quocirca maxime misericordiam consequatur, aut maxima necessitate eripiatur. Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget neque ad sustentationem vitæ sui, & suorum, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremæ necessitatis non compareant. Neque oportet occasionem futuræ necessitatis prætereunda ultra probabilia signa futuræ necessitatis, quia hoc est superflua sollicitudo, quam Dominus prohibet Matth. VI. Nolite solliciti esse &c. Hinc colligo non solum expectandam non esse extremam pauperis miseriam; verum etiam solam bonorum superfluitatem sufficere ut præceptum eleemosynæ urgeat: quemadmodum infra clarius explicabimus, dum mentem S. Doctoris data opera manifestabimus.*

III. Quæst. II. *Tenentur ne divites in gravi etiam necessitate pauperibus subvenire ex superfluis naturæ, quamquam ad status decen-*

*tiam requirantur?* Resp. Adfirmant Maior in IV. dist. xv. quæst. VII. concl. 3. Ioannes Medina coh. de eleem. tract. v. quæst. III. dub. 2. Vasquez dub. 3. cap. I. Bannez 2. quæst. xxxii. art. v. dub. 4. Valentia ibidem, Sylvius in 2. 2. quæst. xxxi. art. I. 6. concl. 3. Soto, Victoria, Corduba, Angles, Hurtado de Mendoza, Palatius, quos pro hac sententia citat Diana. Eam quoque defendunt Merbesius *Summ. chr. I. p. quæst. cxxx. concl. 3.* Henricus a S. Ignatio Tom. II. Lib. IV. cap. xxvii. Paulus a Lugduno tract. IV. dist. II. quæst. IV. art. I. §. 2. Antoine tract. de virtut. cap. IV. & citat Suarez, Natalis Alexander Lib. III. cap. VI. art. 9. reg. 6. Sententia hæc, si perspicue explicetur, vera est, nedum probabilis. Porro, ut clarius innotescat, in memoriam revocandum est, eam necessitatem reputari gravem in qua pauper, nisi iuuetur, in grave malum incidit; videlicet talem patitur famem, nuditatem, ut nisi subleuetur, gravem contrahat morbum, in lectulo detineatur, gravi conflictatus infirmitate, necessariaque destitutus opem: in gravi versatur periculo subeundi carcerem, ignominiam, propriumque amittendi statum. Quatuor gravis necessitatis genera distingui solent, quæ ad fortunas, ad honorem, ad vitam, ad gradum, seu dignitatem pertinent. Ingenuæ mulieres egestate pressæ, nisi præsidium accipiant, in prostitutionem prolabantur. Hæc, & similia mala, seu pericula his subiaccendi incommodis, gravem constituunt necessitatem.

IV. Status quoque personæ latitudinem admittit. Neque enim in individuo puncto consistit, ut alias dictum est. In præsentia ergo sermo haud est de status iactura facienda, ut aliorum miseria subleuetur, neque de gravissimo detrimento; sed de quadam dumtaxat diminutione. His positis, ad quaestionem respondetur.

V. Dico primum, ex superfluis status teneri divites sub reatu culpæ gravem operam ferre pauperibus gravi laborantibus necessitate. Hæc sententia communis inter Theologos est, eamque præter citatos defendunt Salmanticensis tract. XXI. cap. VII. punct. I. num. 12. laudantque Sanchez, Azorium, Palaum, & alios. Ratio evidens est. Nam si superflua eroganda sunt, non sunt dumtaxat rari eventus in quibus præceptum urgeat, designandi. Extrema autem necessitas rara est. Ergo superflua hæc distribuenda sunt etiam dum gravia pauperum incommoda obvia occurrunt. Accedit quod ex caritate evangelica deten-

defendere, ac præservare astringimur vitam, honorem, ac statum proximi nostri, potissimum cum absque nostro detrimento id peragere valeamus. Nullum autem incommodum, aut detrimentum divites patiuntur, cum superflua distribuunt.

VI. Dico secundo. Non modo ex superfluis, verum etiam ex necessariis ad status decentiam subveniendum pauperibus est in gravi necessitate constitutis. Hæc quoque sententia in sensu explicato vera mihi est, tum propter auctoritatem Scripturarum, Patrum, & Theologorum, tum propter rationem. Si enim rationem ipsam consulimus, quis dixerit se proximum suum amare, si gravi necessitate, molestia, periculoque gravatum liberare cum parvo suo incommodo negligat? Clarius incommodum divitis explicio. Famulorum, equorumque numerum alit, splendidas induit vestes, convivia opipara instruit, ludos peragit, ædificia non necessaria excitat, a haque multa id genus operatur. Gravi urgente annonæ penuria plures pauperes cum fame, & frigore luctant, recentis quoque periculis subiaccunt. Quis dixerit eiusmodi divites his in eventibus non debere servorum numerum minuere, convivia, vestium luxum, ludos, diverticula, aliasque impensas, quas alioquin ad sui status decorem facere solent, restringere, ut proximo suo subsidium ferant? Quid magni incommodi patientur, si partem harum impensarum decedant, ut in pauperes erogent? Sed Scripturam audiamus, & Patres. D. Ioannes Epis. I. cap. III. inquit: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in illo?* Necessitatem indicat Apostolus Ioannes non extremam, sed indefinitam. Quæ verba explicans Augustinus tract. v. in præfatam Epistolam, hæc scribit. *Esurit frater tuus, in necessitate positus est: fortassis suspenditur, a creditore angustatur. Non habet ipse; habes tu. Frater est: simul empti estis: unum est pretium vestrum: ambo sanguine Christi redempti estis. Vide, si miseris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet? forte dicis. Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?*

VII. Alios Patres brevitate gratia prætereo. D. Thomæ solummodo auctoritatem adicio. Duo, ut capite sequenti videbimus, principia erogandæ eleemosynæ sub præcepto, alterum ex parte dantis, alterum ex parte accipientis, ponit. Ex parte accipientis necessitatem allegat tum extremam, tum gravem 2. 2. quæst. xxxii. art. 5. ad 3. *Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, &urgens necessitas, nec apparet in promptu qui subveniat.* Compertum est nomine urgentis necessitatis gravem intelligere. Verum de mente istius Doctoris fufius infra. Hanc nostram sententiam docet etiam Cardenas in *sua Crisi tract. II. disp. xx. cap. II. art. 4. num. 65. & num. 67.*

VIII. Quæst. III. *Licitum ne pauperi in gravi constituto necessitate furari ea quæ sibi necessaria sunt, ut hanc vitet necessitatem?* Resp. Opinio affirmans proscripta est ab Innocentio XI. his verbis concepta, estque 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

IX. P. Cardenas loc. cit. cap. IV. art. 2. fuso calamo hanc versat quaestionem, & adfirmantem defendit, inque illius patrocinium allegat Vasquez, Lugo, Cordubensem, Tamburinum, Palaum, Dianam, pluresque alios. Magna me admiratio incesfit, dum legi Theologum hunc, meo iudicio doctum, & pium, saniorique doctrinæ inhaerentem (Probabilissimo sublato) in proscriptam concessisse opinionem, quam pluribus munire exceptionibus, & conditionibus irrito conatu pertentat. Verum evanuit admiratio omnis, existimatione erga tantum Doctorem aucta, cum legi ipsum hanc suam retractasse, penitusque reiecit opinionem *diff. xxxii. cap. I. art. 3. num. 34.* Quare nihil dicendum remanet adversus hanc opinionem, cum proscripta ab Ecclesia sit. Illud solum adicio, furtum numquam licitum esse. Et cum dicitur in extrema necessitate licitum esse pauperi sibi providere aliena surripiendo; non ob id conceditur furtum, quod est sua natura malum, atque adeo numquam licitum. Tunc enim pauper non perpetrat furtum, sed sua accipit, ut dictum est. Si tamen furtum etiam appellare velis, non repugno. Hoc enim sua natura, sicut & homicidium, mala sunt; at ratione circumstantiæ vitæ conservandæ licita fieri valent.

X. Quæst. IX. *Satisfacit ne dives, si pauperi graviter indigenti succurrat mutuando?* Resp. Mihi videtur opus esse distinctione qua supra usi sumus. Si pauper habeat bona, quibus hoc suæ necessitatis tempore uti valeat,

queat, bene vero impostero; satisfacit dives mutuando; si bonis omnibus destitutus sit, eleemosyna necessaria est. Divitum tamen conditiones, aliaque circumstantia spectanda sunt.

## CAPUT XIII.

De obligatione eleemosynæ ratione superfluitatis. Mens D. Thomæ exponitur. In communi necessitate pauperibus subveniendum est ex superfluis. Recentiorum opiniones expenduntur.

I. **D**octrinarius Cardinalis Caietanus integrum edidit tractatum, quo D. Thomam defendit aberrare quem Doctores etiam celebres super eleemosynæ quaestione illi adiudicaverunt. Panormitanus, D. Antoninus, & Auctor summæ Roselle omnium primi evulgarunt, D. Thomam duas exigere conditiones ad hoc ut præceptum eleemosynæ obliget, extremam necessitatem ex parte accipientis, & superfluitatem ex parte divitis dantis: quarum una deficiente, deficere quoque præcepti obligationem, ex D. Thomæ mente contendunt. Quæstio hæc factum spectat, quod cum sit magni momenti, præteriri haud potest absque veritatis dispendio. Siquidem & auctoritas D. Thomæ apud omnes plurimum valet, & argumentum quod tractatur, summæ momenti est. Quare supervacaneum videri non debet, si data opera, vera angelicæ doctrinæ sententia manifestanda suscipiamus: potissimum quod non modo tres laudati antiqui Auctores, verum etiam recentiores plurimi eandem labem Angelico aspergunt. Sed ad id quod instat.

II. Duo principia largiendæ eleemosynæ Angelicus constituit. Primum est superfluitas, alterum necessitas extrema, seu urgens, & gravis. Superflua naturæ, & personæ, seu status dispensanda sunt, non huic, vel ille pauperi determinato, sed quibus expediens iudicaverint divites. Ex superfluis vero naturæ subveniendum est huic designato pauperi extremam, aut quasi extremam patienti miseriam. Quod hæc sit genuina Angelici doctrinæ, exploratum est cuique legenti illius textus. Scribit enim in IV. dist. xv. quæst. II. art. I. quæstionc. 4. *Dare eleemosynam de superfluo, cadit in præcepto; similiter dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate.* Hanc doctrinam quam fufius explicat, & rationibus firmat, tradit 2. 2. quæst. xxxii. art. 5. *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto: & dare eleemosynam ei qui est*

*in extrema necessitate.* Clarius adhuc eandem doctrinam edisserit 2. 2. quæst. cxviii. art. 4. ad 2. ubi explicans sententiam Basilii, inquit: *Basilus loquitur in illo casu in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habiturum.* Item quæst. lxxxvii. art. I. ad 4. *Tertia vero decima, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur per hoc quod Dominus non solum decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus iubet exhiberi, secundum illud Luc. II. Quod superest, date eleemosynam.* Tandem quodlib. 8. quæst. xvi. art. 12. *Supposito enim quod aliquis habeat de superfluo & respectu individui, & respectu persone, quod tenetur pauperibus erogare; aut videt in paupere petente evidentia signa extreme necessitatis, aut non. Si videt, certum est quod tenetur dare, & peccat non dando. In hoc enim casu loquitur Ambrosius: Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti. Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quantumvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum; nec tenetur inquirere, quia hoc esset nimis grave quod de omnibus inquireret.*

III. Perspicuum itaque est, angelicum Doctorem duo distinctum principia constituere, ex quibus debitum largiendæ eleemosynæ proficiscitur. Alterum est extrema, vel gravis, & urgens necessitas; & tum pauperi determinato talem patienti miseriam subveniendum est ex superfluis naturæ. Secundum est bonorum superfluitas tum naturæ, tum personæ. Hæc bona superflua distribuenda sunt, non huic, vel illi pauperi petenti, sed quibus diviti bene visum fuerit. Transcribamus interpretationem Caietani ex Tom. II. opusc. tract. II. cap. II. „ Accersito autem quem „ cumque Grammaticum optimum, & pro „ ponas illi quid intelligendum sit ex istis „ verbis: Præceptum est ut fiat hoc, & fiat „ illud. Respondebit certe quod duo præci „ piuntur, & quod scilicet hoc fiat, & „ quod illud fiat. Quum autem verba S. „ Thomæ talia sint, quare non est talis sum „ mendus sensus? Dixit enim: In præcepto „ est dare eleemosynam de superfluo, & dare „ eleemosynam ei qui est in extrema ne „ cessitate. Duo ergo grammaticaliter intel „ ligendo præcipit, cum dicit, & quod detur „ eleemosyna de superfluo, & quod detur „ eleemosyna patienti extremam necessita „ tem.

tem. „ Plurima alia congerit Caietanus „ sex distinctis capitibus tum ex S. Thoma, „ tum ex lege caritatis petita, ut evincat bo „ norum superfluitatem unam esse elargiendæ „ eleemosynæ radicem, alteram vero extremam „ necessitatem. Qui plura cupit ad mentem D. „ Thomæ, & Caietani penitus intelligendam, „ consulat laudatum eiusdem Caietani tracta „ tum, & Franciscum Sylvium in 2. 2. quæst. „ xxxii. art. 6. quæst. II.

IV. Hinc collige, quam iniuste non pauci recentiores in patrociniis laxarum opinionum adducant & D. Thomam, & Caietanum. Non diffiteor, Caietanum & in summa, & in commentariis in 2. 2. minus exacte, ac in latiori sensu locutum fuisse. At Auctorum mens non inde eruenda est ubi pertransennam rem tangunt; sed ex iis locis in quibus data opera quaestionem versant. Porro in citato tractatu serio, & pro dignitate eleemosynæ præceptum Cardinalis exponit, omnesque difficultates in examen revocat. Ad D. Thomam quod attinet, ubique sibi constat, quamvis alicubi uberius, alibi pressius suam exponat doctrinam.

V. Obiicies. D. Thomas 2. 2. quæst. xxxii. art. 5. in corp. hæc habet: *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate: alias autem eleemosynas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.* Ex hoc textu colligunt recentiores plures, eleemosynæ mandatum astringere divites, extrema dumtaxat pauperum necessitate urgente. Quod quam sit a mente D. Thomæ alienum, nemo qui præiudiciorum expertus textum hunc considerat, non videt. Sensus quippe germanus istius textus est hic quærit & verba præterunt, & Caietanus peroptime exponit tract. cit. cap. III. *Unde & dare eleemosynam de superfluo est in præcepto ratione superfluitatis; & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate, est in præcepto ratione necessitatis extreme (seu extreme, vel gravis, ut Angelicus alibi inquit) alias est in consilio.* Consilium est ut de necessariis ad statum eleemosynam largiaris: consilium est ut de superfluis huic determinato pauperi petenti des. Verum quod superflua in pauperes absolute distribuas, ad præceptum attinet. Fufius textum hunc explicat Caietanus, & genuinum adductum sensum pluribus confirmat. Et hæc satis sint in D. Thomæ, & Caietani vindicias.

VI. Quæst. I. *Tenentur ne divites sub præcepto superflua tam naturæ, quam personæ, seu*

*statui, in pauperes distribuere?* Resp. Aiunt cum D. Thoma, & Caietano Adrianus in tract. de rest. concl. II. Richardus in 4. dist. xv. quæst. II. art. 2. Bannez 2. 2. quæst. xxxii. Valentia in 2. 2. quæst. xxxii. Loras in 2. 2. quæst. xxxii. Bellarminus Lib. III. de bonis operibus cap. VII. Azorius Lib. XII. cap. VII. Cordubensis Lib. I. quæst. xxvi. prop. 3. Merbelsius Sum. Christ. cap. cxxxii. Natalis Alexander Lib. III. art. 9. reg. 7. Henricus a S. Ignatio Lib. IV. cap. xxviii. Vauroi de præcept. car. cap. IV. n. 3. Genet tract. II. in prim. præcept. Decal. cap. III. quæst. xvii. Paulus a Lugduno tract. IV. §. 3. ref. 4. ubi hanc sententiam communem vocat, VVigandt tract. VII. exam. 6. ref. 5. Bonacina disp. III. quæst. VI. punct. 6. Cattropalaus tract. VI. disp. II. punct. 2. num. 15. Suarez disp. VII. de car. sect. 3. num. II. Patrius Sporer tract. III. in IV. præcept. cap. VI. sect. 2. num. 6. Cassianus a S. Elia in Arb. Tom. III. verb. Eleemosyna §. 3. num. 41. Aragon 2. 2. quæst. xxxii. art. 5. Navarrus sum. cap. xxiv. num. 5. Petrus Catalanus part. I. quæst. VII. cap. 5. num. 9. ubi laudat Turrianum, Becanum, Reginaldum, Laymanum, Filliucium: quibus adde Abulensem, Cano, Spiro, Victoriam, Honcala, quos citat præfatus Cassianus: Roncaglia tract. VI. cap. III. ref. III. Pontas, verb. Eleem. & alii plures, quos omitto. Quare sententia hæc recte expofita non modo communis est, sed etiam vera.

VII. Proponuntur rationes ex divina Scriptura petite. Luber primo loco sermonem exscribere D. Pauli, qui primum rationes largiendæ eleemosynæ promit, deinde præceptum imponit. Sic enim loquitur I. ad Timoth. VI. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide... Tu autem homo Dei hæc fuge. Radices hic recludit Apostolus impertiendæ eleemosynæ. Prima est quod nihil nos in hunc mundum intulimus; sed cum omnes æqualiter nudi ingressi simus in hanc lucem, omnes pariter nudi ad Deum revertemur. A Deo omnia bona accepimus, hac pensione gravata, ut alimento, & vestibus contenti simus, & cetera in alios egentes distribuamus. Altera radix est periculum maximum quod divi*



tiæ afferunt. Laqueis quippe irretiuntur, vanis desideriis, & tentationum merguntur fluctibus, qui accumulandis thesauris insudant. Idcirco admonet Apostolus omnes ne sese cupiditatibus dedant, nisi velint ipsius fidei, & religionis iacturam facere. Quare præceptum adiicit divitias facile, seu frequenter distribuendi in pauperes. *Divitibus* (subdit vers. 17.) *huius sæculi præcipe... facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Si extrema tantum, aut gravi necessitate urgente, eleemosyna peragenda foret, non præciperet Apostolus divitibus ut facile tribuant, ut thesaurizent sibi æternæ vitæ divitias. Thesaurizaret ne sibi qui raro solummodo in eventu in pauperum sinu quidpiam reponeret? Thesaurum ne augetur illè qui conquirendis pecuniis infrequentem navaret operam? Non ergo in sola extrema, vel gravi egestate, quæ raro accidit; sed frequenter in pauperes, vel alia pia opera, Deique cultum, prout expediens visum fuerit, eroganda sunt supervacaneæ divitiæ. Neque hoc consilium est; sed mandatum necessarium, ut apprehendant veram vitam.

VIII. Consonat doctrinæ D. Pauli sententia ferenda in damnandos. *Discedite a me maledicti in ignem æternum... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Matth. xxv. Damnandos divites asserit Christus, quod non potaverint sitientes, quod nudos non vestierint. Non itaque extremam, & gravem dumtaxat, sed quamcumque necessitatem exprimit Christus. Ut magis vis, & emphasis istius textus innotescat, illud est inquirendum. Cur solas eleemosynarum omissiones divitibus damnandis Christus Dominus exprobrabit. Nemo ad tartara damnatur, nisi ob peccatum mortale. Grave itaque crimen esse eleemosynæ omissionem compertum est. Sed cur hoc crimen præ aliis omnibus improperabitur reprobis? Iudex damnando reo ea scelera obiicit, atque improperat quæ atrociora sunt, maioremque infamiam, & turpitudinem eidem pariunt. Numquid omisso eleemosynæ scelerum omnium immanissimum? Scilicet. Non quod intima illius malitia omnium flagitiorum suapte natura maxima sit; sed quia eleemosynis redimi cetera crimina poterant. Iudex diviti ad patibulum damnato, & laqueo suspendendo ob furta, adulteria, ho-

micidia, & alia id genus perpetrata flagitia, vitam spondet hoc pacto ut præteritos mores corrigens, bonorum suorum medietatem in pauperes erogat. Renuit hic mavultque infamem subire mortem quam patrimonii sui partem pauperibus distribuere. Nonne hæc sola omisso præ ceteris delictis infamem, vitæque indignum reum hunc efficerent? Ut eleemosynis peccata nostra redimamus, Deus iubet. Qui ergo id negligit, adversus semetipsum inhumanus est, nullamque sibi conciliat veniam. Audiamus Augustinum *Serm. l. de temp. qui est primus in Dom. Septuag.* inscribiturque *de lapsu mundi, & avaritia. Rogo vos ut cogitatis quod ait ipse Dominus noster Iesus Christus, in fine sæculi cum venerit ad iudicium, congregaturum se omnes gentes in conspectu suo, & divisurum homines in duas partes: alios ad dexteram, & ad sinistram alios positurum, dextrisque dicturum: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c. Sinistris autem: Ite in ignem æternum &c. Quare causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicii. Percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare isti percepturi regnum? Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem æternum? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Quid est hoc, rogo? Video de his qui percepturi sunt regnum, quia dederunt tamquam boni, & fideles Christiani, verba Domini non contemnerites, & cum fiducia promissa sperantes fecerunt hoc: quia si non fecissent, vite ipsorum bonæ sterilitas ista non utique convenisset. Forte enim casti erant, non fraudatores, non ebrioli, abstinentes se ab operibus malis. Si hoc non adderent, steriles remanerent. Fecissent enim, Declina a malo; non fecissent, & fac bonum. Verumtamen etiam ipsis non ait: Venite, percipite regnum: caste enim vixistis; nulli fraudem fecistis, neminem pauperem oppressistis, limitem nullius invastistis, neminem iurando sefellistis. Non dixit hoc; sed, Percipite regnum, quia esurivi, & dedistis mihi manducare. Quantum hoc excellit, quando cetera tacuit, & hoc solum Dominus nominavit? Rursus ad illos: Ite in ignem æternum &c. Quam multa posset in impios dicere, si quaererent: Quare imus in ignem æternum? Quare, quisquis, adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum; sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare... Solas eleemosynas imputabit, tamquam dicens: Difficile est ut si examinetis vos, & appendam vos, & scruter diligentiissime facta vestra, non inveniam unde vos damnem;*

nem; sed ite in regnum: esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis; sed quia vestra peccata eleemosynis redimistis. Alia similia habet in hoc eodem sermone, quæ brevitatis gratia prætereo.

IX. Plurima alia documenta ex Scripturis depromere possem, ut historiam illius divitis sævissimi omnia sibi congregantis, & horrea ampliora ædificantis, cuius meminit Lucas; & parabolam crudelissimi epulonis, qui mendico Lazaro, non extreme, vel graviter indignenti, sed ostiatim petenti subsidium, superflua tribuere recusavit. Sed hæc omnia missa facio, quia omnibus pervia. Textum solum adiciam *Luc. III.* ubi dives divitiarum tenax, atque malignus arbori aridæ comparatur flammis destinatæ. Quod incendium ut vitent divites, in pauperum subsidium bona superflua distribuere iubet. *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et rogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Sub unius tunicæ nomine omnia quæ nobis sunt sive ad indumentum, sive ad victum necessaria, Evangelista intelligit; in altera tunica superflua distribuenda egentibus comprehendit. Ita interpretantur Patres, inter quos Hieronymus sic scribit epist. cl. *Quidquid corpori nostro sufficere potest, & humana succurrere imbecillitati, hoc una appellanda est tunica; & quidquid in presentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur. Si plus habes quam tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitoricem te noveris.*

X. Patrum auctoritates missas facio, quod iam supra fuisse retulerim. Illud dumtaxat adicio, Patres omnes in divites invehi, illisque extrema damnationis pericula minari, quod superflua in pauperes effundere negligant, nulla sive gravis necessitatis facta mentione. Solam divitiarum accumulationem, ac impotentem sibi solis thesaurizandi cupiditatem illis exprobrant. Istiuc nervos omnes eloquentiæ intendunt.

XI. Rationes satis perspicuæ hoc idem confirmant. Prima ac potissima christiænæ professionis basis caritas est, qua invicem agglutinamur, quaque unusquisque proximum suum diligere sicut semetipsum debet. Hæc dilectio; si sincera, & non fucata, si genuina, & non lenociniis delibuta sit, secunda

est, non verborum, sed operum; atque adeo non lingua, sed opere, & veritate fratres diligit iuxta divinum præceptum. Qua vero ratione ille pauperes diligit sicut seipsum qui quæ sibi superflua, eisdem communicare recusat? Quin superflua caduca bona magis diligit quam egentis fratris levamen. Quod quam sit inordinatum, ac perversum, neminem latet. Huc accedit altera non minus robusta, atque urgens ratio, alias indicata. Bonorum partitio fuit iure gentium inventa. Quorsum? Numquid in reipublica detrimentum, atque perturbationem, in humanæ societatis damnum, & confusionem? Absit. Porro qualis non foret recti ordinis perversio, qualis iniustitia; si pauperum coetui sublata fuisset bonorum portio, divitibusque concessa, eum in finem ut hi avaritiæ, cupiditati, crapulæ, ebrietati, ludis, aliisque illecebris, & vitii indulgerent? Gentium ius, seu humani generis consensus in bonorum partitione æquissimus fuit, solumque pro sine habuit hominum commodum, & tranquillitatem. Atqui si egentes homines continenter cum fame sitique luctari deberent, divitesque ad libitum superflua prodigere; quis ab iniustitiæ, & inhumanitatis labe hanc divisionem purgare posset? Nec est quod opponas, nil tibi bonorum contigisse ex communi partitione gentium consensione peracta. Quoniam quæ industria, ingenio, & labore comparasti, numquid a Deo supremo omnium parente non accepisti? Numquid ipse talenta, sanitatem, industriam non contulit, sortem secundam non direxit? Quid ergo habes quod non accepisti ab eo qui non minus pauperum quam divitum pater est, & provisor?

XII. Quæst. II. *Quid super exposita sententia recentiores sentiant Casuista?* R. Communis est, ut dictum fuit, sententia quam propugnavimus, vel inter ipsos recentiores Theologos, nedum penes Patres omnes, & antiquiores Doctores. Pater Antoninus Diana, qui Academicorum more in utramque partem disputare solet, laxioremque opinionem adoptare, non modo probabilem, sed probabiliorē iudicat sententiam negantem superflua divitum in pauperes eroganda. Tom. IV. coord. tract. VII. ref. 12. & 13. *Licet*, inquit, *hæc opinio sit probabilis, probabilior semper mihi visa est contraria.* Et pro hac opinione, ut solet, aliquos Auctores colligit. Sed rationes quas attert, expendamus.

XIII. Opponit primo. Si sententia quam nos cum communi Theologorum consensu defendi-

fendunt, esset vera, damnarentur omnes divites, eorumque Confessarii.

XIV. Secundo opponit, quod si peccarent divites superflua retinendo, peccarent quoque eadem acquirendo; quod absurdissimum est.

XV. Tertio, si superflua distribuenda essent, nemo posset ad altiore statum ascendere; quod tamquam absurdum omnes reiciunt. Denique sequeretur, licitum pauperibus esse divitum superflua surripere.

XVI. Ad primum respondetur, Christum Dominum frequentissime divitibus damnationem minari propter eleemosynarum omissionem. Iam indicatum est, hoc solum crimen illis improprium in extremo, tremendoque iudicio. Vix de divitibus sermo in Evangelio est, quin eorumdem salus in discrimen vocetur. Divitibus Christus inquit: *Vae vobis, quia habetis consolationem vestram. Vae vobis, quia ridetis. Agite nunc divites, plorate ululantes. Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum. Iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum caelorum.* Matth. XIX. Similia repetunt Evangelistae ceteri. Pater autem Diana cum aliis suis Casuistis doctrinam prorsus contrariam praedicat, dum dicit: *divites non esse facile condemnandos circa praecipuum largiendi eleemosynam, quia bona superflua in ipsis etiam divitibus non reperiuntur: unde vix in saecularibus invenies etiam in Regibus, superfluum statui: quae quidem Confessarii divitum multum plausibilia erunt.* Haec Diana, aliorumque doctrina pseudoevangelica videtur; & tamen Diana eam saepius in suis resolutionibus repetit, & recoquit. Confule quae supra cap. XI. dicta sunt. Cavendum ergo ab hac doctrina est. Ad confessarios divitum quod attinet, Cardinalis Caietanus hoc praebet responsum tract. II. de eleem. cap. VI. *Quod si mihi illud obieceris, quod scilicet divitum confessiones audiri non possent, & Confessores damnationem incurrerent: audi Dominum Iesum Christum in Evangelio divitibus dicentem: Facilius est camelum transire per foramen acus quam divitem intrare in regnum caelorum. Confessoribus autem: Si cecus caeco ducatur prebeat, ambo in foveam cadunt.*

XVII. Ad secundum dico, consequens esse falsum. Peccant divites retinendo superflua, sed minime peccant eadem acquirendo; dummodo honestus praestituatur acquisitionis finis. Si illa acquirerent sola ducti cupiditate discedendi, sibi que solis thesaurizandi, quemadmodum dives ille ab Evangelista Luca de-

lineatus; dubio procul ipsa acquisitio noxia foret.

XVIII. Ad tertium responsio patet ex iis quae cap. X. dicta sunt. Ascensus ad altiore statum superioris ordinis licitus est, dummodo sine pauperum detrimento fiat, dummodo pauperum egestas levetur. Bonorum superfluitas, ut alias diximus, individua non est, sed gradus, & latitudinem excipit. Quo liberaliores divites in pauperes sunt, eo opulentiores abundat divitiis, ut sint pauperum patres, & thesaurarii. Ad ultimum dicitur, peccare pauperes, si divitibus superflua surripiunt in communi, vel gravi necessitate: quoniam ex caritate, non ex iustitia, illis divitum superflua debentur. Neque huic, aut illi pauperi sunt divitum superflua debita. Quin divites sua superflua, sublata extrema, aut gravi necessitate, in Dei cultum, in templorum aedificia distribuere valent; non tamen omnibus pauperibus neglectis.

#### CAPUT XIV.

*Nonnulla regula pro christiana praxi.*

I. **D**Un serio animo mecum reputo evangelicam doctrinam, omnium Patrum, & graviorum Theologorum consensione firmatam, adversus divites minus in pauperes liberales, summopere me commotum, terrorisque plenum super eorum salute fateor. Nec quorundam recentiorum lenocinia, cogitationesque, nulla sacra fulcra auctoritate, dolorem liniunt, timoremque excutiunt, cum divitum confessiones excipiendae occurrunt: quoniam Evangelia, Patres, Theologi, rationum momenta nimium sunt explorata, atque comperta. Extrema utique summopere devitanda sunt. Cavendum ne Christi iugum plus iusto gravemus: cavendum ne plus iusto relaxemus. Divitum ergo Confessarii Christi Evangelium, Patrum doctrinam, non Dianae, non Tamburini, non La-Croix opiniunculas praeculis habeant. Cavere magnopere sibi Confessarii debent, ne divitibus adulentur. Christi doctrinam aperte in Evangelio explicatam iisdem inculcent. Timor displicendi, & a se divites alienandi, periculum subeundi nimii rigoris notam, naturae ad benignitatem propensio, & cetera plura amoris proprii praestigia, & fascinationes severitatem evangelicae doctrinae fucis delinunt. Ut haec virentur extrema, Deo precandae sunt iugiter ad lumen implorandum: & quid Evangelium, ex cuius doctrina iudicandi sumus, quid Patres, quid Theologi

com.

communiter doceant super eleemosyna largienda, intento animo recolendum est, neglectis paucorum Casuistarum placitis, auribus divitum prurientibus. Loco iniuriae sibi verterunt adversarii quod Christi Evangelium praetulerim opiniunculis hominum, nempe Dianae, Tamburini, La-Croixii. Quam iniusta sit lamentatio, iudicent aequi rerum aestimatores.

II. Cum nulla certa regula designari possit sive super altiore statu comparando, sive super patrimonio augendo intra sphaeram eiusdem status; sola prudentia, doctrina evangelica illustrata, ex quibusdam coniecturis colligere valet, quid divites praestare debeant, ut divinum mandatum impleant. Plura ergo praeculis oculis habeamus oportet, antequam letalis culpae damnemus divites. Primum, bonorum superfluitas haud est in aliquo individuo puncto sita. Plura in futurum servare divites iure valent, & debent; nempe ad dotandas filias, ad providendum liberis, ad onera Civitatis, vel Reipublicae sustinenda, & alia incommoda quae probabiliter contingere possunt, propulsanda. Haec tamen infra limites propriae conditionis, & christianae moderationis restringenda sunt. Nam si vana, si inania, si luxum, pompaeque inquirant divites; necessariis, nedum superfluis, carebunt.

III. Superfluis divites certe abundant, omnibus eorum oneribus, sive praesentibus, sive probabiliter futuris, pensatis. Vana ergo, & mendax est eorum excusatio, cum mentientes dicunt se carere superfluis. Nullam iis fidem Confessarius adhibere debet, dum aliunde ex publica fama, vanisque expensis dignoscit illorum superflua bona. Quare absolvere nequit, nisi emendationem spondeant, divites illos quo vividis coloribus ita depingit S. Gregorius Nazianzenus orat. I. de paup. am. *Qui molliter, & delicate vivere instituerunt, necessario ad excogitandos magnificos aedificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis, & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad haec coetus hominum libenter convocant, & invitam, splendidam, & variam suppellectilem studiose comparant, innumerabilia poculorum genera, scurras, mimos, cytharistas, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totum denique perulantiae ludum. Atque, dum haec intus geruntur, assident ad vestibuli fores innumerabiles lacerni, partim gravibus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mutili, conclamant, nec tamen exaudiuntur. Si Deus haec aspiciat, ut profecto aspiciat, quem exitum fore cogitatis, o pauperum inimici? An nescitis*

Conc. Theol. Tom. II.

*horum causa in sacro Evangelio poni, & commemorari exempla omnia horrenda, & terribilia? Nonne similia peragi a divitibus ipsis videmus? Et nihilo secius Theologi aliqui scribere, & docere audent, vix in saecularibus, etiam Regibus, superflua reperiri? Dum itaque Confessarii horum divitum confessiones audiunt, spretis quorundam Casuistarum placitis, evangelio clare repugnantibus, exponant illis eleemosynae praecipuum, & observantiam suadeant. Quod si illi se subdere evangelicae legi renuant, absolutionis beneficium denegent.*

IV. Dum gravis annonae penuria, pauperumque necessitas urget, praecipuum eleemosynae transgrediuntur divites, qui in cenobiiis, templisque aedificandis, vel patrimonio augendis superflua impendunt, neglectis pauperibus. Praecipuum namque danda eleemosynae pauperes spectat. Pauperum albo accenseri etiam Religiosos vere indigentes planum est atque compertum; eorumque egestas, si adsit, levanda est.

V. Etiam communes necessitates sublevare divites astringuntur, sed moderamine servato. Peccarent letaliter, si nihil omnino in pauperes communi tantum necessitate pressos erogarent; quamvis in excitandis templis, & altaribus superflua impenderent. Primum pauperibus subveniendum, qui sunt templum Dei vivum; deinde alia pia opera quae cultum Dei spectant, peragenda sunt. Interdum tamen praeposterus ordo servandus est, videlicet si sacra aedificia necessaria sunt, non ad splendorem, & ornatum, sed ad populi salutem, & ad sacra agenda. Si caritas sit quae divitias distribuatur, utrumque sane praestabit, plus minusve, prout prudentia christiana expediens indicaverit. Redundantes quippe divitias concessit Deus, quibus & sacer cultus promoveatur, & pauperes juvantur. Divites vere christiani, & pii reipsa haec omnia praestant. Non est tamen necesse ut quisque divitum omnibus subveniat pauperibus; sed sat est, si impertiat pluribus, aut paucioribus, prout maior, aut minor fuerit divitiarum mensura. Denegare huic, vel illi absolute non est peccatum; denegare omnibus, etiam in communi necessitate, peccatum grave est: quia pauperum coetus, & Respublica christiana graviter laeditur.

VI. Quantitas eleemosynae quae distribui debet, definienda foret; sed hic aqua haeret. Omnia superflua distribuenda Christus iubet, & Patres clamant. Sed haec superflua cum nullo certo concludantur orbe, non subiacent

C

cer-

certæ; & præcisæ mensuræ. Theologorum aliqui assignant decimam redditum undique, sive ex industria, & labore, sive ex latifundiis, obvenientium partem. Alii arctiorem, alii ampliores præscribunt mensuram. Nulla hac de re definita certa regula potest. S. Thomas de Villanova *conc. 2. de S. Mari.* hanc præbet responsum. *Audi Ioannem: Qui habet duas tunicas, det unam non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Dices forsitan: Dare medietatem multum est. Sunt mihi uxor, & familia, quam nutriam. His omnibus medietas reliqua non sufficeret. Ad quod ego: Erant hæc omnia Zachæo; sed approbante Domino medietatem honorum suorum pauperibus erogavit. Oh, inquit, Zachæus publicanus erat: quid mirum, si dedit omnia, qui prius rapuerat? Da igitur omne quod superest. Sed dices: Si quidem filii non accrescerent, non ego quoque hereditatem, & patrimonium meum auferem; sed accedentibus filiis patrimonium quoque augere necesse est. Bene sit ita: computa hæc omnia: da quod superest. Dices: Libenter accepto; si omnia computo, multa desunt. Vere ita est: cupiditati tue deficiunt multa, & deessent etiam, si totum orbem solus sine socio possideres. Nolo ergo ad ratiocinium te adducere. Fac sicut filio suo consuluit Tobias iv. Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Non improbo, si certam portionem pecunie ad arbitrium boni viri iuxta tuos redditus quotannis pauperibus erogandam signaveris. Cum itaque certa, & præcisæ eleemosynarum quantitas præscribi nequeat, ea saltem dicamus quæ proximius accedere ad evangelicam doctrinam videntur. Et primo certum est, divites illos eleemosynæ præceptum non servare qui ex amplis divitiis quasdam viles reliquias, paucosque obolos pauperibus impertiunt, nullo habito ad divitiarum copiam respectu: qui lautius canes quam pauperes alunt: qui in luxum, pompas, convivia, ludos, aliaque oblectamenta larga manu pecunias effundunt; maligne vero pauperibus subveniunt. Regula igitur sancti Tobiae præ oculis habenda. Qui multa possidet, multa erogat: & quorum exigua sunt patrimonialia, exigua sint pauperum subsidia, quæ desiderio plura tradendi, si suppeterent, impertiantur. Christum in pauperibus spectent divites: sicut tamquam fratres pauperum reputant: non mentæ, divitiarumque viles quisquillas, sed iustam portionem illis distribuunt. Præter er-*

go mensuræ micas, illosque obolos qui mendicis occurrentibus distribui solent, certam quamdam suorum reddituum portionem designent divites, maiorem minoremve iuxta divitiarum redundantiam, pauperibus quotannis impertiendam.

VII. Filiorum numerum, filiarumque dotem opponere divites solent. Quibus Augustinus hoc præbet responsum ser. de diver. xliii. *Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familia Domini tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus.... Duos filios habes, tertium illum computa; tres habes, quartus numeretur Christus: quintum habes, sextus dicatur; decem habes, undecimus sit. Nolo amplius dicere. Unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis. Quod autem male servas filiis tuis, & tibi oberit, & filiis. Dabis autem portionem unam quam unius filii deputasti.*

VIII. Ut multa paucis contraham, divitum Confessarii ex his signis dumtaxat colligere possunt, utrum illi eleemosynæ præceptum exequantur. Si vitam vere christianam ducunt, optimisque moribus ornati sunt; si iustitiam servant; si avaritiam execrantur, & usuras; si pauperum graves necessitates reipsa sublevant; si debitum eleemosynarum perscriptum habent, sciuntque se esse astrictos ad illud implendum; si denique eo sunt in pauperes liberaliores, quo sunt ditiores: bono sint animo Confessarii. E contrario, si sunt vitiiis, avaritia, usuris, libidinibus, ludis, comestationibusque immergi; si nimia divitiarum sollicitudine, augendique patrimonii cupiditate tenentur, atque in pauperes sunt immisericordes; si raro, aut nimis parce iisdem subveniunt; si mercenariorum labores, ceteraque iustitiæ debita solvere recusant, vel differunt: ex his, similibusque argumentis iudicare prudentes, doctique Confessarii poterunt primi generis divites implere, posterioris vero graviter violare eleemosynæ præceptum. Quapropter illos absolvere poterunt, & debebunt, nisi cetera ob sint: sperare quippe fas est, Deum non de negatorem Christianis bene moratis lumen quo valeant mandatum istud semper exequi. His vero secundæ classis vitiosis, avaris, aut prodigis divitibus absolutionem peccatorum differant, usque dum misericordiæ operibus emendationem manifestare, & comprobare ceperint.

C A

## CAPUT XV.

*Nonnulla quasiuncula de his qui facere eleemosynas possunt, & tenentur.*

I. **F**acili negotio quæ hoc de argumento occurrit difficultates resolvuntur. Omnes qui absoluto rerum suarum dominio potiuntur, possunt, & debent eleemosynas facere; secus illi qui tali dominio carent, re absolute spectata, nisi domini consensus aut expressus, aut tacitus accedat. Quare servi, mancipia, cum rerum iure careant, quæ in eleemosynam erogent, non habent. Secus dicendum, si peculium quodpiam haberent. Eorum quæ sunt in propriam sustentationem collata, possunt partem aliquam sibi adimere, & in pauperes distribuere; dummodo virium extenuatione ad debitum pensum solvendum inhabiles non reddantur. Minores, pupilli, & prodigi, tametsi quasdam parvas eleemosynas proprio statui congruas facere valeant, magnas tamen nequeunt, eo quod vetita illis a iure sit bonorum quorum dominium habent, alienatio. Tutores, curatoresque, penes quos est bonorum procuratio, possunt, & debent eas eleemosynas distribuere, quas erogarent pupilli, & minores, si essent adultæ ætatis, & amentes, prodigique, si ratione non carerent. Quoniam administratio bonorum, non solum in bonum temporaneum, sed & in spirituale beneficium data est; illaque bona, a quocumque administrantur, eleemosynæ pensione gravata sunt.

II. **Q**uæst. I. *Filiis familias licet ne eleemosynas pauperibus distribuere?* Resp. Eorum bonorum quorum dominium parentes habent, planum est nullas eleemosynas facere posse: quippe ea bona quæ nostro dominio non subiacent, haud possumus alienare. Bona vero castrensia pauperibus donare valent filii familias, eo quod pleno istorum dominio, & administratione potiuntur. Secus dicendum de bonis adventitiis. Quamvis enim istorum dominium habeant, ususfructus tamen penes parentes est. Idemque dicendum de bonis adventitiis, quorum non directo dominio modo, verum etiam usu, & administratione præditi sunt patres. Possunt filii familias ex bonis parentum sibi traditis ad honestam recreationem, aliosque usus honestos aliquid adimere, & in eleemosynas distribuere. Similiter, dum parentum negotia agunt, dum foris in studia incumbunt, possunt moderatas, surque conditioni congruas eleemosynas

facere: quia rationabiliter præsumitur tacitus parentum consensus. Ne multa: cum filius idem cum patre sit, potest etiam, dum pater eleemosynarum pensum non solvit, ipse de bonis patris congruas eleemosynas distribuere. Et si pater repugnaret, irrationabiliter invitatus foret. Quod intelligendum est, scandalo, aliisque malis sublatis. Verum perraro arguenda in filiis occurrit nimia in pauperes liberalitas. Plura nobis suppetunt exempla Sanctorum, qui in puerili ætate, incitiis parentibus, bona pauperibus distribuabant; nec propterea quisquam eos peccasse dixerit. Quare non sunt filii in eleemosynis erogandis legum nimia severitate vinciendi. Curandum enim potius est ne in ludos, luxum, libidines, vanosque sumptus bona dilapident.

III. **Q**uæst. II. *Quid potestatis uxores habent in eleemosynarum distributione?* Resp. De bonis mariti, seu de bonis quæ tum marito, tum uxori communia sunt, cum nihil domini in eadem uxor habeat, nihil dispo- nere valet; si res absolute, & iure spectato consideretur. Parvas tamen, consuetasque eleemosynas erogare uxores valent, optima consuetudine obtinente, maritisque consentientibus. Quid, si mariti repugnarent? Si aliqua peculiari ratione mariti vetarent, tum uxoris abstinendum ab his quoque eleemosynis esset. Sed vix occurrere iusta causa potest talis prohibitionis; ideo uxores similes eleemosynas parvas, consuetasque erogare licite possunt.

IV. **Q**uæst. III. *Possunt ne uxores ad aver- tendum malum sive temporale, sive spirituale, quod maritis imminet, eleemosynas facere?* Resp. Adfirmant communiter Theologi; potissimum si de damno temporali gravi, quod in uxoris detrimentum etiam cedit, sermo sit. Quia tum præsumitur tacitus mariti consensus. De damno spirituali, quamquam Molina dissentiat, idem dicendum. Agit enim tunc uxor bonam mariti causam, in quam consentire rationabiliter debet. Et si repugnaret, sine ratione, quin contra omnem rationem esset invitatus. Et hæc est communior opinio. Hinc, si maritus dives sit, negligatque eleemosynas distribuere, poterit uxor congruas eleemosynas facere. Est enim una res cum marito, & quæ in bonum tum temporaneum, tum divinum cedunt, iure agere valet: iniqua quippe esset mariti repugnantia. Et hac eadem ratione, absente marito, aut in amentiam lapsa, uxor consuetas eleemosynas erogare potest, & debet. Quæ

C 2 omnia

omnia tenent in communibus necessitatibus.

V. Quæst. IV. *Possunt ne uxores, infcio marito, succurrere extreme indigenti?* Resp. Non modo possunt, verum debent etiam & tenentur. Licitum quippe esset; tunc aliena surripere ad extremam levandam inopiam. Gravi quoque necessitate laboranti succurrere uxor valet, marito infcio. Si tamen magna bonorum quantitas necessaria esset, tunc consulendus maritus foret.

VI. Quæst. V. *Eleemosynas parvas, & consuetas, quas sine expressa mariti licentia uxor facere solet, potest ne pauperibus consanguineis, nempe parentibus, & fratribus, donare?* Resp. Potest, si parentes, & consanguinei revera pauperes sint. Ordo quippe caritatis postulat ut propinqui præferantur extraneis. Sed tunc non valet aliis pauperibus subvenire: quia excederet consuetam eleemosynarum mensuram.

VII. Quæst. VI. *Licitum ne uxoris est bona sua propria in pauperes erogare?* Resp. Diversi generis sunt bona quæ propria uxoris dicuntur. Primo, si maritus pro victu, & vestitu mulieris summam aliquam destinaret, uxor parce vivendo, posset in eleemosynas distribuere quicquid sibi ex sua parsimonia superesset. Alia autem bona quæ paraphernalia appellantur, quæque hereditate, donatione, sive quovis alio iusto titulo uxori obveniunt, potest etiam, invito marito, ea in pauperes distribuere: quia horum bonorum absoluto pollet dominio, nisi aliqua peculiaris lex obsit. Neque tenetur uxor omittere consuetas eleemosynas, quas ex bonis mariti erogare licite posse supra dictum est; etiam infcio, & irrationabiliter illo invito; ex quo sua propria bona in pauperes distribuatur: quoniam hæc peculiarium bonorum possessio non admittit uxori privilegium subveniendi solitis eleemosynis pauperum egestati.

VIII. Quæst. VII. *Assignari ne potest bonorum quantitas quam ex bonis communibus mariti in pauperes distribuere uxor valeat?* Resp. Diana docet Tom. IV. tract. VII. ref. 34. & ref. 35. posse uxorem, infcio marito, erogare in pauperes vigesimam partem annuorum reddituum. Laudat pro hac sententia Bannez, qui re ipsa ita docet, Malderum, Vegam, Cenedo: quibus addi possunt Pasqualigus, Oviedo, Granados. Hæc opinio nimiam laxa videtur. Posset enim uxor nobilis mariti possidentis annuum proventuum centum mille ducatorum, quinque mille quo-

tanis in pauperes distribuere, infcio marito: quod communi sensui adversari videtur. Alii dicunt ex quolibet centenario duo posse uxorem erogare in pauperes. Sed hæc quoque quantitas arbitraria est, nulloque nixa fundamento. Nihil certi, & præcisi in hac materia finiri potest. Ex pluribus circumstantiis hæc mensura colligenda est, nempe ex pauperum multitudine, ex copia divitiarum, ex maiori, vel minori pauperum egestate, ex oneribus quibus aut est, aut esse probabiliter obnoxia familia potest, ex mariti indole plus minusve in liberalitatem propensa. Si enim maritus pius sit, & valde in pauperes misericors, præsumi prudenter potest consensus in abundantiores uxoris eleemosynas. Præcavendum quoque mariti scandalum, aut dissidium, partum ex uxoris eleemosynis. Quamvis dictum sit, posse uxorem, irrationabiliter invito marito, consuetas eleemosynas distribuere; semper tamen vitanda sunt scandala, & dissidia. Eo vel magis quod maritus absolute dominus est suorum bonorum, sibi que reservare valet totam eleemosynarum distributionem suis divitiis respondentem. Hæc omnia præ oculis habenda sunt in uxoris eleemosynis.

IX. Quæst. VIII. *Tenentur ne Monachi, seu Regulares voto paupertatis stricti eleemosynas facere?* Resp. Si sermo sit de Monachis privatis, planum est, nihil istos posse in pauperes erogare, cum nullius rei dominio potiuntur. In extrema tamen necessitate, invito, nedum consentiente Prælato, possunt, & debent eleemosynas facere ex bonis Monasterii. In aliis eventibus licentia Prælati necessaria est. P. Diana tract. VII. ref. 33. docet posse Religiosum sibi aliquid subtrahere ex his quæ ad illius sustentationem sunt tradita, illudque in eleemosynam erogare. Sed hæc opinio falsa est. Nec enim comparari filijs familias Monachi iure valent. Voto quippe paupertatis vincti sunt isti; idque omne quod sibi adimunt, in Monasterii dominium continuo cedit. Consensus ergo Prælati necessarius est: qui facile concedi minime debet, ut ipse privatus Monachus eleemosynam dispenset; sed Monasterii minister eleemosynas omnes distribuere debet.

X. Monasteria vero Religiosorum, cum bonis abundant, ad eleemosynam tenentur de superfluis: quia proventus illi haud sunt a fidelibus collati, ut Religiosi ditescant, vel ut in superfluos sumptus, in splendida ædificia, in ornatus, & alia sæpe paupertati evangelicæ minime consentanea insistant; sed

sed ut pauperibus, & peregrinis subveniant. Quare Prælati Conventuum, & Monasteriorum, supputatione reddituum, & expensarum facta, quæ superfluis, in pauperes erogent; consultis tamen iis ad quos hæc attinet distributio. Crediderim tamen in consuetis eleemosynis haud requiri aliorum consilium, eo quod consensus, si expressus, saltem tacitus omnium Religiosorum præsumitur. Plura tamen in expendendis his superfluis spectanda sunt. Nam quæ ad resarcienda Conventuum, Ecclesiarumque ædificia, & ad reparanda damna requiruntur, minime sunt reputanda superflua. Augeri etiam potest Religiosorum numerus, si id expediens visum fuerit. Ordo quoque servandus in pauperum levamine. Nam si alii Conventus eiusdem Ordinis egent, hi præferendi sunt exteris pauperibus. Nec dicas, nihil superesse, his omnibus spectatis. Nam licet interdum hoc verum habeat; sæpe tamen multorum Monasteriorum Religiosi pecunias augent, redditus multiplicant, ædificia excitant, ornatus ornatus accumulunt, in quibus nimius splendor, ne dixerim nimia vanitas fulget. Interim plures Conventus languent, esuriunt, nimiaque molestia premuntur. Quis ab avaritiæ labe purgaverit locupletum Conventuum Religiosos, qui in ærario otiosas servant pecunias, neque pauperibus, neque aliorum Conventuum fratribus subsidia conferre volunt? Quid, si neque vel ipsam mutuum pecuniam absque lucri annua pensione, sicto censu fucata, ad libidinem redimibili, impertiri vellent? Nonne isti cogitent de crastino, omnes possibiles eventus somniando? Caveant ergo ne prætextu ornandi Ecclesias, & Monasteria ditandi, avaritiæ, & nimie cupiditati indulgeant, nimiamque proprii nominis, & exquisitæ æconomiae famam appetant in hoc mundo cum pauperum fratrum detrimento. Si adeo severa est lex eleemosynarum in Christianos divites; numquid mitis erit, & blanda in mendicantes opulentos? Verum de his plura alibi.

## CAPUT XVI.

*Quibus pauperibus eroganda sit eleemosyna.*

I. Solis pauperibus impertienda eleemosyna est. Duo sunt pauperum genera. Alterum voco necessarium, quod, miseria premente, victu & vestitu destituitur. Voluntarium alterum, quod ut Christo Domino perfectius adhæreat, contemptis divitiis, eiusdem sectatur vestigia. Utriusque generis pau-

peribus subveniendum est, quicquid contra obganniant heterodoxi. Materia quippe eleemosynæ miseria est, & egestas. Quicumque eadem laborat, iuvare debet. Numquid sublevandus non esset ille qui, dilapidatis divitiis, sua culpa in miseriam se se sponte coniecisset? Quis ergo asseruerit, subsidia danda non esse Religiosis, qui virtutis amore, Deoque ferventius interveniendi desiderio, omnia dimiserunt? Quin in pari causa subveniendum potius Religiosis, qui maiore splendore pietate, christianæque Reipublicæ suis studiis, prædicationibus, sacrisque ministeriis utiliores sunt præ ceteris pauperibus ostiatim mendicantibus. Nec propterea defraudandi subsidio necessario sunt pauperes, quantumvis peccatores, & scelesti; non ad fovendam eorum malitiam, sed ad averteendam eorum miseriam. Nec inquirendum in pauperes est, sintne peccatores, an iusti; sed tantum eorum inopia spectari debet. Reponenda in sinu pauperis eleemosyna est; & ipsa, non pauper, orabit ad Dominum. Omnibus ergo indigentibus, sive christianis, sive hæreticis, sive infidelibus, sive amicis, sive inimicis proviribus impertiendum est. Siquidem caritas Christi non personarum spectat prærogativas, sed proximi levamen.

II. Quæst. I. *Danda ne eleemosyna est homini avaro indigenti, propterea quod nolit ex suis bonis sibi succurrere?* Distinctione opus est. Si impotens avaritia in amentiam illum coniecit, levamen ferendum est: quemadmodum illi qui delirio percitus laqueo se suspendere, aut in flumen se proicere tentaret, esset subveniendum. Secus, si sui compos sit: imputet quippe sibi, si iuvare se se nolit.

III. Quæst. II. *Peccat ne graviter qui simulans paupertatem, eleemosynas querit, recipitque?* Tenetur ne hic ad restitutionem? Resp. Grave peccatum perpetrat, nisi materiæ parvitas excuset, qui paupertatem fingens, eleemosynas extorquet: tum quod veris pauperibus damnum infert; tum quod per fraudem aliena bona surripit. Et de hoc nullo penes Theologos est dissidium. Ad restitutionem quod attinet, non una est omnium sententia. Nam aliqui contendunt validam esse eleemosynam sicto pauperi collatam. Quoniam ratio quæ divitem ad eleemosynam dandam impellit, honestas est misericordiæ. Porro virtus misericordiæ consistit, posita etiam pauperis avaritiæ. Valida ergo est stipis collatio, cum permaneat potissima illius ratio.

IV. Contraria sententia communior est,

& vera. Quæ ut perspicue explicetur, distinguamus oportet honestatem actus ab illius substantia, & valore. Materia unica, seu obiectum eleemosynæ est pauperis miseria auferenda. Hoc est primum quod eleemosyna spectat. Quod autem fiat aut ex vana gloria, & superbia, aut ex misericordiæ honestate, hoc illi accidit. Quot divites, non misericordia, sed vanitate, aut iactantia impellente, eleemosynas erogant? Extrema ergo est valori actus, in sua substantia spectati, honestas virtutis, propter quam fit. Porro error, & dolus in substantia donationis contractum vitiat, nullumque efficit. Ad restitutionem ergo astringuntur pauperes simulatores, & fraudulentum. Huic sententiæ subscribunt Aletius IV. Part. quest. lxxxvi. memb. 3. art. 3. Caietanus verb. Restitutio cap. ult. Vasquez cap. 3. memb. ult. Castropalaus tract. vi. disp. 2. punct. 14. num. 3. Tamburinus Lib. VIII. in Decal. tract. iv. cap. 1. num. num. 2. & 3. Leander tract. v. disp. v. quest. 11. pluresque alii ab eodem laudati. Salmanticenses tract. xxi. cap. iv. punct. 2. §. 2. num. 33. primæ subscribunt opinioni, eamque firmare contendunt quibusdam exemplis. Videlicet Episcopus ordinans Petrum simulantem sanctitatem, vere illi ordinem confert, tamen si sanctus non sit: similiter qui baptizatum Ioannem credens esse Petrum, verum confert baptismum: & contrahens matrimonium cum ignobili, credens esse nobilem, verum facit matrimonium. Hæc momenta suapte natura ruunt: quia error non substantiam, sed adventitia spectat: nec alicuius ius hic læditur. E contrario res se habet in simulante paupertatem. Damnum hoc in casu veris pauperibus infertur, cum tota, & unica ratio largiendi eleemosynam sit paupertas, qua sublata, cessat omnino ratio divitem movens, ut ostendimus.

V. Quid, si eleemosynæ modicæ sint? Tenetur ne mendicus simulator ad restitutionem? Negat Leander cum pluribus aliis loc. cit. quest. xii. quia præsumitur, divites modicas eleemosynas conferre pauperibus sive veris, sive fictis, titulo caritatis, & misericordiæ. Verum hanc rationem nullam esse, iam demonstratum est. Quod enim eleemosynæ parvæ sint, aut magnæ, perinde est ad actus valorem. Id dumtaxat sequitur, quod si eleemosynæ modicæ sint, levis erit restitutionis obligatio. Ceterum si ficti pauperes ostiatim stipem accipiant modicam, sed ita repetitam, ut ex omnibus parvis eleemosynis simul acceptis summa quedam constetur

magnæ quantitatis; restitutio pauperibus facienda est, tamquam ex bonis male partis. Hoc ad summum de divitiis præsumi potest, videlicet quod parvæ eleemosynæ non sibi, sed veris pauperibus erogentur.

VI. Quest. III. *Peccant ne ii qui reapse pauperes sunt, sed maiorem ementuntur paupertatem, rationesque confictas exponunt, quibus facilius commoveant divitum corda in ampliores eleemosynas?* Resp. Mendacia sive verbis, sive factis prolata nunquam a peccato immunia sunt. Quare questio nulla est, quod pauperes fingentes aut sanctitatem, aut infirmitatem, aut pericula, ceteraque id genus, peccent plus minusque pro circumstantiarum diversitate. Ad restitutionem tamen minime astricti sunt. Paupertas quippe vera est, divitesque tenetur veris pauperibus succurrere: Quod autem facilius moveantur, dum sauciata conspiciunt pauperum corpora, vulneribusque dilaniata; aut cum illorum animas virtutum, & innocentiae splendore emicare credunt; nullo modo vitiat donationis valorem, nec actus substantiam tangit. Avaritia divitum sæpe cogit pauperes ad eiusmodi figmenta.

VII. Quid de concionatoribus, qui, ut ditiores eleemosynas extorqueant ab auditoribus suis, rationes commentitias exponunt, exaggerantque, modo puellas prostitutioni proximas, modo viduas cum filiabus matrimonio aptis, sed maculandæ castitatis periculo obnoxiiis, aliaque similia deprædicant, quæ omnia falsa sunt? Eiusmodi concionatores qui scienter talia ementiuntur commenta, graviter peccare, non est ambigendi locus. Peccant quippe contra veracitatem: peccant, quod sacro abutuntur ministerio, & falsitatis, non veritatis prædicatores effecti apostolicum officium in ipsa veritatis cathedra sacrilege profanant, & scandali offendiculum populo ingerunt. Quod attinet ad restitutionem, si eleemosynæ veris pauperibus conferantur, nullum est restituendi debitum; si fictis mendicis donentur, qui in communi existimatione, & re ipsa pauperie non premanant, restitutio faciendi est veris pauperibus.

VIII. Quest. IV. *Tenentur ne ad restitutionem pauperes mendacio impediens alios pauperes ab eleemosynæ consecutione, aut eleemosynis divites effecti, si postea mendicent?* Resp. Pauper divitis ostio, aut Monasterio aditans, pauperibus advenientibus distributam eleemosynam fuisse enuntiat: quo audito, recedunt pauperes mendacio decepti. Negant Theologi aliqui huic pauperem restitutionem esse

esse obnoxium, eo quod mendacium officiosum solummodo sit. Adfirmant vero, si dives simili mendacio ab eleemosyna pauperes arceret: mendacium quippe tunc perniciosum esse contendunt. Verum haud video cur perniciosum in divite, secus in paupere esset mendacium istud; cum idem omnino damnum inferret, sive a paupere, sive a divite proferretur. Utroque ergo ad restitutionem astringi, probabilis videtur. Pauperes quoque, qui conquestis eleemosynis sufficientem victum, & vestitum sibi compararunt, restitutionis debito, si mendicare pergunt, subiecti sunt. In hoc quippe casu ficta paupertas esset.

IX. Quest. V. *Utrum peccent qui mendicant, ut filias matrimonio iungant, quas dotare nequeunt, vel ut aliis pauperibus subveniant?* Resp. Pauper est non modo qui victu, & vestitu caret, verum etiam qui status sui onera sustinere nequit. Nullum itaque peccatum perpetrat qui revera impotens dotare filias, eleemosynas petit, & accipit, quibus dotem eisdem parare valeat, ut nubant. Divites quoque mendicare potest, ut pauperibus opem ferat. Si vero dives voto, aut alio pacto se obstrinxisset ad pauperem alendum, nequiret in præfati pauperis subsidium eleemosynas petere: quia eiusmodi pauper, posita divitis obligatione eundem alendi, pauper vere non esset.

X. Hinc pater, aut frater divites nequeunt pro filio, aut fratre pauperibus mendicare: quia filii, fratresve, qui patres, aut fratres divites habent, pauperum numero non accensentur. Si tamen filii, fratresve omnem suam portionem quæ iure ipsis contingebat, a patre vel fratre acceperunt, eaque dilapidata, pauperes effecti sunt, pro istis eleemosynas petere non videretur illicitum ipsis parentibus, vel fratribus. Tum enim filii, fratresve egentibus vere pauperes sunt, cum nullum ius habeant ad patris, fratrisque divitum patrimonium. Verum quidem est quod caritatis, tamen non iustitiæ, titulo, omnium primi tenentur parentes, fratresque divites filiis, fratribusque egentibus subvenire.

XI. Quest. VI. *Cui faciendi est restitutio eleemosynæ ficta paupertate comparata?* Resp. Dicitur est supra pauperibus faciendam esse; idque docent Caietanus, Medina, Navarrus, Molina, & alii. Contra Sotus, Granadus, Lessius, Hurtadus donatori restituendas esse eleemosynas simulato pauperi impertitas propugnant. Palaus, Tamburinus, Diana, Leander utramque opinionem probabilem asserunt,

liberumque pauperi esse cui maluerit restituere. Verosimilius dicendum videtur donatori restituendum esse, si magnæ quantitatis fuerit eleemosyna, & ob peculiarem, gravemque causam facta: quoniam tunc invitum præsumitur donator super restitutione suorum bonorum pauperibus facta; consentientes vero prudenter creduntur divites, cum eleemosynæ parvæ fuerint respectu singulorum divitum.

XII. Quest. VII. *Quomodo se gerere debet qui potestatem habet a testatore pecunias in pauperes distribuendi?* Resp. Plura de hoc, cum de executoribus testamentorum sermo erit. Breviter nunc dicimus inhærendum esse quatenus fieri potest, testatoris voluntati, quæ ex verbis, & circumstantiis colligi debet. Si pauperes sint expressi, arbitrio non est locus. Si pauperes plurali numero vocati fuerint, uni, aut alteri pauperi restringenda non est eleemosyna. Ordo quoque servandus in distributione. Egentiores minus egentibus, iusti peccatoribus, propinqui extraneis, utiliores Reipublicæ ignavis præferendi sunt.

## C A P U T XVII.

*Ex quibus bonis faciendi eleemosyna est?*

I. **P**AUCIS propositam questionem expediemus. Primo eleemosyna fieri nequit ex bonis furto, rapina, usura, seu iniustitia comparatis. Eiusmodi enim bona veris dominis quibus surrepta fuere, restituenda sunt. Hac ratione Scriptura sæpe iubet de nostra substantia Dominum honorare, victimasque furto sublatas detestatur: *Honora Dominum de tua substantia: Prov. 11. & Tobia IV. Ex substantia tua fac eleemosynam. Isaia vero cap. lxi. execratur holocaustum ex rapina: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.*

II. Iuvat huc transcribere aptum D. Augustini textum ex ser. xxxv. de verb. Dom. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Hoc quidam intelligentes recipiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur; & putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim: Rapere res alienas, mammona est iniquitatis: erogare inde aliquid, maxime egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est; immo de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis. De iustis laboribus facite eleemosynam: ex eo quod recte habetis, date.*

III. Bona per simoniam acquisita, cum

hec possint retineri ab eo qui accipit, nec restitui illi qui dedit, in usus pauperum, vel Ecclesiae expendi debent, ut docet D. Thomas 2. 2. *quest. xxxii. art. 7.*

IV. Quae nefariis artibus sunt acquisita, nimirum lenocinio, vel meretricia prostitutione, & retineri, & in eleemosynas distribui licite possunt. Quamquam enim iniquitate parta sint, iniuste tamen data non fuerunt: ergo nec iniusta retentio. Sic docet Angelicus 2. 2. *quest. xxxii. art. 7. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non iniuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri. Quod tamen intelligendum est de iusto pretio meretrici soluto. Quamvis enim certi pretii limites designari nequeant, quaedam tamen pretia, seu dona seipsis nimium vitiosumque excessum produunt. Paucos ab hinc dies nobilis quidam tanto libidinis igne aestuabat, ut decem aureorum millia meretrici dederit. Isti veluti fatui, atque praestigis capti habendi sunt. Quapropter non audebam asserere, posse meretricem de tanta summa ad libitum ceu veram dominam disponere; sed quod moderatum pretium, attentis & meretricis, & amasii conditionibus excedit, restituendum putarem, aut in opera pia, & eleemosynas erogandum. Circumstantiae tamen spectandae sunt, potissimum si meretrix, relictæ turpi arte, ad meliorem se recipere frugem, atque in tuto se collocare vellet. Quo in casu in meretricis favorem ferendum iudicium est. Quae contra opponi possunt, non me fugiant; videlicet quod qui donat, libere donat, & meretrix valide accipit: neque aestuans amor rationem adimit donatori. Vera sint haec omnia. Sed contractus quisque laxioni obnoxius est, atque compensationi; dum nimium, & ultra communem sensum pars altera gravatur. Verum clarius suo loco haec discutientur. Quin quae dicta hac de re a me sunt, in suspensio relicta volo, donec melius expendantur.*

V. Ex paucis quae libavimus, colligitur ex solis bonis quorum quisque dominium habet, erogandas eleemosynas esse. Dicendum foret de bonis alea acquisitis. Verum quia plures essent difficultates enodandae, idcirco ad propriam sedem hanc disputationem remittendam censéo.

## CAPUT XVIII.

*De eleemosyna Clericorum. Arctius isti quam laici pauperum egestatem suis superfluis levare tenentur. Quae ex beneficiis ecclesiasticis percipiunt bona, congrua sustentatione dempta, iustitia, necdum caritatis, titulo in pauperes distribuere astringuntur.*

I. Auctores nescio qui, ut Pauli Comitoli, Societatis Iesu Theologi omnium elegantissimi, atque perdocti, verbis utar, *Ref. Moral. Lib. I. quest. lxx.* novam periculosamque opinionem post mille & quingentos annos in christianam Rempublicam invehere conati sunt, qua iis qui beneficia obtinent ecclesiastica, fructuum inde perceptorum absolutum dominium tribuebant. Quae sane opinio sua ipsa novitate confoditur, atque extrema quae inde profluunt mala, illico prodit. Sententia quae iustitiae vinculo astrictos propugnat christiani gregis Pastores ad levandam pauperum egestatem superfluis fructibus ex beneficio collectis, suapte natura perspicua est, quindecim saeculorum praescriptione fulta, Conciliorum, Canonum, Pontificum auctoritate, rationibusque luculentissimis munita. Vanis distinctionibus, ac ratiunculis, ab usu potius arcessitis quam a veris principiis, evidentem sententiam involutam recentiores effecerunt, implexamque. Ut veritas in tuto collocetur, primum quae penes omnes certa sunt, deinde quae in discrimen vocantur, manifestabo.

II. Tria in Beneficiario, sive Episcopo, sive Parocho, sive Canonico, sive quocumque alio animarum Pastore, aut pensionario, bonorum genera distinguuntur. Patrimonialia, quae iure hereditatis, aut donationis, vel propria industria parta Beneficiarii possident. Quasi patrimonialia, aliqua arte docendi, scribendi, aliove iusto lucrando titulo acquisita. Inter haec quasi patrimonialia bona recenseri etiam solent quae Beneficiarii accipiunt propter praedicationem, sacrificia, sacramentorum administrationem, cantum ecclesiasticum, divinatorum officiorum celebrationem, Ecclesiarum visitationem, consecrationemque. Verum non ausim ego bonis quasi patrimonialibus eiusmodi accensere; quin in tractatu de Simonia oppositum sentiendum esse contendam. Postrema sunt bona mere ecclesiastica, quae titulo beneficii percipiuntur. Bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium absoluto potuntur dominio Ecclesiastici, non secus ac laici. Bona ergo mere sacra, seu ecclesiastica

quae

quae Christi patrimonium, peccatorum pretia, fidelium oblationes, & sacrificia nuncupari solent, disputandi praebent argumentum.

III. Verum, ut disputatio clarius procedat, duo sunt magnopere perpendenda. Unum, diversam ecclesiasticæ annonæ naturam; alterum eiusdem annonæ distribuendæ, & administrandæ formam, & modum spectat. Ad primum quod attinet, quatuor solent bonorum ecclesiasticorum genera distingui. Prima quae sub Ecclesiae initium Christiani in commune ararium conferebant, quibus tam Clerici, quam pauperes alevantur. Hunc ritum Evangelista Lucas *Act. iv.* describit. Alia sunt bona quae offerre Christi fideles coeperunt, veluti in stipendium alicuius perpetuae Capellaniae, seu anniversariae memoriae perpetuo celebrandæ. Tertiū bonorum generis sunt oblationes quotidianæ vel pro sacrorum celebratione, vel ad altare exhibita. Quartum est decimarum solutio. Secundum, quod animadversione dignum est, diversam administrandi, distribuendique ecclesiastici patrimonii formam, & rationem refert. In Ecclesia primordiis fideles, saltem Hierosolymæ, in communi vivebant, ut in laudatis Apostolorum Actibus asseritur. Hic mos, quamvis apud fideles exolevit, in Clericis tamen diu perduravit. Episcopis, quibus concedita erat animarum cura, bonorum quoque distributio incumberebat. Ipsi, veluti patres familias, Clericis, & pauperibus, prout opus erat, alimenta impertiebant. Augustini tempore disputari ceptum, utrum deberent sacris initiari qui nolent in communi vivere. Sed Augustinus ipse, tametsi primo nullum vellet ad clericatum evehere qui secum nollet in communi vivere; renihominus serius expensa consilium mutavit. Huius Apostolicæ vivendi formæ vestigia quaedam adhuc visuntur in nonnullis cathedralibus Ecclesiis. A capite seiuncto Clero, Episcopi nonnulli iniuste administrationis rei evaserunt. Avaritia, & ambitione perciti, pauperum, & Clericorum subsidia in rem suam convertentes, aut divitias accumulabant, aut luxui vanisque pompis intervalebant. Huic malo ut occurrerent Pontifices Summi, & Concilia Ecclesiasticam annonam tribui constituerunt in partes quatuor: unam Episcopo, reliquo Clero alteram, Ecclesiae fabricæ tertiam, pauperibus quartam. Illius partitionis initium satis obscurum, auctorque ignoratur, ut advertit Christianus Lupus *Tom. V. Ven. edit. ad can. X. Concil. Tolosan.* Ferunt B. Sylvestrum primum hanc praescripsisse partitionem anno 324. in Concilio Romano peripsum celebrato. Illius

divisionis meminit Simplicius Papa circiter annum 370. ut colligitur *ex can. de rediv. XII. q. II.* Invaluit divisio isthæc sub Gelasio Papa anno 492. ut habetur *cap. Concesso, XII. q. II.* sub S. Gregorio Magno anno 592. In pluribus tamen Ecclesiis hæc quadripartita divisio haud fuit in usu. Qui hoc de argumento plura avert, consulat Ludovicum Thomassinum *Ecl. discip. Tom. III. Lib. II.*

IV. Duo postremo loco adnotanda. Primum, quod temporis successu pauperum portio non fuerit a portionibus Episcopi, & Cleri separatim reperta, atque adeo cum illis permixta remanet: quod facile contingit. Quippe cum primum partitio instituta fuit, administratio stipis pauperibus, & Ecclesiae destinatae penes ipsum Episcopum, aut Clerum remanet, ut clare colligitur ex pluribus monumentis, potissimum ex Decretali Gelasii Papæ, Epistola ad Brutiorum, & Sicilia Antistites, quam refert laudatus Christianus Lupus. Quare facillima fuit permixtio cum propria sive Episcopi, sive Cleri portione. Nullibi vel leve antiquitatis vestigium occurrit, quod præter Episcopum, aut Clerum, portione pauperibus assignata dispensator aliquis institutus fuerit. Alterum ex primo profuit. Confusa, subsequens temporum decursu, ob innumeras vicissitudines bellorum, principatum, aliarumque calamitarum, pauperum parte cum Episcoporum, Clerique portione, omne quadripartitæ divisionis signum dispersit. Hinc innumera beneficia postmodum creta, amplisque redditibus dotata fuere, nulla facta partitionis memoria. Ex his duobus punctis dirimendæ infra controversiæ decisio plurimum, nisi fallor, pendet. Si enim nunc confusa bona sunt, Beneficiarii in præsentia non secus ac Beneficiarii ante bonorum divisionem, iustitiae titulo astricti sunt, quae propriae sustentationi superant, in pauperes, Deique obsequium impendere. Et reapse Dominicus Soto primus fere novæ contrariæ opinionis inventor, in hypothesi loquitur quod bonorum divisio facta sit, ut clarius iam iam manifestabitur. Hinc colligas velim, iuniores Theologos, & Canonistas plures aberrare prorsus a vero, dum huic quadripartitæ divisioni inhærentes de Beneficiarium obligatione disputant. Nullum quippe istius partitionis vestigium, aut nota superest. Cum hæc partitio obtinebat, singulis annis Synodi habebantur, supplicationes fiebant; & prout reditus abundantes, aut minores erant, redundabant quoque, aut decreverant eleemosynæ. Sublata hac partione, bona ecclesiastica naturali onere gra-

gravata remanserunt. Nulla ergo prorsus istius in quatuor partes divisionis habenda nunc ratio est, ac si numquam extitisset: quia revera nullum in præsens vestigium superest.

V. His prænotatis, quæ penes omnes Theologos, & Canonistas extra disputationis aleam sunt constituta, explicabimus; ea deinde persequemur quæ variis placitis sunt subiecta, & quod verisimilius visum fuerit, indicabimus; atque maioris claritatis gratia caput istud in varios paragraphos dividemus.

## §. I.

*Beneficarii omnes arctius quam laici, gravissimo caritatis præcepto tenentur ecclesiastica bona congruæ sustentationi superflua, in pauperes, piosque usus distribuere.*

VI. S Emper animo meo alte insedit cogitatio, admodum parum iuvare Beneficarios Theologorum diffidium super debito quo devinciuntur illi pauperibus impertiri superflua, spectata dumtaxat eorumdem æterna aut salute, aut damnatione. Idque demonstrandum in præsentia suscipio. Convenit penes omnes cum Theologos, tum Canonistas, præceptum caritatis sub interdicto æternæ damnationis urgere Ecclesiasticos ad superfluum eleemosynam; quod caritatis præceptum arctius Ecclesiasticos beneficia obtinentes attingit quam ceteros Christi fideles. Ius quippe divinum, & canonicum violant Beneficarii, superflua, quæ ex redditibus ecclesiasticis percipiunt, retinentes. Christi fideles possunt ad altiorem statum ascendere, amicis, & quibusque placuerit, donare, rem propriam moderate augere, gradus, & dignitates sibi comparare, peculia retinere ad filiarum dotem, ad onera Reipublicæ sustinenda, iis servatis quæ supra indicavi. Contra Beneficarii nequeunt ad diotiorem statum ascendere; non divitias accumulare possunt, non consanguineis donare, non eorum rem amplificare, non ad altiorem gradum evehere, non amicis minime egentibus impertiri quidquam ex iis quæ ecclesiastica bona sunt. Tamen si nulla urgeat extrema, aut gravis penuria, nihil scilicet in pauperes, aut Dei cultum omnia superflua erogare tenentur. Quapropter letaliter delinquant, si in ludis, venationibus, conviviis opiparis, comædiis, voluptatibus, deliciis, aliisque id genus oblectamentis ecclesiasticos fructus infumant; si equos, canes, nimiumque famulorum numerum præter necessitatem alant; si ornata valde splendide, qui pompam, fastumque sæculi redoleat, domos suas intrant.

In his etenim omnibus transgrediuntur iura divina, & ecclesiastica, & mortaliter peccant, omnium penitus Theologorum, & Canonistarum confessione. Idque adeo certum est, ut absque manifesto errore in dubium revocari nequeat.

VII. Videndum nunc superest, quid illis ad æternæ damnationis barathrum declinandum proficit, quod non lædant iustitiæ legem. Æque liquidem, qui præceptum caritatis, ac qui iustitiæ mandata violant, æternum pereunt. At, inquis, sola contritione, & confessione peccata adversus caritatis præceptum delentur; quæ vero iustitiæ infringunt, onus restitutionis imponunt. Quid inde? Hoc hereditibus tuis valde inservit; hoc patrimonio tuo, si quod habes, præsidium affert: quia non teneris ex illo demere, ut restituas quæ pauperibus diripuisti. At non propterea damnationem effugis. Quod, ut perspicue respateat, distincte explicandum est. Beneficarii divites annuos recipiunt redundantes redditus. Hoc anno eorumdem superflua, neglectis pauperibus, Deique cultu, in vanos usus, in consanguineorum commodum impendunt. Pœnitentiæ sacramento veniam obtinent, dummodo deliberato animo emendationem spondeant, & præstent. Recidunt id idem peccatum vitiosæ administrationis. Iterum confitentur, & iterum peccant, quia persilunt in continuo abusu ecclesiasticorum reddituum. Ex defectu emendationis, sacramentalis absolutionis indigni evadunt. Est ne absolutionis capax concubiniarius, qui reapi concubinam non dimittit, tamen nullius iniustitiæ reus sit? Idem profecto dicendum de Beneficario qui suos annuos superfluos redditus in pauperes, & opera pietatis non distribuit. Omnium ergo Doctorum consensione eiusmodi Beneficarii in dies peccata peccatis, sacrilegia sacrilegiis accumulunt, universamque vitam sceleribus pollutam ducunt, sacrilege celebrant, sacrilege sacramenta administrant. Quodnam illis profugium superest? Pœnitentiæ in extrema lucta? Hæc est omnium iniquorum fiducia. Pari ergo in causa sunt, eademque alea salutem suam ludunt & Beneficarii qui toto vitæ suæ tempore in profanos usus ecclesiastica bona prodigunt, & concubiniarii qui in mortis solum articulo pœnitere, & dimittere concubinam velint. Quid, si instante morte, testamento consanguineos heredes instituerent, illisque etiam tum pinguem suppellectilem, & plura quæ possident, donarent? Essetne tunc sincera illorum pœnitentiæ? Ferveret ne illorum in Deum proximamque amor, si ipse eo-

demque tempore & altissimum caritatis mandatum erga Deum, & proximum infringunt, & divina, ac ecclesiastica iura perturbant? Sancte ne sacramenta suscipiant? Quid de eorum Confessariis dicendum, si illos tum absolvent, cum reipsa actu sacrilege peccent, ultimamque vitæ tempus tot sacrilegiis polluant? Perinde itaque fere est, ad æternam Ecclesiasticorum damnationem quod attinet, sive ex iustitia, sive ex caritate astringantur superfluos Ecclesiæ redditus erogare. Nec minoribus gehennæ flammis ardebunt, quod caritatis dumtaxat, & misericordiæ leges contempserint, quam si iustitiæ laxissent. Quin non parum eorum augebit supplicium, cum intelligant, se idcirco æternum periisse, quia lautiora convivio consanguineis pararunt, eorumque luxum, fastum, & fortunas auxerunt. Quæ omnia confirmare lubet verbis Domini Soto *Lib. X. de iust. quæst. iv. art. 4. con. 3.* „ Quocirca non debent Episcopi ob id securus pacare conscientias suas, si in eleemosynis erogandis remissiores sint, quod vinculo iustitiæ ad restitutionem non teneantur, satis se proinde facturos arbitrantur, si in mortis articulo sacramento pœnitentiæ eiusmodi culpas abluant. Nam cum etiam præceptum misericordiæ, de quo præfati sumus, sub reatu mortalis criminis obliget; inde satis debent exterreri, ut si dem Deo illæsam servent. Præterquam quod, quamvis lex caritatis ad restitutionem non obliget, debent profecto eorum Confessarii, tam durante vita, quam in mortis articulo, eis quos pauperum negligentes noverint, per modum sacramentalis satisfactionis, largissimas eleemosynas imponere, ut eodem propemodum reculat ac si lege iustitiæ ad restitutionem tenerentur. Sic loquuntur vel illi qui caritatis tantum lege devinctos Ecclesiasticos docent ad superflua eroganda. Hoc idem post Dominicum Sotum inculcat Cardinalis Bellarminus. *Non disputo quæstionem illam, an Prælati sint vere domini reddituum ecclesiasticorum, & an teneantur restituere quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælati damnentur ad inferos, quia peccavit contra iustitiæ legem, an quia peccavit contra caritatem non bene distribuendo facultates suas. Solum quero in quos usus debet expendere suas ecclesiasticas facultates, ut non amittat vitam æternam. Huc omnia recidunt.*

VIII. Quæ hætenus dicta sunt, omnium Theologorum, & Canonistarum calculis probantur. Porro si hæc beneficarios non com-

movent; si evidens æternæ damnationis, quod eos manet periculum, illorum avaritiam non extinguit, & eos ad persolvendam fidem Deo datam, paternæque misericordiæ affectum, effectumque in gregem sibi concredidum non excitat; quæ spes superesse de eorum salute potest?

## §. II.

*Auctoritates, quibus evincitur iustitiæ lege Beneficarios astringi superfluos ecclesiasticos redditus in pauperes, & pia opera distribuere.*

IX. I Nfinitus essem, si omnia in medium afferre velle Canonum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, ac Theologorum documenta, quæ iustitiæ vinculo astrictos Beneficarios clamant ad distribuenda in pauperes, piosque usus quæ eorum congruæ sustentationi superflua sunt. Quædam dumtaxat selectiora adducam brevitatis gratia.

X. Concilium Antiochenum canon. xxv. qui habetur cap. *Episcopus caus. xxii. quæst. i. Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quam in fratrum qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nulla qualibet occasione fraudentur, iuxta S. Apostolum sic dicentem: Habentes victum, & tegumentum, his contenti sumus. Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, Synodo Provincie pœnas persolvat.*

XI. Gratianus refert canonem sub nomine Urbani Papæ, huius tenoris. *Res Ecclesiæ non quasi propria, sed ut communes, & Domino oblate cum summo timore, non in alios quam in præfatos usus sunt fidelibus dispensanda. Item Concilium Nicænum II. canonem edidit Quamvis, qui habetur caus. xii. quæst. ii. Omnium ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenseat eas, tamquam Deo contemplante. Non licet autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt.*

XII. Verum, missis antiquioribus Conciliis, & Canonibus, satis sit ea referre quæ Tridentinum Concilium præscribit sess. xxv. cap. i. de Ref. *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet (sancta Synodus) ut Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo curent ne quid appareat*

reat quod a sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praeferat. Omnino vero eis interdictum ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas tamen non distrahant, nec dissipent illorum causa: immo quam maxime potest, eos sancta Synodus monet ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed & ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit. Hic summopere animadvertendum venit, sacrant hanc Tridentinam Synodum antiquos Apostolorum & Conciliorum primae aetatis christianae canones allegare in confirmationem eorum quae re ipsa praecipit. Non ergo quid novi iubet, sed communem Ecclesiae sensum exponit, executionemque imperat. Dicant nobis Cassianae, qui auctoritate Tridentini dominos reddituum suorum Beneficiarios efficiunt: dicant, inquam, vellent ne Concilium ne sua bona Beneficarii consanguineis donarent, si eorumdem absoluti domini essent? Quia patrimonialium bonorum domini sunt, interdiciuntur ne eadem legare consanguineis? Quid ergo cavillantur has voces, fructus suos facere; ut evincant dominos esse bonorum ecclesiasticorum Beneficiarios; si tam clare Tridentinum explicat, iubetque, ut Beneficarii omnes in pauperum subsidium, pioque usus redditus Ecclesiae distribuant?

XIII. Sanctus Carolus Borromaeus in pluribus suis Conciliis Tridentinum decretum inculcat, atque uberiori verborum sensu declarat. Concilii primi Mediolanensis decretum, pluribus omisissis, transcribam ex tit. 63. „ Sacrorum Canonum decretis statutum est, „ & sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum, quae bona fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis qui divinis dicati obsequiis, Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei effecti essent; vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis; vel pauperibus sustentandis addita esse: *sequitur*, ubi primum Ecclesiae bona esse cepe-

„ runt, eam naturam, & conditionem consecuta sunt, ut in alium quam sacrum, & „ pium usum, eorum fructus converti nefas „ esset. Quare cavendum est ne cupiditate „ prolapsi, quae radix est omnium malorum, „ dum vel propriis, vel propinquorum, & „ familiarium divitiis, & honoribus studemus, „ quae Deo dicata sunt bona, & Ecclesiae „ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione, ad aliorum usum convertamus. Itaque nos sacrorum Canonum, „ & sanctorum Patrum auctoritate innixi, atque iis inducti quae sacra Tridentina Synodus de officio administrandi bona ecclesiastica significavit, eos omnes qui ea obtinent, vehementer monemus ut muneris sui memores, haec quae sequuntur, diligentissime praestent. Episcopi, Abbates, Praepositi, Parochi, ac ceteri omnes, cuiuscumque dignitatis, & gradus, Ecclesias etiam eorum administrationi commissas, ac quaecumque beneficia ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata in Provincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiae, & beneficia ex bonorum ecclesiasticorum natura, vel ex illorum quae obtinent, propria institutione, vel ex conditione apostolicis litteris in provisione dictorum beneficiorum eis praescripta, vel alia quacumque eius generis ratione subiaceant, illisque integre satisfaciant. Quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindicare, vel in alios transferre aut fuerint, vel in quem debent usum, non impenderit; se ex sacris canonibus, & sanctorum Patrum sententia sacrilegii reos esse intelligant; & eorum omnium restitutione teneri; neque ulla omnino etiam immemorabili consuetudine excusari.

„ Noverint etiam ii ad quos scientes huiusmodi fructus, vel aliquod ex illis commodum, quovis nomine pervenerint, se eadem restitutionis lege teneri.

„ II vero qui Ecclesias, & beneficia ecclesiastica quaecumque obtinent, quorum fructus ad eos tamquam divinum obsequiorum ministros, honeste sustentandos proprie sunt attributi, si uberiores sunt quam ad tuendam vitam, conditionisque suae rationem requiratur, dubitare non debent, ad eam finem hanc copiam esse illis attributam, ut praeter ea quae ad victum, & cultum eorum satis essent, suppetere etiam quibus divini cultus ornatus, ac splendor conservaretur, & pauperum inopia, & in-

„ digentia sublevaretur; quemadmodum etiam „ Deus plerosque divitiis cumulat, ut amicos „ sibi faciant, a quibus, cum defecerint, in aeterna recipiantur tabernacula. Quomobrem per viscera misericordiae Iesu Christi obtestamur, atque monemus ut meminerint, ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos; sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei ministrum, & pietatis christianae magistrum decet, traducendam. Ex eo vero quod supererit, si necessaria pauperibus denegaverint, intelligant se, quos non paverint, occidisse; atque ob violatam sanctissimae caritatis legem mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die irae thesaurizaverunt. Modum autem, & rationem, quam metiri se pro conditione, & gradu unumquemque oporteat, ad vitam suam fructibus ecclesiasticis honeste ducendam, eam esse omnes debent intelligere quae ab iis non discrepet quae in sacris canonibus, & praesertim in his nostris constitutionibus, de clericali frugalitate, & modestia statuta sunt. „ Duo crimina perpetrare Beneficiarios asserit sanctus Archiepiscopus, nimirum & adversus iustitiam, pauperes quibus non succurrunt, occidendo; & contra caritatem, nimia cupiditate bona sacra in profanos usus expendendo. Memoriae altius insigenda D. Caroli verba, quibus asserit bona temporalia, ubi primum Ecclesiae esse ceperint, eam naturam induere, & conditionem, ut in alium usum quam sacrum & pium, converti eorum fructus nefas sit. Quare frequenter repetit, eo animo fideles bona contulisse ut per manus Episcoporum, & Parochorum ad pauperes pervenirent. Memores ( inquit in Conc. IV. ) estote eius quod a SS. Patre Ambrosio scriptum est: sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiae ministris, ut per eorum manus quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent. Vos itaque, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque usum commissum est, cavete ne ambitione prolapsi, in alium quam cui addictum est, convertatis, idque propterea sacrilegii rei damnationem aeternam subeatis.

## §. III.

Sanctorum Patrum auctoritates indicantur.

XIV. Non est quod tempus teram in antiquorum Patrum Basilii, Chrysostomi, Augustini, Ambrosii, Hiero-

nymi, Gregorii, aliorumque documentis. Comperit quippe est communi assensione antiquos Patres futuri, & sacrilegae rapinae damnare Beneficiarios qui in profanos usus, sacros Ecclesiae redditus effundunt. Omisissis ergo antiquis, eorum qui propius absunt, pauca delibabo.

XV. D. Bernardus praeter ceteris in Beneficiarios calamum acuit. Episc. XIII. ad Henricum Archiepiscopum Senonensem inquit: *Clamant nudi, clamant famelici, conquerruntur, & dicunt: Dicite Pontifices: in freno quid facit aurum? Numquid a freno repellit frigus, sive esuriam? Nobis frigore, & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in periculis, vel plicata in mantibus? Nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Vita nostra vobis cedit in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahatur quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una procedunt radice cupiditatis, dum vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis curam nuda caligulis? Anuli, catenulae, tintinnabula, & clavatae quaedam corrigiae, multaque talia, tam speciosa coloribus, quam ponderibus pretiosa, multorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis.*

XVI. Epistola 2. ad Fulconem Beneficiarios omnes alloquitur. *Conceditur tibi ut si bene deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde comperis tibi frenum aureum, scissas depictas, calcarea deargentata, varia, grivaque pellicea a collo, & manibus ornata purpureo diversificata. Denique quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

XVII. Similia habet super illum evangelicum textum, *Eccene nos reliquimus omnia, inquit enim: Clericus de altario vivat, & non ex clericatu divior fiat: non sibi de bonis Ecclesiae ampla palatia fabricet, nec in vanitate, vel superfluitate dispergat, nec extollat de facultatibus Ecclesiae consanguineos, aut nepotes, ne filias dixerim, nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen agnoscitur: sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum. Sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi ministri, & dispensatores, NON UTIQUE DOMINI, vel POSSESSORES, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio*



gelio seruiunt, de Evangelio querere, aut habere delicias, vel ornatum; sed vivere, ait Paulus, ex eo, ut videlicet sint contenti alimentis corporis, non irritamenta gula, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.

XVIII. Sanctus Raymundus in Sum. Lib. II. tit. v. §. 6. hanc sibi proponit quaestionem. Quid de Prelatis Ecclesiarum, & aliis Clericis qui bona ecclesiastica pauperibus debita consumunt in usus illicitos, videlicet in meretricibus, histrionibus, consanguineis, potentibus, & diuitibus, & similibus; & de his etiam aliqui faciunt testamentum: numquid tales sunt iudicandi raptores? Videtur quod sic. Primo quia contrectant rem alienam, invito Domino: ait enim Hieronymus: Quidquid habent Clerici, pauperum est. . . Item Augustinus: Si privatim quae nobis sufficiens possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum; quorum procuracionem quodam modo gerimus, NON PROPRIETATEM nobis usurpacione damnabili vindicamus. Et §. 8. ibidem: De meretricibus autem, & histrionibus, de quibus quaesitum est, dico. Prelatos, & Clericos qui res Ecclesiae talibus, vel similibus turpibus personis conferunt, vel etiam consanguineis, non propter naturam sustentandam, sed ut faciant eos diuites de patrimonio Crucifixi. . . tales, inquam, Prelatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona ecclesiastica, pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens TENERI AD RESTITUTIONEM OMNIUM. Similia habet Divus Laurentius Iustinianus Lib. de compunct. & planct. Christi. Patres pauperum esse recusant, quoniam indigentium substantiam attribuunt sibi. Oh quanta abusus est, Christi ditari diuitiis, & Christo velle nihil tradere! Nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiae? Unde temporalia Ecclesiis sunt prerogata stipendia? Nonne propter Christum? Nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu qui praesides, retinere quod alienum est, ne FURTI reprehendaris in causa. . . Scito te debitorem omnium facultatum esse quae honesto victui tuo supersunt.

XIX. Respondet P. Carolus Billuart Tom. I. pag. 97. S. Bernardum, & alios antiquiores Patres locutos esse secundum quamdam piam exaggeracionem, seu CONCIONATORIE, non THEOLOGICE. Ita ne vero? Primi qui hanc impugnant SS. Patribus notam, fuerunt Calvinistae, & Lutherani, quos inter Chemnitius. Hi siquidem conspicientes errores suos SS. Patrum doctrina penitus confixos,

atque labefactatos, ut quoquo modo elaberentur, ad hunc vanum sese receperunt asylum. Patres scilicet oratoria dictione sacra mandata exaggerasse. Quo erroneo admissio commento, corruunt religionis nostrae dogmata. Unde, quae, sacra Concilia suos eruere canones nisi ex Patribus? Cedo mi Billuart: quis ad tempora usque S. Bernardi theologicis fidelibus explicuit tum mandata, tum dogmata? Patres. At isti non duo edidere operum genera: alia concionatoria, alia theologica. Nondum orta haec divisio erat. Non alia Patrum, qui ante Petrum Lombardum floruerunt, opera habemus, nisi quae ad populum praedicabant. Caruerunt ergo fideles tot saeculorum Magistris, qui eos theologicis imbuerent, & perspicue, atque praecise divina mandata iisdem explicarent? Si concionatorie locutos Patres asseris in eleemosynae praeccepto interpretando; concionatorie locutos Lutherani, & Calvinistae effutient in exponendis dogmatibus de eucharistia, de iustificatione, de operum merito, ceterisque religionis nostrae articulis. Videni mi Billuart, quo tu tendat interpretatio a iunioribus quibusdam, fide nimium bona, adoptata? Ex quo novus opinandi modus in Theologiam christianam immigravit, Patrum SS. doctrina neglecta, vel sophisticis distinctiunculis implicata, nimium laxata est morum disciplina.

#### §. I V.

Doctrina S. Thomae hoc de argumento exponitur, & a vanis commentis vindicatur.

XX. **D**UM mecum animo reputo, omnes ad unum Catholicos aeternae damnationis reos Beneficiarios asserere, si quae propriae sustentationi ex redditibus ecclesiasticis supersunt, pauperibus erogare omitant, piget, & veluti in vicus investigare tantae obligationis originem cogor. Quoniam, ut initio dixi, ad praxim quod attinet, perinde est quod Beneficiarius damnetur sive ob caritatis, sive ob iustitiae violationem. Verum cum celebrem disputationem enucleandam suscepserim, obsequium summum, quo S. Thomae doctrinam colo, suspicioque, me urget ut quae hac de re sit illius sententia, perspicue, quoad fieri valet, patefaciam. Ad hoc praestandum calcaria adiecit R. P. Carolus Renatus Billuart O. P. qui in suo Tom. I. iur. & iust. vanis sane interpretamentis angelicam obscurare doctrinam perentavit. Novissimus hic Scriptor frequenter ad laxiora declinat; idcirco eiusdem opiniones a S. Thomae

mae doctrina alienas, occasione data, pro merito labefactabo, ut hinc intelligant omnes, me non pro domo, non pro instituto, sed pro veritate pugnare, & domesticos non secus ac externos refellere. Quod si singulas istius Scriptoris laxiores sententias non refutavi, non mea culpa id accidit, sed quod nimis tarde, nempe postquam praelo subijcere coeperam scripta mea, in Italiam illius opus pervenit. Sed haec obiter. Causam modo ingrediamur.

XXI. Ut pleno in lumine veram S. Thomae sententiam colloquem, duo praemitto, quae licet extrinsecus sint accessita, tamen magnopere ad meum conferunt institutum. Illud itaque primo advertendum, S. Thomam in itaque primo advertendum, S. Thomam in corpore, quod vocant, cuiusque articuli suam sententiam promere, & rationibus munire. Post ad obiecta sub articuli initium posita respondet. Quare si in diluendis obiectis, aliqua ambigua, & obscura offenduntur, intelligi haec iuxta doctrinam in corpore articuli perspicue traditam omnino debent. Quod monitum apprime necessarium est, omnium ceteroquin S. Doctoris interpretum assensione firmatum. Mox enim videbimus, angelicum Praeceptorem ubique tum in Quodlibetis, tum in Summa conceptis verbis docere in articulorum corpore Beneficiarios non dominos, sed dispensatores meros esse. Quid ergo causae est quod iuniores interpretes in contrarias partes S. Doctorem pertrahant? Non aliud, nisi quod in responsis ad argumenta aliqua verba ambigua occurrunt quae varium excipere sensum possunt sigillatim accepta, secus si cum thesi in corpore articuli tradita coniuncta accipiantur, ut mox videbimus. Alterum pro germana angelicae doctrinae interpretatione animadvertendum est, videlicet tempore S. Thomae, & saeculis prioribus, & tribus posterioribus, omnes Doctores docuisse, Beneficiarios ex iustitia teneri ad erogandos superfluos Ecclesiae redditus in pia opera. Notam singularitatis, & novitatis inurunt angelico Doctore iuniores, dum illum docuisse evulgant opinionem omnibus & antiquis, & sui temporis Doctoribus contrariam. Quandonam a communi Ecclesiae doctrina recessit S. Thomas? Doctrina in Ecclesia communis ea est quam & Concilia, & Doctores communi assensu docent. Eiusmodi erat tempore S. Thomae, fuitque & prioribus, & tribus posterioribus saeculis sententia quae ex iustitia obligat Beneficiarios ad eroganda superflua. Inveniant adversarii vel unicum Theologum, designent vel unicum

Concilium, quod tempore S. Thomae oppositum docuerit. Aut id praestent, aut confiteantur oportet se novitatis, & singularitatis censuram impingere S. Doctore, dum eum a communi Ecclesiae doctrina descivisse arbitrariis commentis contendunt. His duobus, quae extrinsecus accessivi, in antecessum constitutis, demonstrandum nunc superest quanta perspicuitate praefatam Ecclesiae communem doctrinam S. Doctor defendat.

XXII. Primum omnium in medium promam id quod docet Quodl. VI. q. VIII. a. 12. in corp. ubi haec habet. Dicendum, quod aliter videtur se habere circa bona patrimonialia, & circa bona ecclesiastica. Nam bonorum patrimonialium, vel licite acquiritorum, homo vere est dominus. . . Bonorum vero ecclesiasticorum clerici non sunt VERE DOMINI, sed DISPENSATORES, secundum illud I. ad Cor. VII. Dispensatio autem mihi credita est. Pertinet autem ad dispensatorem ut fideliter distribuat ea quae eius dispensationi committuntur, secundum illud I. ad Cor. IV. Hic autem quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. In his ergo potest dupliciter peccatum contingere. Uno modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet usurpat sibi quasi rem propriam, & in usus suos convertit id quod esset aliis erogandum. Alio modo ex inordinato usu eorum quae in partem suam cedunt, sicut etiam de aliis dictum est. Verum quia horum dispensatio fidei dispensatoris committitur, ut dictum est, si quis bona fide dispenseret ecclesiastica bona, inde accipiens quod sibi convenit, secundum conditionem status, & persona, & aliis largitur, secundum quod sibi videtur bona fide expedire; non peccat mortaliter, etiamsi forte aliquid plus in suos usus convertat quam oporteat. Talia enim, quia in singularibus est eorum iudicium, non possunt per omnimodam certitudinem definiti. Unde, si non sit multus excessus, potest compati bonam fidem dispensationis. Si vero multus excessus fiat, non potest latere; & ita non potest cum bona fide dispensatoris hoc agi. Si autem non conservat bonam fidem in dispensando, peccat mortaliter. Textus hic planus est. Beneficiarii non sunt bonorum ecclesiasticorum vere domini, sed dispensatores. Ecclesiasticae annonae partem in propriam sustentationem convertendi ius habent. Si in hac partitione qualis qualis excessus contingat, non idcirco dispensatoris fides violatur. Si excessus sit manifestus, infidelis evadit dispensator, graviter peccat, atque adeo ad restitutionem tenetur. Qui enim non sunt domini, sicut non esse Beneficiarios Angelicus clare asserit, peccant-

cantque mortaliter in bonorum partitione; dubio procul restitutioni obnoxii sunt.

XXIII. Quid ad hæc P. Billuart? Alto silentio premit integram rescriptam doctrinam in corpore articuli a S. Doctore constitutam, & in qua suam mentem luculenter declarat. Ut vero aperta fraudis notam evaderet, existimavit P. Billuart, fat esse propriis verbis eandem indicare, & loco huius doctrinæ, quæ est totius angelicæ sententiæ spiritus & anima, transcribit integrum responsum quod ad tertium argumentum Angelicus præbet. Hæc genuina interpretandi S. Doctoris mentem methodus, & ratio? Hæc ne sincerum interpretem decent? Clara & luculenta dissimulare, & quæ ambiguitatem præferunt, in medium promere, & in proprium modum detorque? Quid quod vel ipsum S. Thomæ responsum, omni ambiguitate sublata, doctrinam in corpore articuli traditam confirmat? Hæc sunt Angelici verba transcripta a P. Billuart. *Quicumque consumit quod est alterius, tenetur ad restitutionem. Sed bona clericorum sunt pauperum, ut patet per Glossam Hieronymi supra illud Isaiæ II. Rapina pauperum in domo vestra. Ergo si Clerici inutiliter bona ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus aliunde, si habuerint.* „ En ipsitimum adversariorum (refutavit P. Billuart) argumentum. Audiamus „ S. Doctoris responsum. *Ad tertium dicendum, quod bona ecclesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesie ministris. Unde secundum canones debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, & aliqua pars in usus ministrorum, & in cultum Ecclesie. Aliter ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum huiusmodi; & aliter de illis bonis quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt præbende clericorum, & alia huiusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, SED ETIAM EX IPSA RERUM CONDITIONE, dum aliquis in suos usus assumit quod est alterius. ET IDEO TENENTUR AD RESTITUTIONEM tamquam defraudator rei alienæ. In secundis vero bonis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendam.*

XXIV. P. Billuart nec verbum adiecit ad hunc textum ac si decretorie suam firmaret

sententiam, cum eam penitus profliget. Argumentum quod sibi Angelicus obiicit, contendit, nihil sibi retinere Clericos posse de bonis ecclesiasticis. Cui ut occurrat, distinguit iuxta sacros Canones bona quæ sunt applicanda pauperibus, & Ecclesie cultui, a bonis quæ congruè Beneficiarios sustentationi debentur. *In his secundis bonis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est.* Si quidem iure naturali, divino, & ecclesiastico, qui servit altari, vivat ex altari oportet. Et fideles expressa voluntate alere Pastores suos intendunt, & Pastores victum, & vestitum a grege suo iure postulant. Quare ex contractu, sin verbis, saltem re ipsa inito, Pastores portionem propriæ sustentationi congruam ex iustitia possident, quemadmodum bona patrimonialia. Si quæ de his bonis Beneficiarius, parce vivendo, sibi subtrahit, eadem, quemadmodum bona patrimonialia, distrahere in quoscunque usus iure; potest facile tamen peccare potest propter affectum immoderatum. Quid de bonis primi generis, quæ pauperibus debentur, resolvit Angelicus? *In primis bonis peccatum committitur, non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione. Et ideo tenetur ad restitutionem tamquam defraudator.* Recte & bene, si facta bonorum divisio sit; secus, ista sublata. Ita ne vero? Indigna Theologo cavillatio est. Bonorum ne naturam divisio pervertit, destruitque? Superflua congruæ sustentationi, sive divisa, sive indivisa sint, titulo iustitiæ pauperibus debentur. Si dum partitio obtinebat, infideles dispensatores Beneficiariis plus duplo maiorem portionem pro congrua sustentatione assignassent, non ne & dispensatores impertiendo, & Beneficiarii retinendo contra iustitiam peccassent? Nulla nunc divisio est. Superflua possident Beneficiarii, quæ pauperibus debentur. Alterutrum ergo fatendum iuxta doctrinam S. Thomæ. Aut de his Beneficiarios posse tamquam de bonis patrimonialibus disponere, nec magis quam laicos ad eleemosynam urgeri; quem errorem nemo Theologorum concesserit: aut Beneficiarios peccare contra iustitiam, & restitutioni esse obnoxios, si illa sibi retineant. Nulla hic ad evadendum latebra. Nam hæc est luculentissima S. Thomæ doctrina. Bonorum ecclesiasticorum generis duo. Alia congruè Clericorum sustentationi designata, vel designanda; & hæc ut patrimonialia possident. Alia pauperibus eroganda; & hæc si ve permixta, sive impermixta sint, si a Clericis retineantur, iustitia ladiunt. Contingunt

gium ad divisionem, desperatæ causæ argumentum est. Evidentius urgeo argumentationem. Redituum ecclesiasticorum aliqua portio ex iustitia iuxta S. Thomam pauperibus eroganda. Cedo. Superflua sive divisa, sive indivisa, sunt ne eroganda pauperibus? Si ais, ergo ex iustitia secundum S. Thomam; si negas, ergo eadem est laici, & Clerici conditio.

XXV. Illud nunc demonstrandum superest, utrum S. Doctor doctrinam traditam in Quodlibeto citato perpetuo in suis posterioribus operibus confirmet. Audi quæ scribit in Epist. II. ad Cor. cap. XII. lect. 5. *Cum Prælati sint parentes nostri spirituales, videtur quod male fecerint Principes, & alii dando divitias Prælati. Responsio. Dicendum est, quod non dederunt Prælati propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Et hoc Dominus monet: Thesaurizate vobis thesauros in celo &c. Matth. VI. Prælati autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus. Et hoc est quod dicit: Ego libentissime impendam vobis bona: non solum bona spiritualia, predicando, & exempla monstrando; sed etiam temporalia: quod & faciebat, in quantum predicabat, & serviebat eis cum sumptibus aliarum Ecclesiarum. Hæc tria ministrare debet quilibet Prælati suis subditis. Unde Dominus dixit ter Petro: Pasce oves meas; id est, pasce verbo, pasce exemplo, pasce temporalibus subsidio. Adeo luculenta hæc sunt, ut nec hinc audeat P. Billuart. Solum dicit eodem in sensu ac alia quæ ex S. Doctore adduximus, interpretanda esse. Non repugno.*

XXVI. Ad ea tandem accedamus quæ in sua Summa Angelicus scribit. Hæc porro docet 2. 2. quæst. cxxxv. art. 5. in corp. *Aliiter est dicendum de propriis bonis, quæ Episcopi possidere possunt, & de bonis ecclesiasticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent. Sed ecclesiasticorum bonorum sunt DISPENSATORES, vel PROCURATORES. Dicit enim Augustinus ad Bonifacium: Si privatim possidemus quæ nobis sufficiant, non illa bona bona nostra sunt, sed illorum quorum procuracionem gerimus, non proprietatem nobis usurpacionem damnabili vindicamus. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides; secundum illud I. ad Cor. IV. Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniat. Sunt autem bona ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum, & necessitates ministrorum expendenda. Unde dicitur duodecimo Conc. Theol. Tom. II.*

*cima causa questione secunda: De rebus Ecclesie, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his una portio remittatur; duæ ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ, a Presbitero sub periculo sui Ordinis ministrantur; ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur. Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesie eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda; non est dubium quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. De his autem quæ sunt suo usui specialiter deputata videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum peccet quidem, si immoderate sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requiritur debitum caritatis. Si vero non sint predicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur: & si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet; si vero sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonæ fidei repugnare: & ideo non est absque peccato mortali. Similia habet in hac 2. 2. quæst. c. art. 1. ad 7. Quamvis res Ecclesie sint eius (Papæ) ut principalis dispensatoris, NON tamen sunt eius ut DOMINI, ET POSSESSORIS. Hoc idem repetit quæst. cxxxix. art. 3. ad 1. Præcipue hoc apparet in Clericis qui sunt DISPENSATORES bonorum Ecclesie, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodige vivendo.*

XXVII. Ad sua capita nunc revocanda sunt quæ fultus ex Angelico transcripsi. Docet primo, Beneficiarios bonorum patrimonialium, quemadmodum laicos, dominium habere. Secundo bonorum ecclesiasticorum non esse veros dominos, sed dispensatores, & procuratores. Tertio facta partitione horum bonorum, Beneficiarios posse disponere de portione quæ eorum usui assignata est, eodem modo ac de bonis patrimonialibus. Quarto, si aliarum portionum quæ pauperibus, Ecclesieque cultui destinatae sunt, quidquam sibi retinuerint, Beneficiarios peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri. Quinto, si bona ecclesiastica sint indivisa, atque permixta, Beneficiarios esse meros dispensatores; & si præter congruam sustentationem in profanos usus convertant quæ sunt pauperibus eroganda, peccare contra iustitiam, nedum contra caritatem.

tem. Ex his quæ obiter indicavi, unum præcereris magnopere perpendendum est, videlicet quod vel ipso S. Thomæ tempore bonorum divisio non ubique obtinebat, sed iam tum passim obsoleverat. De ea quippe S. Doctor hypothetice loquitur. In primo hypothese membro hæc scribit. *Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesie eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus &c. eroganda; non est dubium quin CONTRAFIDEM DISPENSATIONIS agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur.* Recita aliud hypothese membrum. *Si vero non sint (N. B.) prædicta bona distincta, eorum distributio FIDEI EIUS COMMITTITUR.* Quando bona ecclesiastica sunt indivisa, eorum distributio fidei Beneficarii committitur. Ergo si aliqua eorum quæ sunt pauperibus distribuenda, sibi retinuerit Beneficarius, contra fidem dispensatoris, & procuratoris agit. Ergo mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. Certum est in præsentia bona ecclesiastica esse indivisa. Ergo contra fidem dispensatoris agunt Beneficarii, si aliquid sibi retinuerint eorum quæ sunt pauperibus eroganda. Porro quam sunt in pauperes distribuenda? Superflua. Sed hæc superflua sunt commissa fidei, id est fidei dispensationi Beneficarii, inquit Doctor sanctus, qui sub initium, suæ sententiæ tantquam capitale principium constituit, Beneficarios esse meros dispensatores, & procuratores reddituum Ecclesie. Ergo si Beneficarii superflua retinent, iuxta S. Thomam peccant contra fidem dispensationem, atque adeo contra iustitiam. Adeo perspicua, luculenta, & manifesta est hæc S. Thomæ doctrina, ut pronuntiare minime verear, eos qui de S. Doctoris mente hæcenus dubitarunt, serio, & diligenter non expendisse eiusdem inconcussa principia, quorum illud est potissimum, quod quæ debentur pauperibus a Beneficariis ex iustitia debentur.

XXVIII. Si hæc in doctrina S. Thomæ certa sunt, quid causæ est cur Sarmiento, Dominicus Soto, Franciscus Sylvius, & P. Carolus Billuart in contrariam concedant sententiam? Errandi occasio illis fuit, quod divisæ existimaverint his quoque temporibus re ipsa esse ecclesiastica bona: quæ sane existimatio falsa omnino est, ut iam supra indicavimus, & infra fusius ostendam. Itaque D. Thomæ doctrina hoc de argumento ad duo capita revocatur. Si ecclesiastica bona

sint revera divisæ, pauperumque portio separata reperitur a portione Beneficarii sustentationi destinata; tunc Beneficarius non tenetur lege iustitiæ in pauperes distribuere, si quod sibi ex sua portione superest. Hac enim facta partitione, portio Beneficarii, stipendii, seu alimentorum speciem præfert. Potest tunc parcius vivendo, suumque defraudando genium, aliquid istius suæ portionis servare, & de eodem, tamquam de bonis patrimonialibus, disponere valet. Quod tamen intelligendum est, cum portio assignata Beneficario non admodum congruam sustentationem excedit. Contra, si bona Beneficarii sint permixta, ut reapse nunc sunt, ita ut portio pauperum non reperitur seiuncta; Beneficarii iustitiæ lege devincti sunt ad superfluum omnium erogationem. Hic est doctrinæ angelicæ sensus genuinus.

XXIX. P. Billuart doctrinam S. Thomæ, quam nos ex sua Summa transcripsimus, integram referre ausus minime est. Eiusdem truncatam particulam adducit, qua fucum facere lectoribus existimavit. Siluit capitale S. Thomæ principium, quod Beneficarii sint dispensatores, & procuratores reddituum Ecclesie. Hæc vero obicit. *Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesie eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda; non est dubium quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur.* De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis; ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderate sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum caritatis. Monet P. Billuart cum Sylvio, & Soto hic deesse clausulam errore typographi, vel amanuensis. Non tamen tenetur ad restitutionem. Et quodnam documentum, quem codicem proferes, ut id evincas? Sed fac clausulam reperiri. Quid inde? Non ne ultro concedimus Beneficarium non peccare contra iustitiam, si immoderate teneat ea quæ sunt illius congruæ sustentationi destinata? Fac ultima laudata verba aliquam præferre ambiguitatem. Non ne germanus eorumdem verborum sensus ex certissimis sancti Doctoris principiis repetendus est? Certa autem illius principia, & tanta perspicuitate ab eodem explanata, ut nulli subiaceant cavillationi, hæc sunt. Bona Prælati Ecclesiarum collata a fidelibus sunt, ut per illorum manus ad pauperes perveniant. Isto-

Istorum bonorum non domini sunt Prælati, sed dispensatores. Dispensatoris fidem violant, si quæ sunt pauperibus, & Ecclesie imperpetua, sibi retineant; atque adeo ad restitutionem tenentur. Hæc omnia comperta, & explorata sunt apud Angelicum. Dum ergo asserit eandem esse rationem eorum bonorum quæ usui Beneficarii sunt destinata, ac bonorum patrimonialium, non aliud sane significat, nisi quod bonorum quæ congruæ sustentationi sunt necessaria, dominium habeat, sicuti patrimonialium; quod iustitiam non lædat, si quid istius portionis demat parcius vivendo aut moderato affectu retinendo, & in quem maluerit usum convertat. Hunc sensum & verba ipsa sancti Doctoris suapte natura excipiunt, & principia ab eodem constituta prorsus evincunt. Nullibi vero asserit Angelicus, posse Beneficarios de amplis redditibus ecclesiasticis eodem modo deliberare ac de patrimonialibus. Hoc adeo certum est, ut vel ipsi adversarii aut fateri hoc cogantur, aut Angelico erroneam asserere sententiam, a Conciliis, & ab illis ipsis improbatam. Fac Episcopis decem, viginti, triginta, quinquaginta ducatorum millia in annos singulos redire ex bonis Ecclesie. Hypothesis isthæc haud est arbitraria, & commentitia, sed vera. Eorum congruæ, & honestæ, prout plus minusque eos decet, sustentationi quotannis superflua alteri quinque, alteri decem, alteri viginti ducatorum millia. Poterunt ergo hæc omnia bona, quemadmodum patrimonialia, consanguineis, amicis, & quibusque illis visum fuerit donare? Quid ad hæc? Si aiunt; errore appingunt sancto Doctori, quem nullus vel laxissimus Casuistarum defendit; quem immo Angelicus ipse 2. 2. quest. clxxxv. art. 7. ad 2. conceptis verbis explodit. *Ideo si de eo quod usui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquid sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate; id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* Nota bene P. Billuart si velit aliquid sibi subtrahere. Non dicit Angelicus si Beneficarii de superfluis disponere velint. Nullibi hunc errorem Angelicus docet; sed si velit de his bonis quæ congruæ sustentationi sunt deputata, aliquid subtrahere, & consanguineis dare, ne indigeant; non peccat nec contra caritatem. Si negant; diversa ergo est bonorum patrimonialium ratio a redditibus ecclesiasticis, usui Beneficarii deputatis. Nam bona patrimonialia omnia consanguineis, amicitive donare possunt Beneficarii, secus ec-

clesiastica. Nec dicas eandem esse utriusque generis bonorum rationem, si dominium, & a restitutione immunitas spectetur; secus, si caritatis ratio habeatur. Hoc quippe perfugium iam supra oclusum fuit. Dictum est enim, quod verba Angelici ambigua, sicut cuiusque Doctoris, legisque, interpretanda sunt iuxta principia certa, & clara quæ in eadem materia Doctor, aut lex habet. Porro iam indicata sunt perspicua, & evidenter sancti Doctoris principia: videlicet quod reddituum ecclesiasticorum dispensatores, non domini, sint clerici; quod Christi fideles eo animo Ecclesiis ampla bona donaverint, ut per earum Prælatos pauperibus dispensarentur. Ad hanc principiorum amullim revocanda sunt verba quæ opponuntur. Nam fatentibus adversariis, præfata verba, si ad litteræ corticem accipiantur, erroneum produunt sensum, licere nimirum Beneficario redditus ecclesiasticos, quantumlibet pingues, perinde ac patrimonialia bona, in quos velit usus convertere. Quem errorem, ut diximus, & Angelicus ipse, & recentiores reliquunt. Egent ergo laudata Aquinatis verba interpretatione. Qua, amabo te? Fortassis ea quæ favent novæ adversariorum opinioni? Minime gentium. Sed ea quæ consona sit manifestissimis principiis quæ tum in sua Summa, tum in Commentariis in Epistolam D. Pauli, tum in Quodlibetis toties sine ulla ambiguitate Angelicus repetit, & inculcat. Verum, ne nimis prolixitatis tædio lectorem afficiam, paucis, & clarius angelicæ doctrinæ summam iterum sub oculos refero. Ecclesiasticorum reddituum portionem talem sibi destinare iure valent Beneficarii quæ congruæ suæ sustentationi, attentis loci, personæ & dignitatis conditionibus, satis sit. Si in istius portionis definienda mensura aliquantulum excesserint Beneficarii, non propterea culpæ, saltem gravis, damnandi sunt: quia in his certi limites non sunt constituti, ut peroptime more suo inquit Angelicus. Istius portionis domini sunt Beneficarii. Aliquid ex eadem demere valent, ut consanguineis, ne indigeant, non ut ditescant, donent. Et profecto, si ad leges iustæ distributionis portio designata sit, nequeunt habere Beneficarii unde consanguineos ditiores efficiant. Quare si excessus sit notabilis in portione quam sibi ex redditibus Beneficarii vindicant, tum graviter peccant contra fidem dispensatoris, inquit Angelicus; atque adeo restitutionis onere gravantur. Quæ dictæ congruæ sustentationi remanent, superflua sunt; &

hæc omnia (dicit compertissime S. Thomas) ex iustitia pauperibus debentur, & in alios pios usus impendenda sunt. Hæc est germana, & constantis D. Thomæ doctrina, penes omnes illius temporis Theologos, & Canonistas communis. Et hoc est quod validius confirmat interpretationem nostram, laudatæ antiquiorum omnium Doctorum sententiæ consonam. In præsens, cum nulla prorsus sit honorum divisio, idcirco nihil suffragari contrariæ opinioni doctrina S. Thomæ potest.

XXX. Animadversiones in arbitraria commenta P. Caroli Billuart. Is fuso calamo interpretari S. Thomæ doctrinam contendit, sed revera eam implicat, perturbat, & inanium verborum involucro obscurat. Ut liberius suis indulgeat cavillationibus, neque ex Quodlibetis, neque ex Summa refert, ut iam indicavi, verba quibus S. Doctor declarat Clericos meros esse DISPENSATORES reddituum Ecclesiæ. Quo animo id prætermiserit, penes ipsum sit. Si ex iis quæ sub sensu cadunt, ratiocinari fas est, aut fraus, aut turpis oscitantia, in interprete non ferenda, apparet. Quid quod hunc interpretem non pudeat effutire pag. 87. S. Thomam dominium tribuere Clericis in bona superflua, quæ pauperibus debentur? quando e contrario toties conceptis verbis Doctor sanctus ait, Clericos esse puros putosque dispensatores bonorum Ecclesiæ, iis tantum exceptis quæ congruæ sustentationi sunt necessaria. Tam perspicua est hac de causa S. Thomæ doctrina, ut vel ipsi exteris Theologis obvia sit, in quos invehitur noster P. Billuart. Plura agglomerat adversus perdoctum Steyartium sincere exponentem angelicam doctrinam. Irascitur P. Henno celebri Theologo Franciscano, quod afferat S. Thomam manifeste loqui de portione congruam sustentationi necessaria, non de superflua, in iis verbis quibus comparat cum bonis patrimonialibus bona Ecclesiæ. Numquam ego legi P. Henno, quia eius libris careo; sed illius interpretatio germana est, & obvia cuique legenti textum S. Thomæ. Et tamen P. Billuart eam deridet, ipse profecto deridendus, atque exhibendus. Tandem pag. 92. excandescit P. Billuart adversus Pontas, quod verb. *Benef.* scribat S. Thomam *clarissime*, & sine ambiguitate sententiam docere nostram. Numquid, clamat P. Billuart, Doctor iste Parisiensis oculatior fuit antiquioribus, & oculatissimis S. Thomæ interpretibus, qui diu noctuque Summam angelicam versantes, nec per umbram viderunt quod iste vidit;

immo cuius oppositum clarissime, & sine ambiguitate traditum agnoverunt. Audistin' Doctorem Belgam furentem in Doctorem Parisiensem? Quæso te, mi Billuart, ut leni pacatoque animo dulce colloquium habeamus. Quinam sunt isti antiquiores, & oculatissimi interpretes S. Thomæ? Legisti ne *Petrum de Palude* celebrem, antiquioremque S. Thomæ interpretem, qui commenta tua improbat? Legisti ne *S. Antoninum*, qui a nostra sententia stare S. Thomam aperte testatur? Legisti ne *Maiorem* scribentem in IV. dist. 24. quæst. xvii. *Nullus stat formalior pro conclusione quam teneo, quam ipse S. Thomas.* Legisti ne *Cardinalem Caietanum* 2. 2. quæst. xlii. art. 8. & quæst. clxxxv. art. 7. Legisti ne sapientissimum *Petrum Sotum*, qui sententiam tuam tamquam errorem gravissimum improbat? Qui sunt ergo hi tui antiquiores interpretes diurni, atque nocturni? Pace tua dicam ego. Unus est Probabilista *Sylvius*, quem legisti; cuius commentaria licet in pluribus magni faciam, in multis tamen, præsertim ubi de christiana morum doctrina sermo recurrit, laxitatis probabilisticæ fuliginetincta deprehendi. Et quoniam hunc Auctorem secutus es, ideo opus tuum non raro simili laxitatis lue aspersum est. Si doctissimos Dominicanos tum antiquos, tum modernos legites, dubio procul in oppositam concessisses sententiam, & S. Thomæ germanam assecutus fuisses doctrinam. Hæc pauca pro re nata adversus domestici Scriptoris commenta scripsi, cuius personam colo, & veneror, oroque ut in morum doctrina explicanda cautior in posterum sit.

## §. V.

*Clarius sententia nostra exponitur. Auctoritate Theologorum, & Canonistarum, rationumque momentis confirmatur distinctis conclusionibus.*

## PRIMA CONCLUSIO.

*Portio pauperum semper permixta fuit redditibus Beneficiorum.*

XXXI. **D**isputationem hanc iam pridem absolveram, & nunc dum eiusdem pars prælo subiecta erat, ad manus pervenit ingens volumen quod de *Synodo Diecesana* editum hoc corrente anno MDCCXLVIII. SAPIENTISSIMUS PONTIFEX BENEDICTUS XIV. feliciter ad publicam catholicæ Ecclesiæ utilitatem regnans. Opus est omnigena eruditione, doctrina-

atrinæ refertum, gravi elegantique stilo, & quod plus est, summa perspicuitate, quæ tanti Auctoris dos est, & character singularis, digestum. Porro is *Lib. VII. cap. 11.* controversiam hanc versat, & quidquid solidioris momenti in utramque partem disputatum hæcenus fuit, paucis comprehendit, & ob oculos ponit, illustratque claritate incredibili, & exquisita eruditione. Nihil ipse pro sua maxima prudentia definit, sed Episcopos ceu doctissimos Magister imbuit, eisque cautissimam præscribit methodum super hæc controversiam in Synodo servandam. Nullum me legisse fateor Pontificis istius vere MAXIMI opus quin singularem retulerim profectum. In hac vero impeditissima disputatione plurima didici quæ viam mihi sternunt ad ea quæ scripsi, & nondum prælo subiecti, illustranda, atque ornanda. Ithuc transcribo quæ loco principii ille constituit pag. 234. num. 3. *Certum pariter est, ante factam divisionem bonorum ecclesiasticorum, debuisse Episcopum, ad quem pertinebat eorumdem administratio, partem singulis assignatam fideliter largiri, nec potuisse absque violatione iustitiæ commutative pauperes fraudare ea quarta parte proventuum quæ iuxta eius ævi disciplinam erat pauperum indigentis sublevandis destinata: quod quidem omnis ex ea profuere iustitiæ virtute, iis in locis in quibus nondum facta est predicta divisio, etiamnum incumbit Episcopis, Abbatibus, aliisque Beneficiariis, quorum ecclesiasticis redditibus sunt illi admixti, pauperibus, ac Ecclesiæ fabricæ iuxta præscam institutionem attributi. Ex quibus propterea si aliquid sibi usurperet, sunt iniusti rei alienæ detentores, & tenentur ad restitutionem.*

XXXII. Hoc sapientissimi Pontificis præiusto fundamento, illud cum primis enucleandum superest, sint ne in præsens bona ecclesiastica Beneficiorum indivisa. Sitenim constaret redditus nunc, quemadmodum olim, non esse in quatuor partes tributos, nullum ferveret Theologos inter dissidium. Omnium quippe, uno aut altero Probabilista excepto, sententia violatæ iustitiæ rei haberentur Beneficarii, si quidquam sibi ex pauperum portione usurperent, ut doceret eruditissimus Pontifex. In hoc ergo difficultas vertitur, utrum sint eiusmodi bona indivisa. Adfirmo ego pluribus, & ni fallor, manifestis argumentis. Et primum, iam inde a principio præactæ divisionis, administratio portionis pauperum penes Episcopos & Beneficiarios remansit. Numquam pauperum coctui assignata fuit ecclesiasticorum reddituum portio: numquam

pauperes suæ portionis dominio, & administratione potiti fuerunt. Sed Episcopi, & Beneficarii aut se ipsis, aut ministrorum opera portionem hanc, quæ modo maior, modo minor erat, iuxta maiorem, aut minorem reddituum abundantiam, distribuiebant. Hoc plurimum Conciliorum auctoritate confirmare possum. Concilium Moguntinum *can. VIII.* id clare docet. *Ut Episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas providere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum Canonum auctoritatem volumus.* Idem docet Concilium Turonense III. *can. 11. Licetum sit Episcopis, presentibus Presbyteris & Diaconis, de thesauro Ecclesiæ, familie, & pauperibus eius Ecclesiæ secundum canonicam institutionem, iuxta quod indigerint, erogare.* Plura alia Concilia refert Natalis Alexander in sua *Historia ecclesiastica secul. IX. & X.* Sed his omnibus transcribam dumtaxat sanctionem quæ hæc de re habetur in Capitularibus Regum Francorum *Lib. VII. cap. cccxxv. Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas, & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia; & non quasi suis, sed quasi commendatis uti debere: de quibus omnibus sciant se rationem reddituros in conspectu divine maiestatis, & nisi eas fideliter pauperibus, & his quibus permissum est, administraverint, condemnationem passuros. Qualiter vero dispensari debeant, Canones sacri instituunt: scilicet ut quatuor partes ex omnibus fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia a Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda. Et quidquid exinde Pontifex iusserit, prudenti consilio est sciendum.*

XXXIII. Pluribus in locis pauperes in tabulis, sive in matricula Ecclesiæ descripti erant: quocirca matricularii nuncupabantur, ut colligitur ex Hincmaro, qui in suo Capitulari secundo *cap. xvii.* statuit ut *Curati matricularios habeat iuxta qualitatem loci, non bubulcos, aut porcarios, sed debiles, & pauperes, & de eodem dominio.* Et in Synodo Remensi celebrata anno 874. *cap. 11.* de iisdem matriculariis sic dicitur. *Sepe vos admonui de matriculariis, quales suscipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ dispensare debeatis. . . interdixi vobis Dei auctoritate ut nemo Presbyter pro loco matricule quocumque xenium, vel servitium in messe, vel in quocumque suo servitio præsumat acquirere, vel accipere; & matriculariis debitam partem deci-*

*decimæ quam fideles pro peccatis suis redimendis Domino offerunt, nemo presumat vendere.*

XXXIV. Hinc evidenter colligitur, Beneficiariis semper hæc esse onus administrandæ, & distribuendæ portionis ecclesiasticæ velut annonæ pauperibus debitæ. Quod portio debita Clero de vivo detracta fuerit, eidemque consignata, & in eiusdem dominium, & administrationem migraverit, planum est & exploratum, oculisque conspicitur. Portio vero pauperibus debita permixta semper fuit bonis Beneficiariorum; & eam singulis annis seiungendam, distribuendamque a Beneficiariis sacri Canonibus præcipiunt. Quod ut compertius fiat, falsa recentiorum imaginatio explodenda est. Sibi fingere isti videntur, ecclesiasticos redditus vivum quoddam esse stabile, & permanens; & tributum in partes quatuor ad præsens usque tempus consistere, nulli obnoxium vicissitudini. Existimant pauperum portionem de vivo detractam, & re separatam in pauperum Reipublicæ dominium devenisse. Quod commentum quam sit inane, nemo non videt. Reditus ecclesiastici sub initium, fidei Episcoporum commissi in communi possidebantur; & ab Episcopo ministrorum opera, singulis, prout opus erat, dividebantur. Refrigescente caritate, & Ecclesiasticorum avaritia invalescente, Episcopi aliqui neglectis pauperibus, & Ecclesiarum cultu, Cleroque, in suos, & consanguineorum profanos usus, sacros proventus plus iusto convertabant. Partitio imperata fuit, Clero sua portio separatim consignata, & pauperum portio bonis Beneficiariis permixta, singulis annis taxata ab ipsis Beneficiariis, conferebatur pauperibus. Sacri redditus iis mutationibus quibus omnes res temporariæ, obnoxii fuere. Qui primum partiti sunt, fortasse ex toto perierunt. Temporis successu iuxta augmentum, vel decrementum reddituum qui a Christi fidelibus in dies conferabantur, crescebat, aut diminuebatur pauperum portio. A tempore primæ divisionis ad hanc usque ætatem nostram innumera sunt instituta beneficia, Episcopatus, capellanæ, & anniversaria. Amplissima prædia, fundi, census, & ingentia bona Ecclesiis donata reperiuntur. Quin pingues redditus, quos Beneficiariis, seu Episcoporum plurimi possident, plura sæcula post institutam partitionem a christianis Principibus, aliisque divitibus catholicis oblatis fuere. Quandonam de istis dempta fuit portio pauperum? Ubinam sita? In quibus prædiis fundata? Quisnam œconomus, aut dispensator, præter Beneficiarios, institu-

tus? Ex quibus omnibus patet pauperum portionem Beneficiariis redditibus semper immixtam permansisse. Partitio hæc saltem singulis quinquenniis, ne dicam singulis annis, fieri deberet; cum singulis fere annis crescant, & decrescant Beneficii redditus.

XXXV. In nostræ propositionis confirmationem luculentior accedit ratio. Cuiusque sæculi Concilia, Pontifices, Patresque omnes vocem exaltarunt adversus Episcopos, animarumque curatores in pauperes immisericos. Eos redarguerunt, reosque furti, & rapinæ appellarunt, ac tamquam Christi, pauperumque patrimonii dilapidatores improbarunt. Revolve recentia, & antiqua tempora. Consule omnia Concilia a tempore institutæ partitionis usque ad ultimum Tridentinum celebrata: nullibi vel leve vestigium offendes, quod aliquis œconomus, sive dispensator portionis pauperum, distinctus a Beneficiariis, arguatur infidelitatis in exercitio suæ administrationis. Magno igitur argumento esse nobis debet, re ipsa eiusmodi œconomos numquam institutos fuisse, nec pauperum portionem separatam extitisse. Negans est argumentum: adfirmans promamus. Concilia omnia tum antiqua, tum recentia, potissimum Tridentinum, solis Episcopis, atque Beneficiariis infidelem portionis pauperum administrationem exprobrant: istos solos accusant: his solis pauperum curam, tamquam veris patribus, committunt: his solis vetant ne pauperum subdiis ditescant, ne Christi patrimonium, votaqua fidelium in vanos usus, aut consanguineorum commodum impendant. Hoc idem docent recentiores Patres, & Doctores, Petrus Damianus, Gratianus, Bernardus, Raymundus, Thomas, Bonaventura, Alensis, Antoninus, Paludanus, ceterique communiter. Quid quod neque adversariorum unus unquam indicare potuit vel quempiam administratorem præfatæ portionis pauperibus debitæ distinctum a Beneficiariis, vel portionem ipsam separatam extare, vel extitisse a bonis Beneficiariis? Quod quidam dixerint, pauperum portionem aut ad hospitalia pervenisse, vel commutatam esse in beneficia quæ vocantur præstimonialia, studio nimirum eorum deputata qui futuri sunt Clerici, gratis asseritur. Hospitalia suos habent pios fundatores. Beneficia præstimonialia, quæ non ubique extant, vel aliis beneficiis collapsis, quibus curæ animarum erat annexa, successerunt; vel peculiaribus fidelium legatis consistunt; vel ab Episcopis ipsis quidquam suæ redundantis portionis conferentibus fuerunt instituta. Sed quid

quid otium ludimus in his explodendis commentis, quæ seipsis corruunt? Quandoquidem, ut iterum reperamus quod alias dictum est, si ad alios pauperum portio, præter Beneficiarios, pervenisset; illi, non isti redarguti, penisque multati a Conciliis fuissent. Verum contra omnino res accidit. Quid plura? Percurramus omnia beneficia, tum episcopalia, tum parochialia, tum capitularia, a sex sæculis. Provoco adversarios ut vel unius beneficii documenta prodant iactatæ divisionis. Quid ad hæc? Frater excludere ne fratrem possit a communi patrimonii portione eidem debita, nisi evinceret documentis, & quidem luculentis divisionem factam fuisse, suamque portionem iamdiu habuisse? Perhibeant Beneficiarii divisionem reddituum Ecclesiarum, quos nunc percipiunt; & continuo illos a debito iustitiæ absolvimus. Nimis ridicularios sese exhiberent, si divisionem obtruderent præfatam quarto, aut quinto, aut posterioribus sæculis, quando hodierna beneficia necdum erant instituta. Ut nulli extabant redditus quos nunc percipiunt, nec ulli nunc consistunt eorum quos perceperunt antiqui Beneficiarii. Evidens ergo, compertumque manet, pauperum stipem Beneficiariis redditibus permixtam esse, eiusdemque solos Beneficiarios administrandæ onere devinctos exiltere.

## SECUNDA CONCLUSIO.

*Portionis quæ taxatur pro congrua Beneficiariis sustentatione, dominium est penes eosdem. Prudentia in hac definienda mensura.*

XXXVI. **Q**uod Beneficiarii sint domini suæ portionis, ex eo primum constare videtur quod in hunc etiam finem instituta partitio fuerit. Ut quid enim adiudicata fuisset singulis propria portio, nisi ut quisque pro libito sua uteretur? Non ne pauperes acceptæ stipis sibi collatæ veri domini efficiuntur? Quidni igitur & Beneficiarii suæ?

XXXVII. Verum potissima ratio cur Beneficiarii dominium in suam acquirunt portionem, ex mutuo veluti contractu Pastores inter & subditos inito accersitur. Sacerdotes ad beneficia assumpti regimen animarum suscipiunt, laboriosum obeunt ministerium, diu noctuque custodiendo gregi invigilant, caelestia, divinaque fidelibus porrigunt alimenta. Hi toti divinis addicti rebus subsidia temporalia comparare sibi nequeunt. Igitur æquitatis, & iustitiæ ratio postulat ut ne-

cessaria sustentandæ vitæ annona illis pendatur. Porro operariorum quilibet dominium acquirat illius mercedis, & stipendii quod ipsi ob præstitos labores, & operam solvitur. Iure divino constitutum est ut qui altari inservit, de altari vivat. Quid ergo impedit quominus dominium suæ mercedis ob laborem debitæ assequantur Beneficiarii? Nec est quod in re aperta diutius immoremur.

XXXVIII. Mensura istius portionis gradus excipit, & latitudinem. Limites certi designari nequeunt, cum mensura illa quæ uni satis est, minime sufficiat alteri. Dignitas personæ, non per comparisonem ad sanguinis nobilitatem, sed per respectum ad gradum quem sustinet, spectanda est. Si filius Regis ruris alicuius Parochus fieret; non propterea regius ornatus, nec splendidior eo qui talis loci Parochus congruit, licitus illi esset. Ecclesiastica ergo dignitas, loci amplitudo, & maiestas, reddituum copia; & id genus alia in definienda Beneficiarii portione præ oculis habenda sunt. Et quoniam huius taxationis ipsemet Beneficiarius limites præscribit, fidelis dispensatoris, & æqui arbitri vices gerere debet. Scrupuli, perplexitates, nimia superstitio, severæ morositates, & similia abigenda sunt. Prudentiæ christianæ, Canonum, Patrumque regulas meditari Beneficiarii debent ex una parte in taxanda mensura portionis propriæ sustentationi debitæ ex Ecclesiæ redditibus. Ex alia vero considerare debent non modo suam ipsorum sustentationem, sed etiam familiam, servos, honestas recreationes, convenientia donaria, consueta convivium, & cetera id genus, quæ omnibus inspectis, eorum statui congruunt. Et tamen si facilior sit in hac designanda mensura excessus quam defectus, eo quod ipsimet Beneficiarii sedeant in causa propria iudices; non idcirco tamen criminis statim arguendi sunt, nisi manifestus appareat excessus, ut scite Angelicus docet 2. 2. quæst. clxxxv. art. 7. *Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento: quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonæ fidei repugnare: & ideo non est absque peccato mortali.* Extremum itaque alterum nimii rigoris, in quod difficile impingitur, & nimie laxitatis alterum extremum, in quod passim offenditur, debent Beneficiarii omnes pari studio evitare.

## TERTIA CONCLUSIO.

*Beneficarii non sunt absolute, & omnino domini ecclesiasticorum reddituum. Iustitie lege tenentur erogare superflua in pauperes, aliaque pia opera.*

XXXIX. **U**T vi & ratione propositam conclusionem evincam, nonnulla præmittam oportet quæ dominium Beneficiorum in sacros redditus spectant. Sermo non est in præsentia de dominio portionis debitæ Beneficiariis pro eorum congrua sustentatione. Iam enim illis communi Doctorum assensione adiudicatum est istius iustitæ mercedis, & stipendii dominium. De superfluum reddituum dominio disputatio instituitur. Triplex hoc de argumento sententia. Prima nullo Beneficiarios pollere dominio in superfluos Ecclesiæ redditus docet. Secunda illis dominium concedit, sed iustitiæ onere gravatum erogandi in pios usus superflua. Tertia absolutum dominium Beneficiarios habere contendit omnium reddituum qui illis ex ecclesiastico Beneficio obveniunt. Hanc tertiam ut falsam reitimus; primam, & alteram in examen vocamus.

XL. Discrimen quod inter primam & secundam sententiam intercedit, nullius ponderis est, cum utraque eodem spectet, ut evincat iustitiæ lege devinctos Beneficiarios ad superfluum distributionem. Auctores secundæ sententiæ plurima congerunt exempla, quibus ostendant frequenter accidere ut dominium concedatur onere restitutionis gravatum. Sic dotis dominus maritus evadit; sed cum onere eant in quibusdam eventibus restituendi. Dominium fideicommissarii restitutionis debito alligatum est. Rei mutuata dominium in mutuatarium transit, sed restitutionis onere affectum. Marcus Antonius Marcellus Columna Bononiensis fuscæ hac de re disputat in suo tractatu de origine, & iure ecclesiasticorum reddituum *part. III. cap. XXI.* omnia tamen implicat, ut Beneficiarios ab onere restituendi superflua in vanos usus distributa liberet. Ceterum non est cur plura promamus nos exempla; cum nullum sit, aut esse possit dissidium, quod redditus ecclesiastici valeant sub hac conditione, & onere a fidelibus Beneficiariis conferri. In hoc dumtaxat difficultas vertitur, sint ne reapse præfati redditus tali onere gravati, ut quod superest congruæ sustentationi, iustitiæ lege sit in pios usus distribuendum.

XLI. Quanam ex his duabus sententiis

præferenda sit, non facile pronuntiaverim. Quisque, quam maluerit, seligere valet, cum eodem utraque recidat. Equæ enim Beneficiarii lege iustitiæ astricti sunt ad eroganda superflua, sive nullo dominio, sive dominio onere restitutionis gravato potiantur in ecclesiasticos redditus. Super alterius ergo sententiæ delectul, & prælatione iudicium suspendimus, quod nihil in rem nostram conferat. Hac ratione dictum in conclusione est, Beneficiarios non esse absolute, & omnino dominos reddituum Ecclesiæ. His politis, conclusionis propositæ rationes promendæ sunt.

XLII. Quod antequam præfeto, tria præmittam tanquam extra disputationis aleam constituta. Primum Episcopos, Pastores, & Beneficiarios omnes eisdem dotibus, prærogativis, & caracteribus nunc ac olim insignitos esse; iisdem onerum, & officiorum vinculis ligatos: olim, & nunc animarum curatores, pauperum, viduarum, & orphanorum patres, œconomi, & provisosque vigilantissimi. Alterum. Pii fideles eodem nunc ac olim Dei spiritu reguntur, dum sua bona Deo offerunt, dum redditibus Ecclesiis ditant. Ergo eadem nunc ac olim bonorum ecclesiasticorum natura, & indoles, iisdemque gravata oneribus. Duo hæc firma, & immutabilia. Tertium. Partitio eiusmodi bonorum temporis decursu constituta, faciliorem, & securiorem exequendæ distributionis ordinem, formamque spectat, ut scilicet fraudes, & iniustæ partitiones vitentur, ut fortius Beneficiarii urgeantur ad iustam, prudentemque dispensationem peragendam. Hæc dumtaxat pertinent institutæ partitionis consilium, & finis. Nemo igitur adducere in disputationem iure valet, hanc partitionem a sanctissimis viris institutam, aut bonorum ecclesiasticorum naturam immutasse, aut immutare potuisse. Quis dixerit hæc præfata divisionem spectasse, ne Episcopi, & Beneficiarii in posterum essent patres pauperum, provisos orphanorum, & viduarum? Nemo sane id pronuntiare audebit. His igitur tanquam certissimis principiis constitutis, ad id quod instat, accedo.

XLIII. *Prima ratio* ex populi fidelis bona Ecclesiæ offerentis voluntate repetitur. Nulla usquam in universo orbe gens fuit, nulla natio, nulla secta, quæ tantum pecuniarum, reddituumque in Dei cultum, Sacerdotum, ac pauperum subsidium contulerit, quemadmodum christiana. Non solum in id dedicavit decimas prædiales omnium fructuum et terræ satum obvenientium, & mixtas cuiusque generis pecudum, venationis, piscationis, ac lacri cuiusque

iusque liciti; verum etiam tantum auri, argenti que Ecclesiis donarunt Christiani, ut in quibusdam regnis effusam eorum liberalitatem legibus coercuerint Principes. Quis unquam in animum sibi induxerit, tam ingentia bona Christianos Ecclesiis donasse, ut Beneficiarios saginarent, divitesque efficerent? Ut eisdem luxuriandi, ludendi, convivandi, luxui, pompisque vanis indulgendi, consanguineosque ditandi occasionem præberent? Iste ne Christianorum finis? Isthuc ne spectarunt piorum fidelium voluntates? Cuiusnam generis fuerunt Christiani illi qui uberrimos illos redditus Ecclesiis tam effusa liberalitate impertierunt? Proborum, aut improborum? Pii sane, probique omnes benefactores isti fuerunt, qui ut propria redimerent peccata, bona illa, cum victimas Deo consecratis, Episcopis donarunt. Quis dixerit homines divitiis affluentem idcirco se, suosque consanguineos, & amicos patrimonii suis spoliasse, ut id totum in Beneficiorum, eorumque consanguineorum pompas, luxum, aut avaritiam stulta liberalitate prodigerent? Si nemo sanæ mentis id asserere ausit, consequitur necessario non alio animo Christianos beneficia instituisse, capellanias fundasse, dotisque adeo divites Ecclesiis contulisse, quam ut cultui divino, pauperumque necessitatibus consulerent.

XLIV. *Secunda ratio.* Rationem primam ex ipsa donationis natura petitam confirmant evidentioremque efficiunt tum ipsi fideles, tum Concilia, & Canones omnes. Fideles in suis testamentis, & donationibus scripto exaratis conceptis verbis testantur, se in cultum Dei, in remissionem peccatorum, pauperumque subsidium suis bonis Ecclesiis dotare. Sacrorum Canonum conditores, Pontifices nempe, & Episcopi, qui *donarii* nuncupari valent, sub hoc onere, & conditione se præfata bona accepisse testantur, ubique clamantes, redditus istos Christi esse patrimonium, vota fidelium, pauperum, viduarumque subsidium. Quid plus requiritur ad constituendum severè iustitiæ contractum? Clarus hic patet utriusque partis dantis, tum recipientis mutui consensus. Inest ergo Beneficiariis iustitiæ onus erogandi superflua.

XLV. *Tertia ratio.* Duæ quas adduxi, rationes innumeris Canonum, & Pontificum, Patrumque auctoritatibus confirmari possunt. Sed, antiquis omnibus missis (ne ad discrimina antiquorum, & recentium temporum persequendum pateat) unum & alterum testimonium temporum nostrorum afferam. Alexander III. *Lib. III. Dec. tit. XXIV. anno*

1170. Parisiensi Episcopo scribit cap. 11. *Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Prelatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus &c.* Idem Pontifex in Concilio Lateranensi. 1179. celebrato perspicue docet, Ecclesiis bona, pauperum usibus esse tributa, ut legere licet cap. Non minus *Lib. III. tit. XLIX.* ubi hæc habentur: *De bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis, volumus fere cuncta compleri.* Sed pro omnibus unum allegare sufficiat Tridentinum Concilium sess. xxv. de Reform. cap. 1. *Omni vero Episcopis interdictum (sancta Synodus) ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & APOSTOLORUM CANONES prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ DEISUNT &c.* Audistis? Canones apostolici verant ne bona ecclesiastica consanguineis donentur. Cur? Quia *DEI SUNT*, inquit sacra Synodus. Quid ad hæc Neoterici? Per exaggerationem, inquit, Concilia, & Pontifices loquuntur. Ita vero? Qui ergo erant sinceri, & germani sacrorum Canonum, & piarum fidelium voluntatum interpretes? Numquid iuniores, novique Casuistæ ecclesiasticæ disciplinæ ignari?

XLVI. *Quarta ratio.* In morum contrariis rationes, non separatim, ut fit cum de metaphylicis rebus sermo recurrit, sed coniunctim accipiendæ sunt. Porro si una conferantur & reddituum ecclesiasticorum natura, quæ sacra omnino est (ut Angelicus, & omnes adfirmant) & fidelium voluntates, & sacrorum Conciliorum, seu universæ Ecclesiæ sanctiones; demonstratio adeo perspicua elicitur ad evincendum Beneficiarios non esse absolutos, verosque dominos reddituum ecclesiasticorum, ut nemo luculentiorum desiderare valeat.

XLVII. *Quinta ratio.* Hætenus rationes adduximus quæ naturam reddituum sacrorum consequuntur, & quæ ex pia fidelium voluntate, sacrisque Canonibus sponte profluunt. Nunc ex his quæ ultro adversarii concedunt, validiora argumenta dabimus. Facientur igitur & ipsi, ante bonorum præfata divisionem, cum sacri redditus in communi arario custodirentur, non fuisse Episcopos eorundem bonorum dominos, sed procuratores, dispensatoresque. Tum solus Christus erat illorum bonorum dominus. Aut, si dominium penes Episcopos, seu Ecclesiam residebat, onere distribuendi præfata bona gravatum erat in Ecclesias resarciendas, in Clericos sustentandos, in pauperes iuvandos. Quo tam quam

certo, ex ipsa adversariorum concessione, confisuto, evidentem conficio argumentationem. Bonorum partitio eorundem naturam, & conditionem minime mutat, nec mutare valet. Plures focii dominium directum, non utile, habent alicuius fundi: numquid, facta divisione, utrumque dominium, directum, & utile acquirunt? Si prædium esset commune pluribus solummodo quantum ad dominium utile; evaderent ne, peracta divisione, domini directi? Si prædium commune obnoxium erat restitutioni, aut pensioni, quacumque partitione facta inter socios, onus restitutionis, aut pensionis non auferitur. Ante primam bonorum divisionem iniustitiæ laborem non evitabant Beneficarii, si quidquam eorundem aut in profanos usus, aut in sanguineos prodegissent. Idem ergo crimen perpetrant post divisionem, si in similes usus talia bona distribuunt. Ita communes erant Beneficariis, fabricæ, & pauperibus ecclesiastici proventus ante partitionem, ut omnia quæ supererant congruè ministrorum sustentationi, in pia opera infumi deberent, quemadmodum ultro adversarii fatentur. Ergo onus istud distribuendi superflua in pia opera, ita comitatur, & afficit partes, divisione facta, sicut afficiebat totum commune, antequam distraheretur in partes. Evidens quippe est quod pensio qua bona communia gravantur, non auferatur per divisionem eorundem bonorum inter socios. Nonne, inquis, dominum diximus Beneficarium suæ portionis? Ita est; sed cum onere distribuendi superflua suæ honestæ sustentationi in opera pia, non secus ac ante divisionem. Quæ omnia magis perspicua fiunt, si animadvertatur, bonorum divisionem investam esse ab Ecclesia, non quo Episcopi, & Beneficarii liberi essent ab onere dispensandi superflua; sed potius ut acrioribus stimulis urgerentur, cogerenturque Beneficarii, poenis etiam constitutis, ad eiusmodi superflua in pia opera eroganda. Iure naturali, atque divino obstricti Beneficarii erant distribuendis omnibus quæ ex communi Ecclesiæ patrimonio honestis alimentis superfluebant. Numquid sacri Canones divisionem communis patrimonii imperando, iura naturalia, & divina de medio sustulerunt? Numquid perturbant? Numquid auferre, aut perturbare poterant? Iura isthæ æternum consistent. Partitio in partes quatuor ad disciplinam, & politiam spectat, quæ variari potest temporum, & circumstantiarum diversitate. Hinc est quod posteriora Concilia vix quartæ portionis meminerunt;

sed absolute omnia superflua dispensari ab Episcopis, & Beneficariis iubent.

XLVIII. *Sexta ratio.* Peccarent contra iustitiam Beneficarii post divisionem bonorum, si partem destinatam pauperibus sibi usurparent. Hoc fatentur communiter omnes adversarii, nec Dominico Soto excepto, qui *Lib. X. q. 14. art. 2.* hanc statuit conclusionem, quæ est ordine quinta. *Ubi distincta sunt bona que debent in usum Episcopi cedere, ab aliis tribus que pauperibus, ac ministris, & cultui divino addicuntur, si Episcopus aliquid de his tribus portionibus retinuerit; non dubium quin contra fidem dispensationis mortaliter delinquat, & ad restitutionem teneatur.* Portionem pauperum semper administrant Beneficarii, ut demonstratum est paragrafo antecedenti. Quis ergo de iniustitiæ crimine eisdem purgaverit, si præfata pauperum portionem propriæ portioni permixtam sibi retinuerint? At ita re ipsa est quod pauperum pars immixta remanserit amplis Beneficariorum redditibus. Iniusti ergo sunt, & restitutioni obnoxii, si illam erogare negligant. Si redditus pauperum ministrarentur ab œconomo; raptores, furesque haberentur Beneficarii, si quidquam illius partis usurparent. Et quia illi ipsi istius portionis œconomi sunt; nec furtum, nec sacrilegam rapinam committent, portionem illam in profanos usus prodigentes? Divisio in partes quatuor iuris est ecclesiastici. Quapropter bonorum quæ Deo, & pauperibus sacrata sunt, naturam mutare nequit. Præfata partitio mutationi obnoxia fuit. Hinc est quod postrema Concilia, quartæ portionis mentione neglecta, omnia superflua in pauperes, Deique cultum distribuenda mandant. Numquam enim Ecclesiæ mens fuit permittendi Beneficariis quidquam superflui; sed pro temporum diversitate interdum distributionem in partes tres, aut quatuor, interdum omnium superfluatorum præcipit erogationem.

XLIX. Fateantur ergo oportet adversarii, contra iustitiam peccare Beneficarios illos omnes qui propriæ portioni pauperum partem immixtam habentes, erogare prætermittunt; non secus ac si seiunctam, & ab aliis administratam sibi usurparent. Permixtam Ecclesiasticorum redditibus esse pauperum portionem supra demonstravimus. Sed cuilibet demonstrationi experientia prævalet. Nonne oculis cernimus Beneficariorum plurimorum superflua, nullibi reperta pauperum portionem? Est ergo in his superfluis portio isthæ.

Con-

Concessit ne umquam Ecclesia, sive ante, sive post divisionem, Beneficariis superfluum? Si, cum primam divisio instituta fuit, valde excessissent Episcopi in propriæ portionis taxanda mensura, fuissent ne ab iniustitia immunes? Non adfirmaverint vel ipsi adversarii. Concedant igitur fas est, iniustitiam ab illis etiamnum violari, si excessum committant in definienda honestæ sustentationis mensura. Excessus porro patens est, & manifestus in nonnullis Beneficariis. Furtum igitur, & sacrilega rapinæ flagitium perpetrant, quoties eiusmodi superfluum erogare recusant.

L. *Septima ratio.* Ea sententia præferenda est, omnibusque Catholicis amplectenda, quæ sacrorum Canonum auctoritate, quæ sanctorum Patrum, & graviorum Theologorum consensu, quæ pietate religionis nostræ munitur. Eiusmodi est quam tuemur. Siquidem adeo comperti sunt Canones sacri, adeo comperta Patrum, & Theologorum testimonia, quæ absolutum dominium reddituum ecclesiasticorum Beneficariis adimunt, ut non nisi per summam violentiam in contrariam opinionem detorqueri valeant. Idque adversariorum plures ingenue testantur. Hæc ergo sententia ab omnibus retinenda est.

LI. *Postrema ratio,* ne singulas persequamur. Cum lis intentatur super alicuius testamenti, vel legati ad pias causas interpretatione, semper omnium Theologorum consensu ea opinio præfertur quæ pietati, & religioni magis accedit. Testamenta, & legata uberrima, quibus pii, sanctique Christiani Episcopia, Ecclesias, altaria, capellanas, anniversaria fundarunt, nemo negaverit ad pias attinere causas. Nemo dixerit sanctorum fidelium voluntates in legandis Ecclesiæ bonis fuisse ut in profanos, pravosque usus, ut in aleas, luxum, pompas, & sanguineorum augendum patrimonium eiusmodi bona converterentur. Sententia ergo nostra, cum piis causis evidenter faveat, amplectenda est. Contraria vero testantium, & legantium menti adversatur. Piam porro sanctamque testatorum voluntatem invertere, & iugulare impii hominis est, atque sacrilegi.

LII. Theologorum, & Canonistarum plures recensentur qui hanc defendunt sententiam. D. Thomas 2. 2. *quæst. clxxxv. art. 7.* & *quodlib. vi. art. 12.* & *art. 19.* & *alibi*, B. Albertus Magnus in *IV. dist. xxv.* S. Raymundus in *Summ. Lib. II. tit. v. §. 6.* & *8.* S. Antonius III. *Par. tit. xv. cap. 1. §. 19.* Petrus de Palude *dist. xxiv. q. III.* A'e-

xander Alensis III. *Par. q. xxxvi. n. 5. art. 2.* Richardus in *IV. Sent. dist. xlv. quæst. 1.* Henricus Gand. *quodlib. viii. q. xxvii.* Dionysius Carthusianus *Lib. de pluralit. Benef. art. 11.* Maior in *IV. dist. xxiv.* Gabriel in *IV. dist. xv. quæst. lxxxviii. art. 2.* VValdensis *Tom. I. Lib. IV. cap. xlii.* Alvarus Pelagius *de plant. Eccles. part. 11. cap. xxviii.* Ludovicus Beia *par. 11. cas. 25.* Paulus Comitulus *Ref. Mor. Lib. I. q. lxx.* Gerulson. *Tom. II. de temp. & vest. Presbyt.* Ioannes Bromiardus in *Sum. Præd. lit. P. 13.* Raphael de la Torre in *2. 2. q. lxxxvii. art. 3. disp. iv.* Martinus VVigandus *tract. viii. exam. 2. quæst. xliii.* Sum. Pisan. *verb. Cler. §. 4.* Sum. Angelica *verb. Cler. 111. §. 4.* Armilla *verb. Benef. Reginaldus Lib. XXX. tract. 111. num. 78.* Franciscus Turrianus in *epist. ad Nav. Michael Medina Lib. VII. cap. xxi.* Cardinalis Capifucus *contr. xxx.* Tannerus *Tom. III. dist. iv. q. vi. dub. 8. n. 215.* Gregorius Lopez *Lib. XI. tit. v. par. 1.* Vanelpen *par. 11. tit. xxxii. de pecul. Cleric. Bellet disq. Cleric. §. 2. num. 5.* Paulus a Lugduno *tract. 111. disp. 1. artic. 4.* Cardinalis Caietanus in *2. 2. quæst. xlvi. art. 8.* Sylvester *verb. Cler. quæst. iv. num. 3. 11. & 14. & verb. Alienatio. Ledesma in IV. quæst. xviii. art. 5.* Ioannes Driedo *de libert. Christ. Lib. II. artic. 4.* Natalis Alexander *Theol. Dogm. Lib. II. cap. v. reg. 9. & 10.* Gennetus *Tom. II. tract. 1. cap. xi.* Paulus Laymanus *Lib. IV. tract. 11. cap. 111.* Henricus a S. Ignatio *Lib. IV. cap. xxx.* Gabriel Antoine *tract. de obligat. Cler. cap. 1. quæst. v.* Continuator Turnely *tract. de Benef. cap. iv. art. 3.* Ludovicus Thomassinus, *de Benef. Eccl. Par. III. Lib. II. Christianus Lupus in can. x. Concil. Tolosan. Milante in XII. propos. Innoc. XI. exercit. vi.*

LIII. Ex Canonistis paucos indicabo. Archidiaconus cum Geminiano in *Sum. xlv. & cap. Statum, §. Assessorum de rescriptis in VI. ubi docet, hæreticum esse asserere oppositum. Panormitanus in cap. Cum secundum de præb. Ioannes Lignanus in Clement. Ioannes Andreas, Dominicus Acheranus de offic. Ordinar. in VI. Felinus in cap. Postulati num. 6. Antonius Burgenis in cap. 1. de emp. & vendit. num. 28. Albericus in Dictionario *verb. Clericus. Rodoanus tract. de spoliis Eccles. q. 111.* & apud eundem Innocentius, Calderinus, Dominicus Francus, Antonius Martilius, P. Iason, Barbatus, Decius, qui communem hanc esse sententiam adfirmant. Cezar Costa *Lib. ambig. iuris c. xl.* Mar-*

Martinus Navarrus *tract. de redditibus Ecclesie*. Iptum confule, ubi plurimos laudari Canonistas, immo omnes fere antiquos, reperies. Et in Apologia de redditibus Ecclesie, hæc scribit quæst. I. monit. xxiv. Et *ita opinio communis videtur iam esse facta de fide, necessario credenda.*

LIV. Petrus Soto, Theologus sapientissimus, Dominico Soto suppar, hæc scribit de vita Sacerdotum lect. III. Nos vero sequimur B. Thomam, qui q. clxxxv. art. 6. & 7. *hanc rem rationabilius, & distinctius explicat, idque ex propriis principiis, que certe ex his que dicta sunt hoc loco, sunt nobis sumenda. Primo omnium constat ex decursu totius Ecclesie ab Apostolis, & ipso iure divino bona omnium Ecclesiarum, cum Christi sint, merito ea pauperum esse; neque ulla ratione, aut potestate humana fieri posse ut licite in alios usus quam ecclesiasticos, & pauperum, expendi possint. Hoc confirmant omnia que superius diximus; & contrarium credimus errorem esse gravissimum saltem contra bonos mores, & iustitiam: & quidni etiam contra Scripturam? Immo errorem gravissimum Petrus Soto contrariam appellavit sententiam. Plurimos alios allegare possum; sed satis sit animadvertere, vel ipsos contrariæ opinionis patronos, ut Lessius Lib. II. de iur. cap. IV. num. 42. Azorius Lib. VII. par. II. cap. VIII. alique, conformiorem sacris Canonibus, & SS. PP. nostram fateri sententiam.*

## §. VI.

*Contraria sententia argumenta diluuntur.*

LV. **M**agister Dominicus Soto, non retuli ingenii Theologus, primus fere omnium, data opera, invexit opinionem oppositam. Arctius quam laicos astringi Beneficiarios ad eroganda superflua docet, non tamen iustitiæ lege, sed caritatis præcepto. Soti opinionem amplexati sunt recentiores plures. Lessius Lib. II. cap. IV. dub. 6. num. 47. eam laxavit, ad solum præceptum ecclesiasticum revocando. Castropalaus *tract. VI. disp. II. punct. 6.* Coninchus *disp. xxvii. dub. II.* Gordonius Lib. III. quæst. II. num. II. Lugo *disp. 12. sect. I. num. 2.* Sanchez Tom. I. *Consil. Lib. II. cap. II. dub. 37. num. 2.* Theophylus Raynaudus Tom. XII. de malis & bonis Ecclesie. Lib. II. sect. III. cap. I. num. 6. & citat pro hac eadem opinione Gabrielem, Covarruviam, Columnam, Ægidium, Vasquez. Sarmiento oppugnatus a Navarro *part. IV. cap. I. Sch-*

*malzgrueber Part. III. titul. xxv. num. 32.* Barbosa *de iure Ecclesie part. II. Lib. III. cap. xvii. num. 10.* Azorius *Part. II. Lib. VII. cap. VIII.* Diana *Tom. IV. coord. tract. VII. resol. 26.* Leander *tract. V. disp. III. §. 2. quæst. lxxv.* Salmanticensis *tract. XII. cap. II. punct. II. n. 3.* Fagnanus I. *Part. III. Lib. Decr. in cap. Si quis de pecul. Cler. Escobar tract. V. exam. V. cap. IV. num. 45.* Baunius *Tom. III. Lib. II. tract. IX. q. IV. & alii.*

LVI. Communiter laudati Auctores, ceterique eiusdem opinionis recentiores docent, iure naturali & divino Beneficiarios omnes alitrosos esse ad eroganda superflua reddituum ecclesiasticorum in pios usus. Baunius *loc. cit.* cum Lessio, & uno aut altero recentiore laxissimam invexit opinionem. Contendit præceptum elargiendi redditus ecclesiasticos superfluos in pios usus esse dumtaxat ecclesiasticum, quod contraria valeat consuetudine abrogari. Quare defendit, Beneficiarios tum in Gallia, tum in Hispania, non valide modo, sed etiam licite, testari de rebus superfluis in usus non pios. Quam opinionem ut valde laxam, & adversam communi Doctorum placito, respuit vel ipse Diana *loc. cit. ref. 20.* his verbis: *Ego huic sententia non assentior; cum sit contra communem, & omnino respuendam esse puto.* Ferraro sic loquitur Diana. In favorem istius opinionis citari etiam Dominicus Soto, & Lessius solent. Sed Sotus dumtaxat asserit, bona ecclesiastica, in sæcularem transmutata titulum, non esse ex iustitia obnoxia eleemosynis debitis pauperibus pro sua portione, eo quod ius quod pauperes ad decimas habent, sit positivum. Nulli vero asserit (quantum ego quidem colligere ex illius lectione potui) Beneficiarios iure tantum ecclesiastico ad eroganda superflua astringi: nec de tanto Theologo id vel suspicari mihi licet. Si enim vel ipsi laici iure naturali, & divino ad superflua distribuenda tenentur; liberi ne ab hoc onere erunt ecclesiastici Beneficiarii? Sed de Auctorum placitis satis. Nunc eorumdem argumenta sunt refellenda.

LVI. Primum argumentum petitur ab auctoritate sacrorum Canonum. Nam in *cap. Coniuet. de Clericis non resident. & in Concil. Trid. xxii. cap. III. & sess. xxiii. cap. I. de Refor.* aperte declaratur, Beneficiarios absentes a servitio suarum Ecclesiarum, fructuum Beneficii dominium non acquirere, neque facere fructus suos. Ergo, cum resident, Ecclesiarumque officiis adstant, faciunt fructus suos,

suos, dominiumque acquirunt. Idemque in *Concil. Later. sess. IX. & in Constit. S. Pii V. quæ incipit Ex primo.*

LVII. Resp. Hoc est potissimum argumentum adversariorum. Quod quam sit exile, & infirmum, quisque intelliget, si alios aperitissimos canones, Sanctorumque documenta in memoriam revocaverit. Beneficiariis debentur fructus beneficiorum: dignus quippe est mercenarius mercede sua. Cum intersunt divinis officiis, suos faciunt fructus: suos, inquam, quantum ad usum, victum, & vestitum; suos etiam, si vis, quantum ad dominium, sed onere gravatum erogandi superflua. Portionis congruæ sustentationi debita dominium habent Beneficarii: tale dominium illis admittit Concilium, cum absint ab Ecclesiis. Quippe si mercenarius non laborat, mercedem non facit suam; quin iure eadem privatur. Sint Beneficarii omnium fructuum, etiam superfluum, domini: nihil repugno; dummodo id ad mentem sacrorum Canonum intelligatur, nimirum de dominio restricto, onerique subiecto eadem superflua distribuendi in pia opera. Christus, aut etiam Ecclesia universalis dominium habet reddituum ecclesiasticorum. Nihil video repugnare quod Beneficarii, cum ius habeant exigendi, compellendique fideles ad solvendas decimas Deo iam consecratas, sint quoque a Christo, sive ab Ecclesia dominio earundem donati; sed dominio, ut dixi, gravato onere dispensandi superflua. Quæ omnia magis perspicua fient, si ad alios canones oppositi canones comparentur. Siquidem & ipsum Concilium Tridentinum, & priora Concilia ubique clamant, Beneficiarios dispensatores esse, & administratores sacrorum reddituum; ipsos vero redditus esse patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum. Porro efficiendum est ut iura iuribus concordent. Concordant autem, sibi que conitant, si iuxta ea quæ dicta sunt, explicentur. Dissonant vero, sibi que repugnant secundum contrariæ sententiæ commentationem. Interpretatio a nobis data, tum antiquorum, tum recentium Theologorum auctoritate nititur. Innocentius IV. in suo *comment. Innocentii III. in cap. Cum super,* hoc clare exprimit: *Non Prælati, sed Christus dominium, & possessionem Ecclesie habet. Unde quacumque homines offerunt, dicuntur esse oblata Deo.* Can. *Nulli liceat, XII. quæst. II. Et, si aliquando inveniatur hæc bona, Deo oblata, esse Episcoporum, vel Prælatorum, vel Capitularum, dic esse eorum quoad gubernationem.* Innumeras asserre auctoritates possem

in nostræ interpretationis confirmationem. Sed rem certam dubiam efficerem, si longius disputationem producerem.

LVIII. Obiicies 2. Non est imponendum onus iustitiæ, nisi aut evidenti textu, aut manifesta ratione id probetur. Nullus autem textus, nulla evidens ratio evincit, Beneficiarios iustitiæ lege devinctos esse ad distribuenda superflua. Liberi ergo ab hoc onere dicendi sunt.

LIX. Resp. Textus evidentes sacrorum Canonum, & Conciliorum supra adducti sunt: nec eos repetere debemus, ne actum agamus. Rationes etiam perspicuas dedimus, petitas tum ab intentione fidelis populi, tum a conditione, & qualitate ministrorum, tum a natura reddituum, qui, cum Deo semel oblatus fuerint, nequeunt amplius in profana opera prodigi.

LX. Obiicies 3. Si pars reddituum ad pauperes pertineret, hi surripere clam possent partem suam, si Beneficarii illam erogare negligenter. Concedenda quoque esset pauperibus actio in iudicio ad repetendam hanc partem. Denique ipsi Christiani solventes decimas possent partem debitam pauperibus retinere, ut eos ab iniusticia Beneficiorum subtraherent.

LXI. Resp. Nullus pauperum ius habet ad superflua Beneficiorum bona; quemadmodum nec Beneficarii lege iustitiæ astringuntur ut huic, vel illi pauperi superflua distribuunt. Sola pauperum communitas ius habet ad Beneficiorum superflua. Et hæc posset apud summum Pontificem litem intentare Beneficariis, qui pauperum portionem retinerent; atque ita Beneficarios cogere ad distribuenda superflua. Nullo autem pacto licitum foret laicis integras, ad quas tenentur, decimas non persolvere.

LXII. Obiicies 4. Quamquam ea intentione fideles donent Ecclesiis amplios redditus, ut superflua bona pauperibus dispensent; non propterea iustitiæ onus illis iniungitur, sed tantum caritatis, & misericordie. Falsum ergo est Beneficarios oneri restitutionis esse subiectos, si superflua retineant.

LXIII. Resp. Communiter adversarii fatentur hoc pacto, saltem tacito, Christianos decimas, oblationesque amplas Deo, & Ecclesie ministris offerre, ut superflua erogent in pauperes: quod pactum quandoque in ipsis testamentis conceptis verbis exprimitur. Ex placibus unum allegare sufficiat documentum ex Capitularibus Caroli Magni Lib. III. cap. VIII. *Offero Deo, atque dedico omnes res que*



in hac chartula tenentur inserte, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, ad servendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemnibus, orationibus, luminariis, PAUPERUM, ac Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesie utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pena sacrilegii, ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districtissime reddet rationes. Et tamen omnes fideles verbis adeo conceptis suam non expresserint voluntatem; re ipsa tamen, ut supra palam fecimus, eos similem habuisse voluntatem vel ipsi adversarii consentunt. Id solummodo contendunt, hoc onus redditibus Deo consecratis adiectum, non iustitiae, sed caritatis, & misericordiae dicendum esse. At hoc arbitrarium commentum est, communi Theologorum sensui adversum. Onera quippe omnia quae vi alicuius pacti, sive expressi, sive taciti, debentur, non ad caritatem, sed ad iustitiam revocantur. Igitur cum onus distribuendi in pia opera superflua reddituum ecclesiasticorum communiter admittatur; onus istud iustitiae esse, non caritatis, concedat oportet. Contra eos vero qui tali onere gravata negant ecclesiastica bona, supra disputatum abunde est.

LXIV. Obiicies 5. Si Beneficarii absoluto dominio non potirentur in proprios redditus, expendentes superflua in usus profanos, tenerentur ad restitutionem. Haec autem restitutio a quo facienda est? Vel enim tenetur Clericus; vel ille qui accepit. Non qui accepit, quia Ecclesia necdum hanc illis obligationem imposuit, quae intolerabilis esset. Non Clericus, quia bona restituenda non habet.

LXV. Resp. Si qui bona a Beneficariis accipiunt, compertum habeant ex superfluis redditibus dempta esse, proculdubio ad restitutionem astringuntur. Nec tamen inquirere tenentur, an fuerint accepta bona vel ex superfluis, vel ex patrimonialibus, sed potius credere debent ex iis bonis dempta esse quorum habent Beneficarii dominium, nisi ex adverso gravia occurrant momenta. Ecclesia super eiusmodi donationibus tacet, nec restitutionis debitum imponit: quia non constat ex quibus bonis donationes factae sint. Clerici ergo restitutionis oneri obnoxii sunt.

LXVI. Obiicies 6. Reditus alicuius Beneficarii summam efficiunt decem millia ducatorum. Sex millia illius sustentationi necessaria sunt. Quatuor millia quae superflua, quaeque pauperibus debentur, in profanos usus prodigunt. Elapso anno, unde bona quae

impleat restitutionis, accipiet? Nam quatuor millia, quae sequenti anno supererunt, pauperum sunt. Nihil ergo habet unde restituit.

LXVII. Resp. Hoc est ultimum Dominici Soto argumentum, quod dum perpendo, in mentem venit responsio Pauli Comitoli, qui haec scribit Lib. I. quaest. lxx. Porro autem eiusdem SOTI argumentationes adeo leves, adeo Theologo, ac Theologia indignae visae sunt, ut hic me pigeat eas commemorare: multoque magis fit hominis dignitati consultum, sit taceatur, quam si exponantur. Plus in isto acrior videbatur censura; sed Soti, viri aliqui doctissimi, argumentationibus perpenfis, satis moderata apparuit. Tanta est vis veritatis, ut adversus eam neque summa ingenia quidquam valeant. Ultima ergo Soti argumentatio, quam ille magni facit, inanis omnino est. Praelatus, Beneficiarius ex patrimonialibus, si habeat, restituere debet. Si careat bonis omnibus, iis accensetur qui solvendo non sunt idonei. Nec longior responsio debetur exili oppositioni.

LXVIII. Obiicies 7. Beneficariis sine testamento decedentibus succedunt consanguinei aequae in ecclesiasticis ac in patrimonialibus bonis: idque consuetudinis vim obtinet, cui non interdicat Ecclesia, quin eam approbat, & civilis iurisprudencia confirmat.

LXIX. Resp. Factum verum est tantum pluribus in locis: nam alicubi contraria obtinet consuetudo, succeditque Ecclesia. Falsum autem omnino est quod Ecclesia sive expresso, sive tacito consensu approbet hanc consanguineorum successionem. Quare successio isthaec non consuetudine, sed abusu nititur, inquit Cardinalis Caietanus 2. 2. quaest. clxxxv. art. 7. Nec obstat, si dicatur quod iura illa sint per contrariam consuetudinem abrogata, sciente tanto tempore Romano Pontifice, & non reprehendente: quoniam non consuetudo, sed abusus est. Plurima Ecclesia tolerat, quae sine maiore incommodo impedire nequit. Clamat ipsa canonum sonitu, suisque sanctissimis legibus vetat laicos sacris redditibus ditari. Ceterum iugulum minime petit eorum qui, legibus neglectis, propriae inserviunt cupiditati. Non armorum, suppliciorumque severitate scelera quae societati non adversantur, removet; non gladio in delinquentes animadvertit; sed saluberrimis monitis, ac praecipis, poenisque etiam spiritualibus filios suos docet a vitiis abstinere, ac honesta peragere. Nihil frequentius opponunt, quam silentium, tacitamque Ecclesiae permissionem, sacrarum legum violatores. Cum non videant Ecclesiam sa-

vire

vire in corpora, aut continenter leges legibus accumulare, e vestigio consensum illius iactant, larvamque consuetudinis abusibus aspergunt. Ecclesiae leges inanium commentationum caligine involvunt; postea comminationum caligine involvunt; ac si eorum vanis interpretamentis essent sublatae. Nullus esset legum finis, si Ecclesia malis, & flagitiis in dies occurrentibus, & non paucorum Casuistarum lenociniis delinitis, incedere vellet. Legem nobis Deus dedit: illam Ecclesia nobis edisserit. Sed tam Deus, quia in maiorem sui gloriam cedunt, quam Ecclesia, quia impedire non valet, infinita mala tolerant. Desinant ergo in Ecclesiae sinum sua regerere crimina, quae graviora sunt, dum calumniis defenduntur. Iurisprudencia autem quaedam permittit, quo maiora mala declinet, ut inquit D. Thomas 2. 2. quaest. lxxviii. art. 1. ad 3. Leges humanae dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multa utilitates impedirentur, si omnia peccata prohiberentur distincte, & poenis adhibitis. Valida consistunt civilium legum auctoritate Beneficiorum donationes consanguineis factae; sed naturalis, divini, atque canonici iuris vi invalidae sunt prorsus, & sacrilegae. Verum de hoc plusquam satis.

LXX. Obiicies 8. Pontifices in dies facultatem tum Beneficariis, tum ipsis Episcopis Regularibus testandi, etiam in usus profanos, nempe in favorem consanguineorum, concedunt. Falsa ergo opposita sententia.

LXXI. Resp. Non de eo quod Pontifices summi peragunt, sed de eo quod suis constitutionibus agendum praescribunt, modo disputatum. Plura impertiuntur Pontifices summi, inquit S. Bernardus, aut mendacio decepti, aut importunitate victi. Dum Regularibus facultatem testandi Pontifices faciunt, eisdem constituunt ministros, & dispensatores bonorum Ecclesiae in pios usus. Si qua esset extorta facultas ab Episcopis Regularibus legandi bona ecclesiastica in usus profanos; obreptionis, aut subreptionis illam arguerem. Futile itaque est, & vanissimum sophisma istud, a Pontificum dispensatione petendum. Plurima enim dispensationum privilegia obtinentur lege obistente.

LXXII. Adversarii mei vel ipsa S. Bernardi verba carere non sunt veriti, ut odium, & invidiam crearent Theologiae Christianae. S. Bernardus episcopus VII. ad Adam Monachum scribit, Pontificem aliqua concedere aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. Sed audiant quae oppositores Cardi-

nalem Toletum in Instruct. Sacerd. Lib. V. cap. lxxxiii. ubi haec scribit. Papa dispensatio sine causa non habet locum in foro interiori. Unde qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt. Nec excusantur, quia Papa dedit: & ipsius est considerare, quomodo dedit... Papa autem non est dominus bonorum, & reddituum Ecclesiae, sed tantum universalis dispensator. Unde sicut cum dispensat hominem in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adest; ita & in pensionum, & Beneficiorum distributione. Causa autem haec debet esse in utilitatem Ecclesiae, cuius sunt bona. Si enim nulla via in Ecclesia huius, vel universalis utilitatem tendat, non est causa legitima. Audiant celeberrimum alterum Cardinalem Bellarminum, qui episcopus ad Nep. xxxviii. haec contra iniultas dispensationes scribit. Sed quia multi multa Beneficia ex dispensatione pontificia possident, sciendum est, pontificiam dispensationem, quando non adest iusta causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli, ut aperte docet S. Thomas quodlibet VI. art. 15. Et rursus ibidem: Papa sine legitima causa dispensans graviter delinquit, & eius delictum non liberat ambientem, obtinentem, retinentem &c. Plura similia ibi habet doctissimus Purpuratus. Numquid Bellarminus, Toletus una cum Patribus denigrarunt Pontificum famam? Respondeant oppositores.

## §. VII.

Nonnulla quaestiuiculae resolvuntur.

LXXII. **P**ura in tractatu de Beneficiis dicturi sumus quae ad hanc materiam attinent. Tamen quia sermo institutus est, adhuc paululum procedat, ut pauculae quaestiuiculae declarentur.

LXXIII. Quaest. I. Utrum Beneficariis liceat quidquam de expensis congruae sustentationi necessariis subtrahere, ut has parsimonias consanguineis, amicisve donent? Resp. Non multi sunt eiusmodi Beneficarii tantae parsimoniae, qui velint quidquam sibi demere eorum quae revera propriae sustentationi congruunt. Parsimoniam forte nonnulli vocant, cum in luxum, in pompas, in ludos, in convivia opipara non prodigunt redditus. Ceterum perrari inveniuntur qui cibo viliori vesci veint, ut consanguineis succurrant. Sed sub parsimoniae istius larva, superflua, quae pauperum sunt, consanguineis donant. Verum posita etiam hac victus vestitusque parca-

t2,

te, non inde sequitur, illos posse parentum suorum statum extollere. Eis dare licite valent, ne indigeant, quemadmodum aliis pauperibus, secus, ut dicitur. Eiusmodi parimoniarum, quacumque ratione factæ fuerint, semper sunt natura sua Ecclesie bona; atque adeo totum in pios usus expendendum. Pium, sanctumque est occurrere parentibus indigentibus; qui ceteris in pari causa præferri debent; sacrilegum autem velle eos sacris victimis Deo immolatis saginare. Beneficarii qui parce vivunt, ut pauperibus parentibus succurrant, sancte agunt. Qui parce vivunt, ut parentes, & consanguineos ditent, stulti, & scelesti sunt. Quare tamquam sacrilegi raptores habendi sunt qui effutire solent se consanguineis ex illis bonis donare quæ de mensa, de famulorum apparatu sibi subtraxerunt.

LXXIV. Quæst. II. An Beneficarii valeant bona quæ ex Missarum, exequialium precum, concionumque elemosynis colligunt, parentibus, & consanguineis, amicisve donare? Resp. Propositæ quæstionis decisio ex his pendet quæ in tractatu de simonia dicturi sumus. Recensita officia sacra sunt. Opus laboriosum, quod a re sacra fecerunt recentiores, ut eisdem pendere licite possit pretium, lucrumque temporale, commentum videtur; quoposito, nulla in mundo simonia foret. Indivisus labor est corporalis ab administratione rei sacre. Si hæc nequit, neque ille vendi potest. Omnia quæ pro eiusmodi officiis a laicis dantur, titulo solius sustentationis Beneficarii, & Clerici recipere possunt: nullo vero modo titulo pacti pretii: alioquin licitum esset contractus super huiusmodi functionibus inire: quod nemo dixerit. Quæ intelligenda sunt, nisi aliunde constet, velle laicos titulo liberalitatis, & donationis alicui Clerico aliqua conferre: quod aliquando, sed perraro contingit. Ut autem propositæ quæstionis decisio occurrat, observandum, iuniores, quos inter novissimus Auctor P. Billuart, recensitas oblationes, & redditus inter bona quasi patrimonialia reicere. Immo P. Sporerius mitissimus Probabilista vel ipsas distributiones quas vocant inter præsentem, bonis quasi patrimonialibus accenset. Ex quo inferunt, posse Beneficarios eiusmodi bona quasi patrimonialia donare parentibus, consanguineis, & in quoscumque profanos usus distrahere, non secus ac bona patrimonialia. Quoniam, inquit, oblationes ob sacrificia, conciones, exequiales preces, conferuntur a fidelibus propter pensum personale, tamquam iustam stipendium labori debitum. Nec est quod illis

reponas, quæcumque bona quæ sunt, etiam secundum ipsos, ecclesiastica, a fidelibus pendendi Beneficariis propter onera personalia, nempe propter officium, sacramentorum administrationem, & cetera munia pastoralia. Respondent enim bona quasi patrimonialia conferri præcise ob eorundem laborem personalem. Hic pedem figunt. Clament Patres, ventent Concilia, ne Christi patrimonio ditentur laici. Unius distinctiunculæ beneficio sacre oblationes et sanctuario in laicorum domos remeant, sub auspiciis quorundam iuniorum Casuistarum. His obiter indicatis dico, recensita omnia bona sacra esse. Pastores vi proprii officii astricti sunt concionari, canere, celebrare sacrum, administrare sacramenta. Ob hæc munia peragenda, instituta beneficia sunt. Vanum ergo commentum est quod ob hæc munera queant stipendia ad libitum donanda consanguineis percipere. Non plus domini in hos quam in alios redditus vi beneficii perceptos habent Clerici. Omnia ergo quæ a fidelibus vi sacri ministerii accipiunt, præter ea quæ congruè sustentationi conveniunt, erogare in usus pios astringuntur.

LXXV. Quæst. III. Si Beneficarius ex bonis patrimonialibus elemosynas fecerit, poterit ne ex redditibus Ecclesie compensatione uti? Resp. Adfirmat absolute Leander tract. v. dist. III. quæst. I. & citat Molinam, Navarrum, Lessium, & Palaum. Id autem absolute verum non est. Quia sæpe tenetur Beneficarius, non secus ac laici, ex bonis patrimonialibus elemosynas erogare. Quare in his casibus prava esset intentio tantumdem accipiendi ex bonis Ecclesie. Tunc solum licita compensatio esset, quando suis bonis patrimonialibus onus suppleret elemosynarum quas ut Beneficarius, non ut laicus, erogare deberet.

LXXVI. Quæst. IV. Beneficarius habens filias spurias, valet ne illas fructibus beneficii dotare? Resp. Adfirmat Palaus disp. II. punct. 5. num. 9. etiam si Beneficarius bona habeat patrimonialia, quibus alimenta, & dotem filiabus parare posset. Sed hæc opinio nimium laxa est. Quippe tunc filia patrem divitem haberent, quapropter in pauperum numero collocari nequirent. Quando omnibus bonis propriis destitutus Beneficarius esset, posset filias spurias congrua donare dote; sed ut spurias, quæ, utpote inferioris conditionis quam legitimæ, minorem exigunt dotem.

LXXVII. Quæst. V. Potest ne Beneficarius ex redditibus Beneficii nepotes in studio alere, etiam si bonis patrimonialibus adundet, & laurea doctoratus ornare? Resp. Adfirmat Leander loc. cit. quæst. lxxii.

Leander loc. cit. quæst. lxxii. cum Sanchez, Lugo, & aliis. Hæc opinio absolute spectata improbabilis, & falsa mihi est; tamen si ut certam dividat Leander laxioris Ethices fautor. Si Beneficarius haberet plures nepotes, posset iuxta hanc opinionem ingentes Ecclesie redditus in nepotum litteris vacantium alimentum impendere, bonis propriis retentis: quod quam sit absurdum, nemo non videt. Dico igitur, debere Beneficarium bonis patrimonialibus quibus abundat, nepotes in scholis alere. Si præfatis bonis careat, plura spectanda sunt: pauperum aliorum numerus, redditus Beneficii, qualitas nepotum. Si aliorum pauperum numerus parvus sit, quibus facile subvenire valeat; si redditus sint abundantes; si nepostantæ sit capacitatis, ut Ecclesie utilis sit futurus: tunc poterit ipsum, ceu pauperem, in universitate sustentare, & fortassis etiam ad lauream evehere. At cavendum ne ob meram sæculi pompam, finemque vanum illustrandi familiam id fiat. Cavendum ne amor carnalis erga nepotes extinguat caritatis amorem erga filios pauperes, quorum sunt superflui redditus.

LXXVIII. Quæst. VI. Quid, si nepotes aut fratres parentes divites habeant? Poteritne etiam tunc Beneficarius eos alere? Resp. Ait absolute Layman Lib. IV. tract. II. cap. III. num. 5. Limitat Lugo, & post ipsum Leander, si parentes nolint filios suos in universitate alere, quamquam patrimonio abundent. Hæc itidem opinio mihi improbabilis est. Hac quippe admitta, numquam parentes vellent in scholis alere filios; sed curam hanc Beneficariis propinquis relinquerent. Quæ, quæso, necessitas ut nepotes universitates frequentent, ut Doctores, & magistri evadant? Ubi hic vel levis ratio quæ licitam efficiat talem nepotum, aut fratrum in universitatibus sustentationem? Parentes divites sunt, ut concedunt, & pro certo ponunt adversarii. Non ergo pauperes sunt filii. At posito, inquit, quod pater nolit in studio filios alere, iam illi indigent, & pauperes dicuntur. Nec enim pater astringitur ad scholas filios mittere. Optime quidem. Pater non astringitur: ergo astringitur Beneficarius? Litterarum studium ornatum est minime necessarius. Cur ergo pauperum patrimonium in hunc nepotum ornatum prodigi debet? Quænam necessitas est ut nepotes Doctores fiant? Casuistica opinio, quam recensui, laxa nimium est; idcirco proflus reiicienda.

LXXIX. Quæst. VII. Beneficarius humili loco natus, & ad ecclesiasticam splendidam dignitate promotus, potest ne ad altiore statum redditibus Ecclesie consanguineos extollere? Resp. Adfirmat Leander loc. cit. quæst. lxxii. & citat pro sua opinione Molinam. Quoniam, inquit, ad honorem Clerici id pertinet, cui vitio dabitur, si fratres, aut consobrinos suos in paupertate degere permittat. Si vera sunt quæ Theologi isti excogitarunt, actum de patrimonio pauperum est. Si nepotes, fratres & consobrinos in scholis alere, & laureis in universitatibus ornare, si eosdem ad honestiorem statum attollere, si sacrificiorum, & manualium distributionum oblationes ad libitum expendere licite possunt Beneficarii; quid pauperibus remanebit? Concilia, & Patres gravioresque Theologi Beneficariis permittunt ut paupertati consanguineorum subveniant; minime vero ut ditiores illos efficiant. Consanguineorum humilis conditio, & paupertas pudori, & dedecori sunt hominibus vanis, superbisque; secus viris Deo consecratis, quique mundo, & pompis eius duplici professione vale dixerunt.

LXXX. Quæst. VIII. Episcopus & Beneficarius divissimus satisfacit ne elemosynæ præcepto, si quartam, aut dimidiam partem reddituum Ecclesie in opera pia erogat? Resp. Prosententia adfirmante laudat Leander Petrum Hurtado, & Dianam, qui Tom. IV. coord. tract. VII. resol. xxxiv. hæc scribit.

„Sæpius hanc quæstionem pertracto, quia necessaria nimis est, cum id frequenter in praxi accidat. Communiter affirmative respondent Doctores: & ita vellem ab omnibus Episcopis, & Beneficariis observari: & ita consulendum est. Sed quia aliqui aures non accommodant huic nostræ cantilena; ideo ne peccata multiplicentur, Doctores aliqui, ut aliquantulum alleviant hoc præceptum, dixerunt, in communibus necessitatibus Episcopos satisfacere huic præcepto, si quartam partem reddituum in usus pios expendant, vel si medietatem superflui. Subdit Diana probabilem hanc opinionem reputari a Trullencho, se citato, & a Machado, se citato. Audistis? Relaxanda præcepta sunt, ne peccata multiplicentur, & quia aliqui nolunt aures accommodare cantilena; veritatis. Hæc sunt rationum momenta, cur similes Doctores vocantur Agnus Dei qui tollunt peccata mundi. Communissima sententia docet, Episcopum, & Beneficarium quemque non satisfacere elemosynæ præcepto, si quartam, vel dimidiam reddituum partem erogat pauperibus: quoniam omnia congruè suæ sustentationi superflua in

pios

pios usus distribuere teneret. Enimvero sic præcipiunt Canones, & Concilium Tridentinum. Adeo vera hæc sententia est, ut vel ipse Diana consulendam doceat; quamquam, ut dixi, contrariam probabilem reputet, cui subscribit Verricellus tract. v. qu. vi. num. 8.

LXXXI. Quæst. IX. Eadem ne obligatione tenentur Pensionarii, ac Beneficarii in reddituum Ecclesie distributione? Resp. Negat Vasquez cap. iv. dub. ult. num. 22. de elem. Butsembau Lib. IV. cap. 11. dub. 3. Adfirmat secunda sententia, quam defendit Navarrus in Apolog. quæst. 1. monit. 80. Sarmiento Lib. I. p. 111. cap. v. Tertia distinguit pensiones quæ titulo seculari, ab aliis quæ titulo spirituali conferuntur. Has tres sententias refert Leander disp. 111. qu. xxvii. super quibus promittit iudicium: Ego respondeo dicendum omnes tres sententias esse probabiles; sed inter illas, ut benigniorem, libere poterit Pensionarius primam sequi. Quid amplius auribus dari potest? Ex tribus opinionibus quæque probabiliis; sed laxior præferenda, quia benignior. Novus hic Pyrronismus antiquo laxior videtur. Ad questionem respondeo, Pensionarium æque ac Beneficarium ad eroganda superflua astringi. Onus istud reale veluti est, quod bona sacra comitatur. His bonis permixta est pauperum portio, quæ, quocumque bona transeant, semper sequitur. Numquam præfata bona, sive a Beneficario, sive a Pensionario possideantur, ab hoc onere liberantur. Hæc porro ratio non minus primam quam tertiam opinionem reiicit. Sive enim titulo seculari, sive spirituali bona Ecclesie conferantur, semper iisdem oneribus subiecta sunt: nec tituli varietas aufert gravamina præfatis bonis imposita. Quapropter etiam Commendatarii tenentur superflua in pia opera erogare. Quod multo magis verum habet, si beneficium detur in commendam: quia tunc sicut Commendatarius succedit Beneficario in eius commodis, ita quoque in eius oneribus. Et huic ultimæ opinioni subscribit vel ipse Leander cum ceteris communiter.

LXXXII. Quæst. X. Obtinet ne consuetudo, vi cuius Beneficarii valeant ex redditibus sacris ad causas profanas testari? Resp. Occasionem huius dispiciendæ questionis dat R. P. Franciscus Zech Universitatis Ingolstadiensis sacre Theologie Doctor primarius, qui in suo opusculo inscripto Rigor moderatus &c. sub finem hanc his diebus evulgavit opinionem: Ut Clerici ex redditibus beneficalibus licite, & valide testentur ad causas profanas, efficere potest consuetudo RATIONABILIS. Opinio

ista originem ducit ex doctrina P. Lessii, qui Lib. II. de iust. cap. iv. num. 47. docet: Præcipua ratio cur tam stricte extra necessitatem gravem corporalem, vel spiritualem proximi teneantur superflua illa in pauperes, vel pia opera impendere, est Ecclesie præceptum; quo semoto, etsi nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera. Hæc nonnulla inordinatio iam vi consuetudinis assertæ a P. Zech evasit ordinata. Idcirco sublatum est Ecclesie præceptum. Ergo ordinate, seu licite, & valide in profanos usus impendere sacros redditus Beneficarii possunt nunc æque ac laici, si istorum iuniorum doctrina consistat. Clamabunt ne nos Probabilistarum exaggerare laxas opiniones? Communis, & universalis catholice Ecclesie Theologorum, etiam illorum qui negant iustitiæ debitum, sententia docet, Beneficarios debere in pios usus redundantes sibi redditus impendere ex triplici titulo. 1. Ex virtute religionis. 2. Ex præcepto caritatis. 4. Ex lege Ecclesie. Obtinere ne consuetudo aliqua potest quæ religionis virtuti, quæ præcepto caritatis derogat? Ut P. Zech suam propugnet thesim, negabit debitum tum religionis, tum caritatis. Doctrina quippe P. Lessii, Haunoldi, & Bannii fultus, solo præcepto ecclesiastico devinctos propugnabit Clericos ad eroganda superflua. Præceptum autem ecclesiasticum, inquiet, contraria abrogari consuetudine potest. Ergo rationalis est consuetudo qua Clerici ex sacris redditibus ad profanas causas testantur. Admissio antecedenti, consecrarium legitimum videtur. Sed consecrarium extremam, ni fallor, prodit laxitatem, & communi Theologorum doctrinæ, & piorum fidelium sensui adversatur. Ergo idem de antecedenti doctrina, quam consequitur, dicendum est. Nec pluribus refellendam consuetudinem assertam a P. Zech existimo, cum evidens abusus sit, & manifestissima corruptela.

LXXXIII. Subdit P. Zech: Quod autem consuetudo ita testandi, per totam aliquam diocesim illimitate vigens, sit rationalis, difficile probatu est. Papæ? Difficile sane probatu, immo difficillimum est, quod consuetudo, etiam sua natura honestissima, & sanctissima, illimitate vigens, sit respectu omnium rationalis, seu quod aliqui saltem eadem non abutantur. Quare additamentum istud, dignum videtur patella operculum: & ideo maiori non eget confutatione. Plura alia ad propriam sedem de beneficiis remittuntur.

§. VIII.

§. VIII.

CONSECTARIUM.

LXXXIV. FUSE disputatum hætenus. Pauca æquabili animo, menteque serena nunc colligenda. Ob oculos revoca originem, progressum, ultimosque peroratae causæ terminos. Angusta origo. Ad sæculum usque XVI. Patres, Concilia, Theologi uno ore testati sunt non dominos sed dispensatores esse Clericos, & procuratores sacrorum reddituum. Disputari cceptum. Ex disputatione dominium indepti sunt Beneficarii in redundantiam proventus, unius, & alterius Theologi patrocinio. Si hic, unde orsa duxit controversia, pedem fixisset, nihil, aut parum peperisset incommodi. Quid enim, ut alias dixi, refert quod pauperum patrimonii dilapidatores in orcum detrudantur, ob violatam sive iustitiam, sive caritatem? Sed ultra processit humanum ingenium, suisque speculationibus, & distinctiunculis in varias digessit classes Beneficiorum fructus: alios mere ecclesiasticos, alios quasi patrimoniales pro libito nuncupavit. In hac secunda classe magnam comprehendit portionem distribuendam in profanos usus, non secus ac bona patrimonialia. Neque hic sibi confinia posuit. Ipsum divinum caritatis mandatum, quo sub certaminis initium devinctos asterebat Clericos ad superflua pauperibus tribuenda, in discrimen adduxit. Nec sustulerint, solverintque Clericos ab eiusdem vinculo. Quid? Plus ergo domini in Christi pauperumque patrimonium, quam laici in bona sua, Clerici habent? Nullo ergo præcepto Beneficarii ad eroganda superflua urgentur? Absit. Præceptum ecclesiasticum viget. At præceptum istud mutationi, vicissitudini obnoxium est, & opposita auferri consuetudine valet. Dubio procul, concludit R. P. Franciscus Zech. En demum omni distribuendi in pios usus sacri patrimonii vinculo solutos hodiernos Clericos. En quo postremum recidit in causa hac, sicut & in ceteris, immoderata humanæ libertatis disputandi libido. Exuerunt tandem aliquando Ecclesiarum Rectores illa gravissima onera quibus gravati erant, ut essent pastores patientes non animos modo, verum etiam corpora gregis; ut essent pauperum patres, viduarum, & orphanorum provitores liberalissimi. Evanuerunt hæc omnia, quantum per Bannios, per Lessios, per Zechios, aliosque iu-

niores licet, vi oppositæ consuetudinis, & quidem rationabilis. Opus erat ut in Ecclesie primordiis sacri Pastores, inquit P. Billuart pag. 101. cum suo Sylvio, pauperes essent, distribuere in pauperes uberes redditus, ne religionis propagatio humanæ potentia tribueretur, neve Gentiles existimarent Apostolos fidem predicare intuitu bonorum temporalium. Postquam tamen fides plantata est, & eius veritatis, virorumque apostolicorum sinceritas comprobata, valde conveniens fuit ut præcipui Ecclesie ministri aliquam haberent maiestatem, & consequenter aliquam bonorum temporalium affluentiam, eo quod homines sensibilibus assueti facile contemunt, aut parum reverentur eos qui humana potentia seu auctoritate carent. Non ergo ob divinitatem, qua donati sunt sacri Pastores, auctoritatem, sed ob humanam potentiam, ob divitiarum affluentiam, ob splendidi apparatum venerandi, & suspiciendi populis sunt? Hæc sunt ignita, atque inflammata eloquia, quibus ad premeda, quoad fieri potest, Apostolorum, & Sanctorum vestigia Clerici excitentur? Non ergo quibus partium imperium est mediis, & subsidiis, iisdem quoque amplificatur, conservaturque? Ipsorum Gentilium animos ad pietatem, ad Dei cultum, ad crucem ipsam, ad fundendum pro Christo sanguinem permovebat, animabat, urgebatque in Ecclesie primordiis Apostolorum paupertas: hæc vero sæculo nostro contemptionem, & despicientiam ingerit Christianis ipsis? Si valde conveniens est ut nunc Clerici divitiis affluant; valde ne conveniens erit ne in præfens Sanctorum exempla imitentur Clerici? Veneror quæ nunc obtinet, disciplinam; sed opiniones quæ eiusdem abusus, & corruptelas fovent, improbo, & detestor. Plura dissimulari, plura tolerari variis rationum momentis possunt, quæ non decet scriptis publicis typis editis foveri, extolli, & in triumphum evehi. Et tamen postremæ, quas recensui, opiniones, nimium (nisi me amor fallit) laxæ, tanto plausu a non paucis excipiuntur, ut si vocem pro merito exaltarem, stilumque armarerem contra easdem, continuo Rigorista, Tutorista, Fanaticus audirem. Verum his missis, illud christiane Lector colligas serio velim, quam periculosa alex sit vel latum unguem ab antiquorum doctrina recessus. Quandoquidem sicuti prima disciplinæ violatio ad aliam, & hæc ad aliam impellit; ita prima antiquæ doctrinæ lenior interpretatio ad aliam benigniorem, & hæc ad la-

xiorem, & tandem ad extrema corruptelaram celeri gradu inducit, & detrudit, ut re ipsa in hac, sicut in ceteris, causa accidit. Collige quam caute, quam circumspicte, & religiose ponderanda sunt ea quae de morum integritate publicis typis consignantur. Serio perpende plura re concedi posse quae scriptis publicis evulgari, & exaltari non expedit. Finem disputationi imponamus prudentissimis, ac saluberrimis consiliis Sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. qui pag. 239. te admonet, doctrinam quae iustitiae vinculo obstringit Clericos ad eroganda superflua, esse sententiam quam innumeri Theologi laudabiliter propugnant, & tutio-

rem esse, atque in PRAXI CONSULENDAM. Et tandem pag. 240. concludit. Urgeant Episcopi, & inculcent suis Clericis ex Ecclesia stipendiis visitantibus gravem obligationem quam habent elargiendi pauperibus, aliisve piis usibus applicandi, sibi redundantes ecclesiasticos redditus. Sed adhuc latentem huius obligationis originem non investigent. Ut enim aiebat Cardinalis Bellarminus in epistola ad Theanensem Episcopum nepotem suum contr. 8. & ultim. parum refert determinare unde illud proveniat gravis obligationis vinculum quo ceteroquin omnes Beneficiarios obstringi INDUBITANTER scimus.

## DISSERTATIO VII.

DE

### CORRECTIONE FRATERNA.

Disputationem de eleemosyna, quae est divinae caritatis exterior fructus, qui corporalis nuncupatur, quia corporum egestatibus superpetas affert, recte consequitur disputatione de altero misericordiae, seu caritatis exteriori effectu, qui spiritualis dicitur, quoniam animarum bona spectat, quatenus mala per fraternam correctionem removeret. Distingunt aliqui correctionem a correptione. Istius distinctionis meminit ipse D. Thomas in IV. dist. XIX. quaest. II. art. I. ad 6. *Correptio est fratris ad fratrem; correctio vero est Praelati ad subditum.* Alii in hoc sitam contendunt distinctionis vim, quod correctio effectum emendationis ferat; correptio vero animam tantum exprimat. Si grammaticalis spectetur significatus, correptio, & correctio sensu produunt diversa. Verum pro eodem a Theologis usurpantur. De hac correctione difficiliore quaestiones in hac resolvemus dissertatione.

#### CAPUT I.

*Quid & quoruplex sit fraternae correctio, & utrum de eadem praecipuum sit, & quae illius obligatio, atque conditiones sint.*

I. Correctio fraterna definitur a S. Thoma 2. 2. quaest. XXXIII. art. I. quod sit spiritualis eleemosyna, a caritate dimanans, qua quis secreta admonitione malum proximi, quatenus illi noxium est, remove-re studet. Unde etiam correctio fraterna est actus caritatis, quia per eam repellimus malum fratris, scilicet peccatum, cuius remotio magis pertinet ad caritatem quam etiam remotio exterioris damni. Correctio duplex. Altera fraterna, quam descripsi; altera iudicialis, quae actus iustitiae est, bonumque iustitiae spectat. Haec ab illis solum praestari po-

test qui publica potestate praediti sunt, ut egregie docet Angelicus loc. cit. Unde correctio fraterna est actus caritatis... Alia vero correctio est quae adhibet remedium peccato delinquentis, secundum quod est in malum aliorum, & praecipue in nocuum communis boni; & talis correctio est actus iustitiae, cuius est conservare rectitudinem iustitiae unius ad alterum. Advertas tamen velim, ita correctionem fraternam esse actum caritatis, ut etiam, immo proximius, a misericordia dimanet, quemadmodum docet Soto de regem. sec. memb. II. quaest. I. Res est levioris momenti quam ut in eius discussione immoremur.

II. Praeceptum fraternae correctionis continetur in illis verbis Matth. XVIII. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Negavit ex recentioribus quidam Auctor, in praefatis verbis

bis mandatum contineri, ut refert Azorius II. Part. Lib. XII. cap. XIV. Quae opinio ab omnibus Theologis rejicitur. Nec obest quod opponitur, nimirum dixisse Dominum: *Si peccaverit in te frater tuus, quasi de solo peccato in nos commisso locutus sit.* Quoniam verborum sensus est: Si peccaverit frater in te, hoc est coram te, vel te sciente. Qui enim in Deum peccat, & in nos peccat; cum Christi membra simus, & filii, & servi. Porro qui in patrem peccat, in filium quoque delinquit.

III. In praefatis Christi Domini verbis praecipuum contineri certum est penes omnes Theologos. Praeceptum hoc in ipsa veteri lege populo suo Deus imposuit. Dicitur enim Ecclesiastici cap. XVII. vers. 12. *Et mandavit illis, unicuique de proximo suo: & Levitici XIX. vers. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Nullum igitur inter Catholicos super hac re diffidium.

IV. Praeceptum istud divinum est, quia a Deo latum; naturale est, utpote in illo naturae principio insitum: *Quod tibi fieri vis, alteri feceris.*

V. Omnes tum fideles, tum infideles attingit. Ab illis quippe quae sunt iuris naturae, nemo liber evadit. Illius obligatio genere suo gravis est, cuius transgressio absolute mortalem culpam inducit; nisi aut inadvententia, aut rei parvitas excuset. Obligat semper, sed non pro semper quemadmodum cetera praecipua quae affirmativa appellantur. Patet autem hoc praecipuum affirmans esse.

VI. Plures requiruntur conditiones ut mandatum hoc recipere attingat. Eas recenset Angelicus 2. 2. quaest. XXXIII. art. 2. *Considerandum est, quod sicut praecipua negativa legis prohibent actus peccatorum, ita praecipua affirmativa inducunt ad actus virtutum. Sed actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quae requiruntur ad hoc ut sit actus virtuosus; ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet. Et quia dispositio eorum quae sunt ad finem, attenditur secundum rationem finis, in istis circumstantiis virtuosus actus praecipue attendenda est ratio finis, qui est bonum virtutis... Correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem. Et ideo hoc modo cadit sub praecipuo, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur.*

VII. Conditiones istae ad quatuor revocantur. Conc. Theol. Tom. II.

carum possunt. Prima est gravis peccati notitia. Secunda, ut spes habeatur emendationis. Tertia, ut sit personae, & temporis opportunitas. Postrema, ut commode praestari valeat. Singulae explicandae sunt sequentibus quaestionibus.

VIII. Quaest. I. *Qua notitia necessaria est ut praecipuum urgeat?* Resp. Requiritur cognitio moraliter certa; nec sufficit dubia, aut leviter probabilis: quoniam iniuria proximo irrogatur, si levi suspitione crimen ipsi affingatur. Opportune Ecclesiastici cap. XI. vers. 7. *Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corripe iuste.* Quod tamen intelligas velim, nisi periculum gravis damni immineret, ut cum peccatum in malum proximi vergeret, essetque emendationis spes: tunc enim sola probabilis dubitatio sufficeret ad delinquentis correctionem faciendam. Sententia communissima.

IX. Quaest. II. *Quenam peccata sunt fraternae correctionis materia?* Resp. Sola peccata mortalia sub gravi obligatione corrigenda sunt. Quoniam correctionis fraternae finis est lucrum fratris. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Matth. XVIII.* Solo autem mortali crimine pereunt fratres. Ergo mortale crimen est propria istius praecipui materia. Contendit Dominicus Soto de secret. teg. memb. II. quaest. II. concl. 2. etiam venialia corrigenda sub mortali esse, cum in periculum hominem coniciunt peccandi mortaliter: exempli causa, si quis ingreditur suspectam domum, aut familiaritatem cum mulierculis conferit; quod corrigendum praecipit Augustinus in Regula. *Si oculi perulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne male coepta progrediantur.* Verum haec plerumque mortalia, non venialia crimina sunt. Distinctione opus est, ut veritas suo loco stet. Si venialia suapte natura viam aperiunt ad mortalia, cuiusmodi sunt quae indicavimus; tunc praecipuum urgere correctionis existimo. Si venialia non praefertur periculum prolabendi in mortalia, sed solummodo in alia venialia; tum praecipuum non obligat saltem sub gravi. Si tamen haec peccata venialia habitualia sunt, quae non levem miseriam homini ingerunt; praecipuum obligaret sub levi culpa. Si venialia sint ex fragilitate, nulla urget obligatio: etenim infinitae propemodum sunt eiusmodi culpa, quae nostram fugiunt cognitionem; atque adeo praecipuum correctionis locura habere in his non potest. Sententia communis.

X. Quaest. III. *Superiores tenentur ne sub gravi*

gravi culpa subditorum venialia crimina corrigere? Resp. Si de laicis superioribus sermo sit, absolute isti graviter non astringuntur: quoniam istorum munus est Reipublicæ tranquillitatem, & pacem factam tectam custodire, eaque præcavere mala quæ tranquillitatem, societatemque inturbant. Peccata autem venialia hanc pacem genere suo nec auferunt, nec turbant. Contingere tamen potest ut frequentes ludi, vestium luxus, vanæque pompæ graviter infesta sint bono communi. Quo in eventu superioribus incumberet gravis obligatio hæc mala removendi. Secus de Prælati ecclesiasticis, & potissimum de regularibus, dicendum. Ad hos quippe attinet subditorum æternæ veluti invigilare, prout illorum requirit professio. Porro isti vi suæ professionis ad perfectionem evangelicam comparandam astricti sunt. Peccata venialia gravia impedimenta huic assequendo fini iniiciunt, & magnum regulari observantiæ detrimentum ingerunt. Gravi itaque onere Prælati astringuntur, ut hæc peccata pro virili corrigant, & e societate expellant, si vel ipsi superiores laici peccant, cum mala quæ civilem societatem inficiunt, non remorent; quam gravius delinquent ecclesiastici Prælati, qui aut oscitantia, aut quadam vel animi vilitate, vel politica dissimulatione istarum culparum virus grassari sinunt? Cum igitur Prælati regulares vident frequentes legum transgressiones, quæ, etsi genere suo peccata nec gravia, nec levia sint, vix tamen reipsa a crimine purgantur, magnum bono publico inferre nocementum, graviter delinquent, si impedire hæc mala, corrigendo & increpando delinquentes, non satagunt. Opportuna sunt Dominici Soro verba de regend. secret. memb. 11. qu. 11. conclus. 3. *Nam si in religione nostra caderent observationes nostræ; ut puta fratres passim uterentur lineis, vescerentur carnibus, & silentia rumpebant; quamvis hæc apud nos nulla sint peccata; tamen Prælati, qui huiusmodi damna resarcire possent, & ad regulam revocare, teneretur certe sub reatu mortali id satagere.* Sententia hæc communis est, quam defendunt præter laudatum Sotum Suarez de carit. disput. VIII. sec. 2. num. 6. Bannez 2. 2. q. xxxiii. art. 2. dub. 2. Prado cap. XIV. q. 11. §. 1. Castropalaus disp. III. punct. 3. n. 6. Azorius Lib. XII. cap. XIV. q. IV. Ledesma II. Part. tract. IV. cap. IV. conclus. 4. Antonius a Spiritu sancto tract. II. dub. 2. sect. 18. numer. 123. Salmanticenses tract. II. cap. VII. punct. 4. num. 47., & alii plures.

XI. Quæst. IV. Peccatum præteritum estne correctionis fraternæ materia? Resp. Quæstio non est de peccato præterito salubri poenitentia abolito, ut omnibus compertum est. Cessat namque correctionis finis, cum emendationi locus non sit, sicut reapse non est, quando peccatum delinquentis contritione evanuit. Peccatum ergo perpetratum, sed nondum poenitentia deletum, præbet disputandi argumentum. Negantem opinionem defendunt, si periculum absit relabendi in peccatum, Reginaldus Tom. I. Lib. IV. cap. xxv. num. 233. Castropalaus tract. VI. disp. III. punct. 2. num. 6. Lorca 2. 2. qu. xxxiii. art. 5. disp. 41. num. 3. Sanchez in Consiliis Lib. VI. cap. 11. dub. 2. n. 3. Leander tract. IV. disp. 11. q. v. ubi alios citat.

XII. Sententia adfirmans non modo probabilior, sed vera mihi est. Quoniam flagitium perpetratum magis quam perpetrandum correctionis præcepto subiacer. Non enim Christus dixit: Si frater tuus velit, aut voluerit; sed si peccaverit, inquit, corripe &c. Quare evangelicus textus de perpetrato peccato potissimum loquitur. Ratio satis perspicua ex fine, & natura evangelicæ correctionis elicitur. Correctio namque spiritualis eleemosyna est, quæ proximo gravi morbo laboranti suppetias affert, ut infirmitati subductum pristinae sanitati restituat. Qui autem in peccato mortale versatur, maxima detinetur infirmitate, nullumque gravius malum ei accidere potest. Subsidio ergo correctionis, qua liberetur, indiget. Peius quippe homo se habet post perpetratum crimen, quam se habeat antequam illud perpetraret. Si ergo urget præceptum correctionis, ut futurum peccatum declinet, longe magis urget præceptum istud, ut a contracta labe purgetur. Quid quod vel ipsi adversarii, dum de cognitione peccati corrigendi sermonem habent, uno ore fatentur, requiri cognitionem moraliter certam; nec satis esse notitiam ex auditu, aut rumore sparlam? Porro peccata quæ per rumorem, & auditum scimus, præterita sunt, non futura. Circumstantiæ tamen spectandæ sunt. Nam si frater tuus ex infirmitate lapsus sit, & prudenter prævideas semetipsum fore emendaturum, a correctione abstinere poteris.

XIII. Obiicies 1. Tibi non constat an tua correctione peccator acturus sit poenitentiam. Frustra ergo verba fundis, cum incerta sit emendationis spes. Accedit te latere, peccatorem suum per poenitentiam diluisse crimen. Resp. Si prima ratio consisteret, actum de correctionis præcepto esset. Sentire nos con-

venit, proximum nostrum correctione admonitum acturum poenitentiam: & Casuistarum benignitas non debet talem de fratribus nostris concipere opinionem, ut velint in malitia fordescere. Sed oppositum nobis est præsumendum. Secunda ratio tollit quæstioni locum. Sermo quippe est de eo quem scimus in peccato versari.

XIV. Obiicies 2. Peccator non astringitur confessum de peccato conteri; sed dumtaxat instante confessionis præcepto. Ergo supervacanea correctio est. Magis ne fratrem quam temetipsum diligere debes? Porro tu ipse non astringeris temetipsum statim corripere; quanto minus itaque fratrem tuum? Cuius ratio est, quod tamen in peccato permanens, non inde tamen periculum instat relabendi in novum peccatum. Resp. Duplex est Auctorum placitum super præcepto statim poenitendi post peccatum. Ego in ea sum sententia quæ docet, nulla interiecta deliberata mora, conteri peccatorem debere de perpetrato crimine. Qua sententia posita, in sumum abit argumentum propositum. In aliorum vero opinione, qua longius poenitentiae intervallum conceditur, consequentia negatur. Accidit quippe interdum ut magis alienum quam proprium malum cavere debeamus. Gravi corporis necessitate presso fratri succurrere vi præcepti debemus, quam tamen egestatem quisque, virtutis amore ductus, perficere licite potest. Delinquens dominus est bonorum suorum spiritualium; sed bonorum fratris sui custos est. Quisque negligere valet severiorem vigilantiam super propria pecunia; secus in custodia alieni depositi. Quod postea subdunt, ex permansione in peccato nullum instare periculum relabendi in aliud crimen; falsum omnino est, omniumque Patrum doctrinæ, & tristi nimis experimento adversatur.

XV. Quæst. V. Peccata ex ignorantia commissa, sunt ne vi præcepti corripienda? Resp. Si ignorantia vincibilis sit, convenit inter omnes quod præceptum urgeat correctionis: Si delinquens invincibili labore ignorantia, non pauci absolute negant, te ad correctionem astringi. Alii distinguunt ignorantiam iuris naturalis ab ea quæ est iuris positivi; illam quæ est iuris, ab ea quæ est facti. In prima positione aiunt, in altera negant. Quæ mihi probabiliora sunt, statim expono.

XVI. Dico primum, præceptum correctionis fraternæ omnes astringere ad lumen ferendum peccantibus ex ignorantia invincibili contra ius sive naturale, sive divinum. Duplici namque isti miseria premuntur: & quod

peccatum, quamquam materiale, perpetrant; & quod tenebrarum caligine obducti legem ignorant. Urget ergo summopere præceptum illos illuminandi. Dico secundo. Nemo excusatur ab observatione præcepti, quod istius delinquentes contra ius ecclesiasticum invincibili ignorantia laborent; potissimum si ius universam spectet Ecclesiam, cuiusmodi est illud quod præcipit quadragesimæ, & quatuor temporum ieiunia, abstinentiam a carnibus die veneris, & id genus similia. Horum quippe ignorantia grave malum est, a quo eripiendi sunt fratres nostri subsidio fraternæ increpationis. Si ius peculiare sit alicuius diocesis, vel provinciæ, præscribens aliquod ieiunium, vel festum; contendunt multi præceptum non urgere corrigendi peccantes ex ignorantia invincibili contra tale ius: quæ opinio non videtur improbabilis, eo quod eiusmodi ignorantia non sit grave malum. Hac ratione excusant quoque a præcepto corrigendi eos qui peccant contra ius universale ecclesiasticum ex ignorantia invincibili facti: puta, si videas quemquam aut omittere sacrum in die festo, quia iudicat non esse festum; aut comedere carnes die veneris, quod non advertit ad talem diem. Verum cur illuminari isti non debeant, non video, dummodo obstacula absint, quæ supervacaneam, frustraneamque efficiant correctionem. Circumstantiæ ergo spectandæ sunt; & si opportuna occurrerint, illuminandi sunt, & in viam revocandi errantes fratres. Dico ultimo Prælatos, Pastores, Confessarios, eosque quibus ex officio incumbit animarum regimen, præcepto urgeri ad corrigendos fratres quocumque modo invincibiliter peccantes contra quodlibet ius, sive naturale, sive divinum, sive humanum. Eorum quippe potissimum munus est ignorantes docere, atque instruere in iis quæ ad salutem attinent æternam.

## CAPUT II.

De personis quibus onus incumbit correctionis faciendæ, & quæ corrigendæ sunt.

I. Indicatum est capite præcedenti, præceptum correctionis, cum naturale sit, & divinum, omnes sive fideles, sive infideles astringere. Verum quia de quibusdam tum eorum qui corrigi, tum eorum qui corripere debent, peculiari occurrunt difficultates; idcirco singillatim excutiendæ sunt sequentibus quæstionibus.

II. Quæst. I. Utrum tam iusti, qui an peccatores corrigere debeant proximum de linguam?

tem? Resp. Priusquam super hac non levi questione Theologorum placita varia refero, iuvat aurea verba eloquentissimi M. T. Ciceronis isthuc transcribere ex *act. iv. in Verrem* sub initium exordii. *Legem, inquit, sibi indicunt innocentie, continentie, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vite reposcunt, atque eo magis, si id, ut antea dixi, faciunt nulla re commoti alia nisi utilitate communi. Nam qui sibi hoc sumpsit ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat; quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinat? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmodi civis laudandus, ac diligendus est, qui non solum Reipublica civem improbum removet, verum etiam seipsum eiusmodi fore proficitur, ac prestat, ut sibi non modo communi voluntate virtutis, atque officii, sed etiam ut quadam magis necessaria ratione recte sit, honesteque vivendum. . . . Atque hoc ego plus oneris habeo quam qui ceteros accusarunt (si onus est id appellandum quod cum letitia feras, ac voluptate) verumtamen hoc ego amplius suscepi quam ceteri: quod ita postulat ab omnibus ut ab iis se abtineant maxime virtutibus in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem, aut rapacem aliquem accusaris? Vitanda tibi semper erit omnis avaritia suspicio. Maleficum quempiam adluraris, aut crudelem? Cavendum erit semper ne qua in re asperior, aut inhumantior fuisse videare? Corruptorem, adulterum? Providendum diligenter ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo que vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.*

III. Paulus Comitulus *Lib. IV. resolut. moral. quest. XLVIII.* plurima ex Patribus, & maxime ex D. Thoma congerit adversus eos qui id imitantur in quo alios obiurgant, & videtur in ea esse sententia quod solis iustis correctio congruat. Ut rem aliquantulum ambigam aperiamus, se cernamusea que magis expediunt, ab iis que absolute sunt necessaria.

IV. Dico primum, summopere expediens esse, & ad correctionis profectum quodammodo necessario requiri, ut obiurgator talis sit qualem eum delineant Cicero, Basilus in *Regulis brevibus interrogat.* 164. Augustinus *Lib. II. de serm. Domini in monte cap. xxx.* ceterique Patres. Isthuc quoque spectant Scripturæ sanctæ. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: Ioan. VIII. & ad Rom. II. In quo alium iudicas, re*

*ipsum condemnas: & Matth. VII. Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo; & nunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui: & illud Lucæ IV. Medice cura te ipsum.* Plurima alia similia passim tum in novo, tum in veteri testamento occurrunt. Quibus in locis ab officio correctionis arceri videntur peccatores. Germanus tamen tum Scripturarum, tum Patrum sensus est, quod peccatores minus apti sunt huic muneri. Siquidem caritas, humilitas, mansuetudo, prudentia, aliaque virtutes requiruntur, ut quis a peccati servitute eripere valeat fratrem delinquentem. Peccatores ut plurimum odio, superbia, fastuque perciti, sunt aliorum obiurgatores. Quapropter invidentiam, odium, ceterasque pravas affectiones concitant, nedum peccata impediunt. Hæc absolute vera sunt.

V. Dico tamen secundo, peccatores minime a præcepto correctionis immunes esse, sed eodem teneri. Neque enim peccatum omnino & absolute impedit quominus obiurgatio fieri cum profectu valeat. Audiamus Angelicum 2. 2. *quest. XXXIII. art. 5. Correctio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo iudicium rationis. Peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iudicio rationis: & secundum hoc potest sibi competere in subditis delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam affertur correctioni propter tria. Primo quidem quia ex peccato precedenti indignus redditur ut alium corrigat; & præcipue si maius peccatum commisit, unde non est dignus ut alium corrigat de minori peccato. . . . Secundo redditur indebita correctio propter scandalum quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum: quia videtur quod ille qui corrigit, non corrigit ex caritate, sed magis ad ostentationem. . . . Tertio modo propter superbiam corripientis, in quantum scilicet aliquis propria peccata parvipendens, seipsum proximo præfert in corde suo, peccata eius austeritate severitate diiudicans, ac si ipse esset iustus. . . . Ex his ergo patet quod si peccator cum humilitate corripit delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit; licet per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat. Hinc colligitur, neminem propter peccatum a præcepto correctionis excusari; quia quisque potest, subdit Angelicus in *IV. dist. XIX. quest. I. art. 2. questiuic. 2. ad 2. peccatum dimittere, vel officium resignare; aut etiam humiliter peccatum suum recognoscens,**

scens, alium admonere rogando: & tunc non peccat. Quam responsonem præbent communiter antiquiores gravissimi Theologi, D. Antoninus II. *Part. tit. IX. cap. VI. §. 3.* Richardus in *IV. dist. XIX. art. 2. questiuic. 2. ad 1. D. Bonaventura ibidem dub. 4. Sylvester verb. Correctio quest. XVI.* Peccatorum ergo est, antequam aliorum criminum obiurgatores evadant, propria detestari crimina, & magna animi abiectioe aliorum vitia increpare, vel delinquentem fratrem rogando admonere. Nisi enim prius semetipsum serio increpaverit, vitis que subtraxerit, difficile alios corrigendo, regulas clementie, & mansuetudinis servabit, honestoque sine movebitur.

VI. Non negaverim tamen quandoque peccatorum aliquos, sola naturali prudentia præditos, plus energiae, persuasione, & efficaciae habere ad excitandum peccati odium, quam habeant iustorum non pauci, quod istis donis naturæ ad persuadendum careant. Quemadmodum ergo peccator eleemosynam corporalem erogare valet, qua ad peccatorum remissionem sese disponat; sic eleemosynam exercere potest spirituales naturali caritate, & clementia ductus, qua & seipsum, & proximum ad eluenda crimina provocet, & inducat. Nemo ergo dixerit peccatorem corrigendo fratrem peccare, nisi superbia, odio, invidia, aliaque simili pravitate motus, correctionis peragat officium.

VII. *Quest. II. Utrum Prælati ecclesiastici peccato polluti peccent subditos corripientes peccatores?* Resp. Correctio Prælatorum iudicialis est, non fraternalis, dum vi officii eam præstant. Sylvester verb. *Correctio* cum Petro Paludano adfirmat. Contraria opinio communis est, mihi que probabilior: quoniam non est unde evincamus, statum gratiæ requiri in eo qui ius dicere, actumque iudiciale exercere debeat. Et ad hoc quod attinet, Sylvestri sententiam reputo falsam. Nec enim dici potest, ut contendit Sylvester, Prælatus vitiosum idcirco peccare, quia actum iustitiæ exercet in statu peccati mortalis. Sed veram Auctoris huius exilimo opinionem hoc in sensu, quod Prælatus, quousque in peccato mortali versatur, ineptus est ad peragendum officium suum vel propter scandalum quod ingerit obiurgatio facta a superiore criminoso; vel quod frustraneæ esse eiusmodi correctiones solent. Quamobrem aut abdicare se magistratu, & dignitate, aut componere mores suos, atque impedimenta removere, que obstant rectæ, utrique administrationi propriæ dignitatis, Prælati stricti sunt. Qua siquidem ra-

tione superiores ex iustitia subditorum criminosa obiurgare tenentur, eadem devinciuntur se aptos efficere ut digne, quatenus fieri potest, munus obire suum valeant. Sententia sic explicata communis est; nec video quod revocari in discrimen possit.

VIII. *Quest. III. Utrum homines privati teneantur propria emendare vitia, ut digne alios corrigere valeant in extrema necessitate?* Resp. Inducatum iam antea est, peccatores non posse absque novo peccato in vitiis deliberate persistere, ob præceptum quo urgentur sese in Deum convertere, propriæque æternitati consulere. Sed, hac missa opinione, in præsentia quaeritur, utrum titulo fraternæ correctionis peragendæ debeat homo privatus & vitiis emergere. Distinguunt Auctores. Si tu alium ad peccandum tuo exemplo, aut suasionem induxisti, lege te ligatum volunt ad mores tuos reformandos, ut fratrem tui causa lapsum recuperare valeas, etiam si necessitas extrema non sit. E contrario a lege penitendi te exsolvunt, necessitate extrema sublata. Immo P. Castropalaus *tract. VI. disp. III. punct. 6. num. 6.* etiam surgente necessitate extrema, nullum tibi incumbere onus contendit. Adfirmant vero communius alii. Vix occurrere casus propositæ quaestionis potest. Qui enim in extrema lucta constitutus, divinæ vindictæ timore non excitatur ad detestanda crimina; quid ei proderit sanctitas corrigentis? Vix enim, per me licet, accidere potest ut Christianus morti proximus, de quo nunc sermo est, nolit ad bonam se recipere fragem, nisi aliena corrigentis, & hortantis innocentia præcesserit. Verum, ut paucis rem expediamus, si eventus occurreret, corrector emendationis præcepto fieret obnoxius.

IX. *Quest. IV. Utrum Concionatores verbum Dei e suggestu annuntiantes, & vitia increpantes gravi culpa infecti, mortaliter peccent?* Resp. Ex iis que diximus ante de Prælati iudiciale correctionem in peccato exercentibus, patet responsio ad propositam quaestionem. Quamvis enim divinæ veritatis explicatio, ex officio potissimum peracta, actio sacra sit; tamen non eiusdem sanctitatis est ac sunt sacramenta, quorum administratio in peccato mortali facta, sacrilegio ministrum inficit. Quare si ministerii qualitas sola spectetur, non videtur tantum præferre dignitatis, sanctitatisque, ut nequeat Concionator malicia gravi maculatus, illo sine nova culpa fungi. Profanationem tamen quamdam committere, & inter venialia gravem perpetrare culpam Concionatorem huic, nemo iure inf-

inficias ire poterit. Hæc dicta sint, rei natura spectata. Ceterum ad praxim quod attinet, lectorum iudicio submitto sententiam Caietani, Navarri, Paludani, Sylvestri, aliorumque assentium, re ipsa peccare mortaliter Concionatorem qui sanctum Dei verbum pollutis mortaliter labiis e suggestu fidei populo explicat. Nihil ego hac de re desinio. Quoniam, ubi de mortali peccato questio agitur, nisi veritas pateat, suspendere iudicium soleo. Rationem quam citati Auctores adducunt, refero, quæ eiusmodi est. Tamen officium Concionatoris non sit adeo sacrum, ut minister culpæ reus illo frugens vi talis actionis sacrilegium contrahat; nihilominus peccat Concionator, quod impedimentum grave ex se opponat divinæ prædicationis profectui. Plurimum Concionatoris sanctitatem conducere ad uberem colligendam divinæ sementis messem, nemo est qui negare aufit. Porro quisque minister, maxime sacer, removere astringitur ea omnia quæ rectam, utilemque sui officii administrationem impediunt: quin illius magnopere inirest eis sese instruere virtutibus, & taliter sese disponere, ut, quoad fieri possit, peccatorum corda emolliat, tenebras dissipet, atque pro virili impediatur ne Dei verbum sua pravitate sterile evadat, profectusque vacuum.

X. Obiiciunt Salmanticenses *tract. XXI. cap. VII. punct. 4. §. 2. num. 56.* Pœnitentia non est natura sua medium ad correctionem ordinatum, vel ad summum medium est extraordinarium. Sed nemo tenetur extraordinariam facultatem acquirere, ut indigenti, extrema necessitate ablata, subveniat. Ergo neque astringitur quis pœnitere de peccato, ut correctione sua subveniat necessitati spirituali proximi, esto cognoscat, si de suo peccato pœnitent, correctionem profuturam. Hæc ultima verba, ut ego quidem arbitror, nimiam mihi videntur præferre laxitatem. Aliorum tamen esto iudicium. Pro hac opinione referunt Suarez, Villalobos, Dianam, Palaum, aliosque.

XI. Resp. Tamen pœnitentia non sit generis suo remedium ad correctionem ordinatum, inde tamen inferri minime potest, liberum a lege pœnitendi Concionatorem esse, dum suum peragit ministerium. Cum morum questiones resolvuntur, omnia simul, non separatim, expendenda sunt quæ ad controversiam dirimendam attinent. Argumentum ad summum evincit, quemlibet privatum peccatorem præcepto pœnitentiæ subiectum non esse, cum alterum corrigit; nihil vero vel tantillum probat ab hac lege solum esse Concionatorem, qui ex officio sacrum agit

magisterium in populum christianum. Conferantur simul ministerii altitudo, & sanctitas, quæ in ipso ministerio elucet, & quæ in Concionatore, ut digne fungatur officio, requiritur; debitum item quo astringitur Concionator auferendi obstacula, ut sane peccata sunt, quæ fructum omnium suæ prædicationis impediunt. Ex quibus omnibus satis clare apparet flagitium Concionatoris qui scelerum plenus suggestum ascendit, ut aliorum peccata reprehendat, & obiuret, ac sacrosancta mysteria referat. Nec est quod opponas, nonnumquam scelestos divini verbi ministros, inveteratos, pernicacesque peccatores ad meliorem revocasse frugem, contritionemque adeo ferventem in ipsis accendisse, ut in alios mutaverint. Vera sint hæc omnia. Nihil repugno. Malorum opera Concionatorum uti Deum posse, ut hæc, & meliora moliantur, nemo nescit. At quid hæc valent ad evincendum, solum Concionatorem esse a lege eluendi propria crimina, ut impedimenta removeat sui officii, ut aptum se reddat ad suas præstandas partes, ut sancta sancte tractare valeat? Nihil profecto. Constat ergo sententia nostra, omnibus in spectis circumstantiis, quidquid sit, cum res absolute, & a circumstantiis præcisa disputatur.

XII. Quest. V. *Debet ne Concionator publica peccata corrigere, tametsi nullum fructum sperent?* Resp. Nisi prævideatur ex correctione maius futurum malum, tenentur: quia non privata, sed publicæ personæ munus sustinent. Eo vel magis quod nemo scire certo potest, an vacuum prorius futurum sit Dei verbum. Quin omnes tenentur, data oportunitate, corrigere publicos usurarios, meretrices, aliosque iniquitatis publicos professores. Neque adeo facile desperandum de divina misericordia, ut facilius te a præcepto peragendæ correctionis eximas.

XIII. Quest. VI. *Tenentur ne subditi Prælatos suos corrigere?* Resp. Adfirmat D. Thomas, rationemque promittit 2. 2. q. XXXIII. art. 4. Correctio, cum actus sit caritatis, ad eos omnes se extendit quos caritate prosequi debemus. Sed caritatis præcepto urgemur Prælatos diligere. Ergo & corrigere, cum indigent. Peculiares tamen conditiones hanc subditorum in Prælatos correctionem comitari debent, ut virtutis actus evadat. Sed quia, subdit Angelicus, *actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine,* & re-

& reverentia corrigantur. Unde Apostolus dicit I. Timoth. v. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

XIV. Quest. VII. *Qui sint superiores qui ad correctionem speciali iure tenentur?* Resp. Prælati subditos, parentes filios, domini famulos, mariti uxores, tutores pupillos, Parochos oves, Confessarii pœnitentes, curatores minores corrigere peculiari iure astringuntur. Utrum hæc maior obligatio sit ex caritate, vel ex iustitia, non una est Doctorum sententia. Probabilior ea mihi est quæ defendit, iustitiæ lege devinctos superiores esse ad subditorum correctionem. Caritas namque omnes indiscriminatim astringit. Superiores præter communem caritatis obligationem, ratione officii, & dignitatis quam sustinent, aliud peculiare onus subeunt. Quæ autem vi officii præstare tenentur, ea ex iustitiæ, non caritatis lege proficiuntur.

XV. Quest. VIII. *Hæc maior superiorum obligatio efficitur ut in mores subditorum inquirere debeant?* Resp. Duplicem correctionem peragere Prælati tenentur: alteram iudiciale, fraternam alteram. Convenit inter Theologos debito inquirendi in subditorum vitam, moresque obstringi superiores, cum pro tribunali corripere subditos velint. Vi quippe officii superiores omnes eam debent diligentiam, operamque adhibere qua opus est ut exacte suum munus exerceant, suumque pensum solvant. Ad hoc autem inquisitio in subditorum vitam frequenter necessaria est. Quare si seipsis id peragere nequeant, exploratorum opera uti possunt, & sepius debent. Quemadmodum enim pastor canes alit, ut ad gregis custodiam latrant; sic Pastorem spirituales suos habere speculatores, delatoresque convenit. In id tamen intento animo incumbere Prælati debent, ut ad officium istud viros prudentia, zelo, & caritate præditos seligant, odio, & invidentia omnino vacuos. Ad hanc itidem diligentiam adhibendam tenentur vi præcepti correctionis fraternæ. Qua siquidem ratione qui ditiores sunt, ubiores erogare eleemosynas indigentibus debent; eadem pariter astringuntur parentes, Prælati, & ceteri superiores maiorem præstare operam, ubertiusque spirituale subsidium subditis suis, cum in hunc finem abundantiores divitiæ, nimirum amplior potestas, potentior auctoritas, visque efficacior, & plura alia illis collata sint, quæ securius ad fructum correctionis obtinendum viam parant. Hæc omnia docet Angelicus 2. 2. quest. XXXIII. art. 2. ad 4. *illud quod debetur alicui determinate, & certæ*

personæ, sive sit bonum corporale, sive spirituale, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquiramus. Unde sicut ille qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicuius, debet querere ad hoc quod eum corrigat de peccato. Sed illa beneficia quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia, sive spiritualia, non oportet nos querere quibus impendamus, sed sufficit quod impendamus eis qui nobis occurrunt. Quibus ultimis verbis docet præfatam inquisitionem licitam minime subditis esse. Hæc omnia communia sunt.

XVI. Executio eorum quæ dicta sunt, non levem affert difficultatem, videlicet cui viæ inhærere, quibus uti regulis Prælati debeant, ne ad alterutrum extremorum aut occisiantia, aut severioris diligentia declinent. Plures præscribere Doctores solent regulas ad quas animum intendere Prælati debeant. Verum, nisi ipsi sint peculiari acumine, & dexteritate præditi, nisi iuges preces Deo fundant ad allequendum divinum lumen, cetera vix profunt.

XVII. Prima regula est. Cum Prælati ipse lustrare loca valet, in quibus delinquere subditi solent, non debet aliorum uti ministerio. Eius quippe præsentia multum roboris habet, & efficaciam ad continendos, atque in ordinem redigendos subditos. Prælatorum aspectus ob quamdam intimam dignitatem maiestatem, vimque occultam, tali rubore, & timore subditos perfundit, ut facillime se contineant, vitentque delinquendi occasiones. Secunda, ut in exploratores eos minime admittant Prælati qui naturali levitate, & curiositate ad aliena scrutanda crimina feruntur; sed viros graves, beneque moratos ad id muneris eligant. Tertia. Summopere cavere debent Prælati ne nimium morosi, & suspiciosi sint. Nil quippe gravius subditis quam superior tetricus, & diffidens, qui ob levissimas coniecturas facillime malum suspicatur. Magis congruit bono communi aliqua crimina illius fugere diligentiam, quam nimia suspicione, & severiori perquisitione subditos molestare. Eiusmodi quippe Prælati omnia perturbant, odia in se concitant, vel saltem quamlibet piam affectionem extinguunt, diildia ferunt, indignosque præfectura sese constituunt. Verum de hoc plura alibi.

## CAPUT III.

De tribus conditionibus necessariis ut correctionis præceptum obliget. Sunt autem spes profectus, temporis opportunitas, & commeditas.

I. **A**D quatuor revocari diximus cap. 1. conditiones quæ requiruntur ut quis exequi præceptum fraternæ correctionis teneatur. De cognitione delicti, quæ correctionem antecedere debet, dictum est satis. Aliarum nunc examen instituitur; & primum de spe profectus, quam quis concipere debet, priusquam correctionis officium suscipiat.

II. **Q**uæst. I. *Certam ne, an probabilem concipere spem profectus debet ille qui alterum corrigere studet?* Resp. Distinguenda est correctio iudicialis a correctione fraterna. Illa, cum bonum commune spectet, non est omittenda, etiam si nulla sit spes emendationis illius qui corrigendus est. Custodia quippe publicæ utilitatis, atque tranquillitatis est finis iudicialis correctionis. Sic docet Angelicus 2. 2. q. xxxiii. art. 6. ubi post doctrinam quæ attinet ad hanc correctionem iudicalem, quæ superioribus tantummodo convenit, sermonem instituit de correctione fraterna, quæ, sublata profectus fiducia, negligenda est. Cessante namque sine unico præcepti, corrui præceptum ipsum. Finis porro unicus correctionis fraternæ est delinquentis emendatio: si hæc desit, deficit præceptum ipsum necesse est. Hæc sunt Angelici verba: *Alia vero est correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem. Et ideo ubi probabiliter estimatur quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum: quia ea que sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.*

III. Convenit ergo inter omnes, concipiendam esse de corripiendi hominis emendatione spem, ut præceptum obliget. Difficultas potius in eo sita videtur, quænam spes requiratur, probabilis ne, an certa. Verum & in hoc communiter Theologi conveniunt, non requiri certam, sed probabilem satis esse. Si certa necessaria foret, nunquam præceptum correctionis obligaret. Vix enim fieri potest ut hæc certitudo habeatur, cum ab alterius voluntate pendeat soli Deo nota. Sufficit ergo probabilis spes emendationis.

IV. **Q**uæst. II. *Peccant ne frequenter homines ob fraternæ correctionis omissionem?* Resp. Ut ego quidem arbitror, per frequen-

ter delinquitur in hoc præceptum, potissimum ob hoc quod nimium diffidamus de fratrum emendatione. Mirum est quam pungentia homines eloquantur, ut legis iugum quoquo modo excutiant. Modo omnium salutem sperandam fore prædicant, ut peccantium animos erigant. Modo illorum contumaciam, obinationem, indocilitatemque obiiciunt, ut a correctionis debito sese liberent. Bene iudicandum de omnibus exaggerant, ut liberius ipsi peccare possint. Desperatam peccantium emendationem asserunt, ut ostendant nullum esse correctioni locum.

V. Dicendum ergo, non diffidendum de peccatorum emendatione, nisi gravia occurrant momenta. Rarus est delinquentium fructus, non tam ob illorum malitiam, quam ob corrigentium defectum. Desunt quippe qui aut velint absolute corrigere, aut qui sint caritate, prudentia, veroque zelo præditi. Non itaque sibi illudant homines, existimantes sese immunes a correctionis onere, eo quod non sit spes profectus. Nam, ut advertunt vel ipsi benigniores Theologi, videmus plures ad meliorem frugem vi fraternæ correctionis redactos, quorum nulla, aut exigua spes apparebat emendationis. Incerta est, & mutabilis hominum voluntas; ideo concipienda est eiusdem in Deum conversionis fiducia. Late, ac erudite de more Augustinus assignat causas cur homines negligant correctionis officium, Lib. I. de civ. Dei cap. ix. *Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis male dissimulatur: vel cum laboris piget; vel cum os eorum coram verendum offendere: vel cum eorum inimicitias devitamus, ne impediunt, & noceant in istis temporalibus rebus.* Quæ hæcenus dicta sunt, docent communiter Theologi. Suarez disp. viii. sect. 3. Bannez 2. 2. quæst. xxxiii. art. 2. dub. 4. concl. 4. Prado cap. xiv. quæst. iii. §. 2. Cattopalaus disp. iii. punct. 5. Salmanticenses tract. ii. cap. vii. punct. 4. §. 3. num. 66. & alii plures.

VI. **O**biicies. Confessarius corrigere tenetur poenitentem laborantem invincibili ignorantia, etiam si nullam concipiat emendationis spem. Concionatores itidem ab obiurgatione criminum desistere non debent, quamquam prævideant multorum turbationem, & murmura. Non ergo necesse est spem concipere de corrigendorum profectu, ut præceptum obliget.

VII. **R**esp. Confessarii, cum sint poenitentium iudices, ratione officii obstringuntur

tur obiurgare, & corripere illos. Actum quippe, seu correctionem iudicalem exercent. Idem de Concionatoribus dicendum: qui etiam si timeant aliquorum ruinam, non propterea a prædicanda veritate abstinere debent. Bonum quippe commune, quod publica veritatis explanatio spectat, præferri privatorum damno debet.

VIII. **Q**uæst. III. *Quando prima correctio non obtinet effectum, repetenda ne est secunda, & tertia?* Resp. Quidam asserunt repetendam esse correctionem ad tertiam usque, si prima, aut secunda non proficit; non tamen adiciendam esse quartam: contendunt enim trina correctione totum exhauriri correctionis mandatum. Alii quartam repetendam docent. Sed, his missis, dicendum toties intentandam correctionem esse, quoties, circumstantiis expensis, spes emendationis affulget. Verbum Dei semini comparatur, quod non illico fructum parit; sed diu sub terra latitat. Quoties consilia, admonitiones, piæque adhortationes in profundo humani cordis sinu plures delitefcunt annos, & improviso occulta illa semina uberem producant messem? Exempla innumera historiarum perhibent. Retundenda igitur sunt peccatorum latera, iussuque repetendi, usquedum circumstantiæ sinunt.

IX. **Q**uæst. IV. *Si dubius sis de correctionis eventu, astringeris ne illam omittere?* Resp. Omissis variis Auctorum placitis, quæ verosimiliora sunt, indicantur. Si æque de profectu, ac de nocimento times, omissenda correctio est. Nocimenti nomine non marem, non turbationem, non tristitiam hominis erudiendi intelligimus; sed novum peccatum. Ratio est, quia imprudenter agit qui dubius se operationi morali committit. Si dubitas de profectu, nihil vero times de nocimento; fungi officio tuo debes. Applicanda siquidem medicina est, sive corporalis, sive spiritualis, quam certo credis non nocituram; tamen si dubites an sit profutura. Quis abstineret ab alea iacienda, si certo se crederet a damno indemnem, quamvis anceps de lucro esset? Tandem in extrema necessitate, cum inflat mortis articulus, peragenda correctio est, etiam si dubitetur profutura ne sit, an nocitura. Quoniam nocimentum quod ex omissione correctionis sequitur, summum est, & irreparabile, nimirum damnatio æterna. Dubium vero malum quod consequi correctionem timetur, abunde compensari videtur spe salutis æternæ, & remedio peccati præsentis, quod correctione aboleri tentatur. Ita com-

muniter Theologi docent. Hæc omnia tamen a pluribus pendent circumstantiis, quæ explicari nequeunt.

X. **Q**uæst. V. *Differri ne licite correctio potest, ut opportuniore tempore peragatur?* Resp. Tertia conditio, quæ comitari correctionem debet, est temporis opportunitas. Quare non solum potest, sed debet correctio differri, dum, expensis circumstantiis, existimatur utilior proximo futura alio tempore. Ratio est, quia finis correctionis fraternæ est salus spiritualis proximi. Eo igitur tempore peragenda est quod opportunius huic assequendo fini prudenter creditur.

XI. **Q**uid, si timeas tempore medio delinquentem lapsurum in alia crimina? Sanchez Tom. II. Confil. Lib. VI. cap. 11. dub. 1. num. 7. tunc non esse differendam docet. Oppositum sustinet Castropalaus, & alii. At non video cur super hoc disputari debeat. Si enim tempus præsens opportunum non indicatur, necessario in futurum differri correctio debet, ut omnes fatentur. Nam si inopportuno tempore fieret, in novum fortassis peccatum infirmus homo coniceretur. Numquam ergo tempore incongruo facienda correctio est, etiam si corrigendus lapsurus prævideatur in novum peccatum. Tunc enim peccaret ille solus. Ipse vero peccas, si inopportuno tempore fratrem corrigas, atque ita ad peccandum inducas.

XII. Dominicus Soto de *tegen. sec. memb. 3. quæst. 11.* inquit, utrum expediat interdum hominem permittere in peiora prolabi crimina, ut ignominia perfusus facilius resipiscat? Adfirmat, si re ipsa speretur facilius, & constantior emendatio: quoniam cum correctio tota sit propter spiritualem proximi utilitatem, peragenda est eo modo quo utilior proximo existimatur. Animadvertit ille bifariam Deum peccata permittere. Uno modo in priorum criminum poenam: qua ratione in reprobam sensum gentes tradidit, ut Apostolus ait Rom. 1. Hac via nunquam nobis licet ea mala permittere quæ possumus evitare: hæc quippe poena ad nos minime attinet homines plectere. Alio modo Deus peccata permittit, ut cautius homo vivat, ut fortasse Petri lapsum permittit. Confirmat hoc arguta interpretatione in illud Eccli. xli. *Melior est iniquitas viri (videlicet hominis prudentis, fortis, stenuique) quam mulier (id est homo leviculus, ignavus, & imprudens) beneficiens: quia ille ex peccato cautius, ferventiusque resurgit, & constantius semitam percurrit virtutis; hic vero ex quo-*



rumdam bonorum operum complacentia, muliebri vanitate tumidus, gravius cadit. Hac ratione licitum nobis ille vult permittere delinquentem ad tempus in peiora prolabi, cum inde prudenter colligimus, cautius eum resurrectorum fore.

XIII. Quæst. VI. *Urget ne præceptum correctionis, cum prevides ab alio faciendam?* Resp. Liber minime es a correctionis præcepto, quia alii sunt qui possunt corrigere: quoniam quisque hæc ratione posset se oneri præcepti subducere, & frater delinquens spirituali subsidio inter correctorum abundantiam destitutus periret. Tunc solum ab obligatione exemptus esses, cum certo moraliter scires reapse delinquentem ab altero corrigendum fore. Sed perpendendum tum etiam esset, quisnam efficacius correctionem præstare posset. Quippe si probabiliter credis alterum maiori capacitate præditum esse ad corrigendum errantem, puta quod potentior in sermone sit, aut maioris auctoritatis, vel quod amicus sit delinquentis fratris, adeoque facilius ab illo quam ab alio correctionis medicinam suscipiat; tunc abstinere a correctione poteris; secus, si tu his prærogativis ornatus sis.

XIV. Quæst. VII. *Quando nam ommissio fraternæ correctionis mortalis est, aut venialis?* Resp. Excutienda hic esset postrema conditio, videlicet ut correctio commode fiat. Verum quæ super hac conditione ingerere difficultatem possent, iam discussimus supra *diff. v. cap. v.* Ne ergo actum agamus, consule quæ ibi dicta sunt. Ad propositam questionem, quamquam plura dicenda essent ut plena haberetur responsio, tamen, quia vix pro dignitate satisfieri poterit, ea tantummodo isthuc transcribant que docet Angelicus *2. 2. quæst. xxx. art. 2. ad 3.* *Correctio fraternæ tripliciter omitti potest. Uno quidem modo meritorie, quando ex caritate aliquis correctionem omittit. Dicit enim Augustinus in I. de civ. Dei cap. ix.* „ Si propterea quisque obiurgandis, & corrigendis male agentibus parcit, „ quia opportunum tempus inquiritur, vel „ eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc „ efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam „ erudiendo impediunt alios infirmos, & pre- „ mant, atque avertant a fide; non videtur „ esse cupiditatis occasio, sed consilium cari- „ tatis. „ *Alio modo prætermittitur fraternæ correctio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur iudicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio; dum tamen hæc ita dominantur in animo, quod fraternæ caritati præponantur: & hoc videtur contingere quando*

*aliquis probabiliter presumat de aliquo delinquente quod posset eum a peccato retrahere; & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit. Tertio modo huiusmodi ommissio est peccatum veniale, quando timor, & cupiditas tardiores faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris; non tamen ita quod si ei constaret quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret; quibus in animo suo præponit caritatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.*

XV. Ex hac D. Thomæ doctrina consequi videtur, quemque cum vitæ iactura teneri ad corripiendum fratrem: quod non levem ingerit difficultatem. Dominicus Soto *de sec. teg. memb. II. quæst. II. concl. 6.* late iuxta ac docte hanc versat difficultatem. Docet primo, hominem privatum non astringi cum dispendio vitæ corrigere errantem fratrem, quando correctio non est ei absolute necessaria: quoniam in hoc casu non postponit vitæ propriæ caritatem proximi, quia tunc vita corporalis non est absolute necessaria ad salutem spiritualem assequendam. Potest siquidem peccator semetipsum corrigere, & divinæ gratiæ auxilio in tuto animam suam ponere. Secundo statuit corripiendum esse proximum in extrema necessitate constitutum, etiam cum vitæ dispendio. Et hæc videtur mens D. Thomæ, prout etiam colligitur ex *q. xxvi. art. 5. ubi ad 3.* inquit: *Et ideo non est de necessitate caritatis quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo teneretur eius saluti providere. Tenemur autem proximi saluti providere cum vitæ dispendio, dum hic extrema laborat necessitate; secus autem, si gravem tantum patiatur egestatem; nisi ex iustitia ratione officii, ut superiores, ad id teneamur.*

XVI. Rogabis, quinam sint istius extreme necessitatis casus? Aliqui negant similes casus occurrere posse; quod falsum prorsus est. Laudatus Soto designat eum qui laboraret ignorantia vincibili alicuius veritatis necessariæ ad salutem, & deessent qui illum docerent. Aliud exemplum occurrit in hæretico, qui falsa dogmata evulgaret Catholicos pervertendo. Plura alia indicavimus *diff. v. cap. v.*

## CAPUT IV.

*De ordine quem in correctione fraternæ servandum Christus Dominus præscripsit.*

I. **O**Rdo in fraternæ correctione servandus habetur *Matth. xviii.* his verbis conceptus: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Tria hic servanda præcipiuntur. Primum, ut secreto frater corrigatur. Secundum, ut, si secreta admonitio inutilis fuerit, unus & alter adhibeatur testis. Postremum, ut superiori denuntietur qui nihil ex secreta correctione etiam testibus munita proficiet. Quod si Ecclesiam non audierit, seu si superiorum iudicium neglexerit; tunc pœnarum severitate plectatur, & veluti membrum recisum a corpore, loco Ethnici, & Publicani tibi sit.

II. Quæst. I. *An hic ordo sit a Christo Domino sub præcepto, vel sub consilio præscriptus?* Resp. Solius consilii esse hunc ordinem, non præcepti, contendunt plures. D. Bonaventura in *cap. xix. Luca.* Bernardinus de Arenvalo laudatus a Bannez *tract. de correct. frat. Salmeron. Tom. IV. in Evangel. tract. xvii. Maldonatus in cap. xviii. Matth. n. 15.* Petrus Hurtado de Mendoza in *2. 2. disput. clxiii. §. 207.* Hæc opinio prorsus improbabilis est, & falsa.

III. Communis Theologorum sententia est, præfatum ordinem sub præcepto impositum a Christo Domino nobis esse. Rationem assignat D. Thomas *2. 2. quæst. xxxii. art. 7.* *Quædam peccata sunt que solum sunt in malum peccantis, & eius in quem peccatur, vel quia a peccante solum læditur, vel saltem ex sola notitia: & tunc ad hoc solum tendendum est, ut fratri peccanti subveniatur. Et sicut Medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicuius membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur: ita etiam ille qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem quantum ad conscientiam, ut fama eius conservetur: que quidem est utilis. Primo quidem ipsi peccanti, non solum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum, amissa fama; sed etiam quantum ad spiritua-*

*lia, quia præ timore infamia multi a peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenate peccant. Unde Hieronymus dicit: Corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Secundo debet conservari fama fratris peccantis: tum quia, uno infamato, alii infamantur, secundum illud Augustini in *epist. ad plebem Hipponen.* Cum de aliquibus qui sanctum nomen profiterentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, intant, fatagunt, ut de omnibus hoc credatur: tum etiam quia ex peccato unius publicato alii provocantur ad peccandum. Sed quia conscientia præferenda est fame, voluit Dominus ut saltem cum dispendio fame fratris conscientia per publicam denuntiationem a peccato liberetur. Unde patet, de necessitate præcepti esse quod secreta admonitio publicam denuntiationem præcedat. Ostendit Angelicus, quam sit iuri naturæ consentaneus ordo quem in fraternæ peragenda correctione servandum Christus iubet. Nam primum ordo ille salutem æternam, quæ bonum supremum est, spectat: deinde famam peccantis custodit, quæ est bonum ordinis inferioris. Quod si hæc in totum servari nequeat; saltem, quoad fieri potest, parce lædatur. Non advocentur testes, si profit privata admonitio: si testes adhibendi fuerint, non vocentur duo, si unus sufficiat. En quam bene naturæ ordini evangelicus concinat ordo.*

IV. Obiicies. Eiusmodi ordo inutilis, ac perniciosus Reipublicæ est; cuius interest nosse malos. Ordo autem iste eo tendit ut peccata occultet. Resp. Si hæc vera forent, nec sub consilio caderet ordo iste, nedum sub præcepto. Non potest reputari Reipublicæ infestus ordo, si crimina, quæ bono publico noxia sunt, illico plectenda præcipit. Non vult occultari crimina, sed præcipit ut occulte crimina tollantur, ne in publicum virus effundant, & societatem inficiant. Sed quid diutius immoror in repellenda blasphemiam?

V. Quæst. II. *Utrum necesse sit semper observari ordinem hunc?* Resp. Præceptum ordinis istius adfirmans est, quod, quemadmodum cetera præcepta eiusdem generis, pro semper non obligat, sed iuxta circumstantiarum diversitatem obligationem imponit. Spectandum itaque est criminum genus, & peccantium indoles. Si peccatum publicum fuerit, aut damnum tertio inferens, aut communitati noxium, ordine prætermisso, superiori referendum est. Si nulla sit ex occulta admonitione concipienda fructus fiducia pro-

pter peccantis contumacem pravitatem, pariter ordinis præceptum non urget,

VI. Quæst. III. *Obligat ne ordinis servandi præceptum, cum existimatur securius Prælatum correcturum fore delinquentem?* Resp. Nullum est penes Theologos diffidium, quod ordo servandus sit, & præmittenda occulta correctio, si credatur æque profutura correctio facta per Prælatum ac per privatam personam: quia in hoc casu nulla est pervertendi evangelici ordinis necessitas. Peccaret ergo contra caritatem, & iustitiam qui persuasus suam correctionem factam aut omnino secreto, aut coram testibus profutura, deferret ad superiorem, etiam ut patrem, fratris delictum occultum. Dissident vero, cum creditur melius, & utilius Prælatum correcturum fore delinquentem.

VII. Probabilior mihi sententia est quæ servandum in proposita quæstione ordinem vi præcepti defendit: quoniam, ut ego quidem arbitror, hæc est expressa D. Thomæ doctrina, quam paulo ante exscripsi. Providendum namque est spirituali delinquentis saluti tali cautione, ut minus quam fieri possit, illius fama lædatur. Minus vero læditur, si secreto per privatam fratrem, quam per superiorem, delinquens corrigatur. Quid quod vix in praxi occurrit casus hic excogitatus ad eluendum evangelicum mandatum? Siquidem, cum tu persuasus es, tua secreta correctione corrigendum esse delinquentem (hæc quippe est quæstio) quid tua interest quod Prælatum efficacius sit eum lucraturus? Lucrum fratris Christus præcipit, unaque illius famæ, quoad fieri potest, custodiam. Quamquam ergo efficacius Prælatum corrigeret, tamen si hæc maior efficacitas cum proximi detrimento inde orto comparetur, non melius, sed peius Prælatum corrigit, eo quod tua correctio minorem, correctio autem Prælati maiorem infamiam infert. Accedit quod privatus homo prudens, gravis, & dexter utilior solet esse in correctionis exercitio. Prælatum gradus auctoritatem dumtaxat præbet pro correctione iudiciali; nihil vero confert vel prudentiæ, vel efficaciam. Et si accidat quod his prærogativis sit re ipsa abundantius intructus Prælatum, non propterea, omnibus spectatis, utilior est delinquenti ob maius detrimentum quod ex diffamatione apud suum Prælatum illi obvenit. Quisque enim plurius facit Prælati optimam de se opinionem quam cuiusque privati.

VIII. Tam luculenter hæc omnia Angelicus confirmat *loc. cit. ad 5.* ut nil clarius

desiderari valeat. Docet ille minime obediendum esse Prælatum iubenti ad se deferri crimen occultum, ordine correctionis neglecto. Dicendum, quod Prælatum non est obediendum contra præceptum Domini, secundum illud Act. v. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et ideo, quando Prælatum præcipit ut sibi dicatur quod quis scriberet corrigendum, intelligendum est præceptum sane, salvo ordine correctionis fraternæ, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælatum expresse præciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens. Unde non esset ei obediendum: quia Prælatum non est iudex occultorum, sed solus Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur; puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones: in quibus casibus potest Prælatum præcipere eodem modo, sicut & iudex secularis, vel ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda.

IX. Ex hac doctrina, & rationibus adductis illud pro praxi colligendum est, videlicet ordinem correctionis fraternæ ab omnibus servandum absolute esse. Quare, ne veritas magni momenti ex aliquo peculiari, & raro casu damnum subeat, concedamus, licite ad Prælatum deferri crimen occultum posse, ordine prætermisso, quando prævidetur per ipsum melius, efficaciusque corrigendum delinquentem fore. Verum, ut iam adnotavimus, per raro id accidit. Absolute ergo, & ut plurimum servandus est correctionis ordo ob rationes allatas, quæ confirmari possunt auctoritate, & praxi sacrorum Ordinum, in quibus ordo fraternæ correctionis servandus præscribitur. Regula Benedictinorum hunc ordinem iuxta Domini mandatum expresse præcipit cap. xxiii. *Si quis frater contumax, aut inobediens . . . repertus fuerit; hic secundum Domini præceptum admonetur semel, & secundo a senioribus suis.* Constitutiones Ordinis Prædicatorum *dist. i. cap. xvii. §. 3. & cap. xviii. §. 9.* hoc idem inculcant. *Præsumitur inter se cum omni humilitate & caritate de sua correctione admonerent.* Et praxis ista constans est in hac Religione. Et, ne omnium Religionum textus transcribam, id ipsum præscribunt ceteræ. Sententiam hanc defendunt Navarrus in *Sum. cap. xvii.* Sayrus in *Clav. Reg. Lib. X. cap. iv. num. 10.* Bannez 2. 2. *quæst. xxxiii. art. 8. dub. 2.* Dominicus Soto de *reg. sec. memb. 2. quæst. iv. concl.*

*concl. 3. dub. 3.* Diana *coord. Tom. VII. tract. iv. resol. 50.* Salmanticenses *tract. xxi. cap. iv. punct. 4. §. 4. numer. 75.* & alii plures.

X. Contrariam sententiam defendunt Suarez de *carit. dis. 8. sec. 6. num. 17.* Caltropalaus *Tom. I. tract. vi. disp. iii. punct. 10. num. 3.* Sanchez in *Decal. Tom. II. Lib. VI. cap. xviii. num. 46.* & communiter Iesuitæ.

XI. Obiicies 1. D. Thomas *quodlib. xi. art. 23.* hæc docet: *Si autem videtur quod hoc melius fiat per Prælatum; & Prælatum nihilominus sit pius, & discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum; tunc licite potest hoc denunciari sibi, & tunc non dicit Ecclesia, quia non dicit ei sicut Prælatum, sed sicut personæ proficenti ad correctionem proximi, & emendam.* Resp. Auctoritatem hanc nihil admodum nostræ adversari sententiæ. Quoniam admissio casu in quo creditur Prælatum melius correcturum fore subditum, prætermittendum tunc ordinem correctionis & ipsi concedimus. Nec enim negamus accidere posse quod tu sciens fratris delictum occultum, minus aptus sis ad correctionem illius, aut quod aliquid diffidium invicem ardeat, aut quod nulla intercedat familiaritas, aut quod minus molestum sit fratri delinquenti a Prælatum suo corrigi quam a temetipso, minusque suam lædi famam ille existimet. In hoc casu melius est ordinem prætermittere, seu, verius dixerim, melius tunc ordo servatur. Tunc enim melius servatur ordo, cum melius consulitur & bono spirituali, & famæ delinquentis. Utrumque consistit in casu expposito. Ergo tunc immediate deferri delictum poterit. Sed videndum, perpendendumque delatori eiusmodi est, ne secreta aliqua invidia, odium, affectioque in causa sint cur exillimet melius Prælatum emendaturum esse delinquentem. Hæc est germana D. Thomæ mens in laudato textu.

XII. Obiicies 2. In Religionum Capitulis proclamationes fiunt coram omnibus, atque defectus revelantur, nulla præmissa secreta admonitione. Hac quippe via purior consistit disciplina, vigerque severior. Accedit quod communiter Prælatum efficacius consilere valeat emendationi Fratris, occasionibus, & offendiculis illum subducendo, quod privatus præstare nequit. Resp. Proclamationes quæ in sacrorum Ordinum Capitulis fieri solent, (utinam frequenter fierent) haud sunt de occultis criminibus. Quare præfato argumento sic respondet Angelicus 2. 2. *quæst. conc. Theol. Tom. II.*

xxxiii. art. 7. ad 3. *Huiusmodi proclamationes quæ in Capitulis Religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus, quæ fama non derogant: unde sunt quasi quædam commemorationes potius obliatarum culparum quam accusationes vel denuntiationes. Si essent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret qui per hunc modum peccatum fratris publicaret. Nec pristinus disciplinæ rigor melius servatur criminum delatione ad superiorem, omissa secreta admonitione. An non vult Christus exactam evangelicæ disciplinæ observationem? Et tamen secretam præcipit admonitionem. Quod addunt Salmanticenses *loc. cit. numer. 83.* non aridet, videlicet multos reperiri Religiosos occultis criminibus infectos, qui publica fama ornatu concionibus, aliisque piis exercitiis populum fidelem ædificant; quod si apud Prælatum diffamarentur, ab his operibus abstinerent. Hæc ratio minus congrua videtur. Neque enim ob secretam delationem quam Prælatum ut pater, non ut iudex, recipit, ab officio subditum arcet, si emendationem speret. Quod si in occulta peristeret pravitare, merito removendus a munere esset. Nec negotium facessere debet profectus quem in populis promovet: quoniam similibus ministris Deus non eget: & ad Prælatum attinet prius subditi salutem, atque suæ Religionis disciplinam factam tectam custodire, & postea aliorum sanctitatem promovere.*

XIII. Quæst. IV. *Quomodo explicanda est illa præcepti evangelici propositio: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos &c.?* Resp. Durandus, & Altifidorensis, ut refert Dominicus Soto de *sec. reg. memb. 2. quæst. iv. conclus. 5.* sustinent, adhibendos testes non esse, cum peccatum occultum sit: quam opinionem non contemnendis argumentis evincunt. Siquidem, quando peccatum secretum omnino est, aut vocandi sunt testes novi ad probandum crimen præteritum; & hoc futile, ac inane esset, quoniam super præterito crimine nullius auctoritatis sunt eiusmodi testes: aut vocandi sunt, ut peccatorem observent, an relapsurus in crimen sit; & hoc iniuriosum est: quia, ut Augustinus dicit, non debemus esse exploratores alienæ vitæ. Nec est quod respondeas, adhibendos testes esse ad probandum quod frater fuerit prius admonitus, si denunciari oportuerit. Quoniam, dum denuntians testium auctoritate nequit probare crimen, vanum est probare se admonuisse. Secundo loco arguit Durandus: Qui testes adhibet, dum crimen occultum est, periculo talionis sese exponit.

Aliud argumentum adiicit ipse Soto. Nemo ius habet diffamandi proximum, ipso invito, neque ob eius bonum spirituale. Sed qui crimen occultum testibus illud nescientibus revelat, fratrem diffamat. Ergo id minime licet. Prima propositio manifesta est. Nam nullus habet ius nocendi proximo in bonis temporalibus propter illius spirituale bonum. An licet alicui bona aliena rapere, ne alea, vel scortatione, illa dominus dilapidet? Porro fama est pretiosius quam cetera alia temporanea bona. Ergo testes adhibendi non sunt, cum crimen occultum est.

XIV. Contraria sententia communis est, quam docent D. Thomas 2. 2. *quest.* xxxiii. art. 8. ad 1. Paludanus in IV. *dist.* xix. Caietanus, & Soto *loc. cit.* ubi inquit, neminem Theologorum se legisse oppositum sentientem præter Durandum, & Altsidorensem. Præter hos tamen Leander *tract.* vi. *dist.* iv. *quest.* vii. citat Henricum *quodlib.* ix. *quest.* viii. Franciscum de Castillo in III. *Sent. Tom.* II. *dist.* vi. *quest.* viii. *num.* 9. Sententia nostra probanda est. Et primo textus evangelicus adeo est perspicuus, ut nulla videatur posse tergiversatione eludi. Planum quippe est ibi sermonem esse de peccato occulto, quod proprie correctioni fraternæ subiacet; quod enim occultum non est, sed publicum, ut saltem semiplena probatione evinci possit, iam evadit denuntiationi obnoxium. Et verba ipsa evangelica hunc produunt sensum. Postquam enim dixerat: *Si peccaverit in te frater* (id est te solo sciente, ut scribit Augustinus) subdit: *Si te non audierit, adhibe unum, aut duos testes.* Quid, quaeso, affert verbum illud *adhibe*? Non certe aliud, nisi adiunge novos testes, ut quod tu solus noveras, plures sciant: nec enim adhibendi testes essent in cognitionem rei quam antea noverant. Quod manifestius fit, si serio reputetur, ordinem evangelicæ correctionis ideo præscriptum esse, ne ab uno ad aliud extremum fiat transitus, via media relicta; sed ut paulatim notitia perveniat ad paucos, deinceps, si opus fuerit, ad plures. Et hic ordo, ut dictum est antea, ab ipso præcipitur iure naturæ, ut scilicet salus proximi curetur minori possibili famæ detrimento: quod non eveniret, nisi prius ad paucos, postea ad plures procederetur. Quæ omnia confirmat Augustinus in Regula: *Si autem post admonitionem, iterum, aut aliquo die id ipsum eum facere videritis, iam veluti vulneratum sanandum prodatur quicumque hoc potuerit invenire. Prius autem alteri, vel tertio demonstratur, ut duorum, vel trium possit*

*ore convinci.* Et exemplum adiicit de vulnerere corporali, quod sicut, ne putrescat in corpore, manifestandum est, ita, ne vitium putrescat in anima, revelari debet.

XV. Sed argumentum promamus inde accessit unde adversarii maximum præsidium suæ opinionis colligere arbitrantur. Proximæ fama bonum est inter bona temporanea supremum. Sed salus proximi spiritualis pretiosius bonum est ipsa fama, quæ est ordinis longe inferioris. Si igitur invicem hæc bona comparentur, quando utrumque servari nequit, illud sane præferendum est quod genere suo est excellentius. Qua sane ratione ægroti membrum reciditur, ut vita consistat. Quid quod in ceteris bonis idem servatur ordo? Si enim quisquam avarus mori mallet quam parvi peculii iacturam facere; quisque clam pecuniam illi furripere posset, qua medicinam vitæ servandæ necessariam emeret. Ergo potiori iure æterna vita proximi anteferenda est fugaci famæ, quæ, licet terrenis bonis prævaleat, momentanea tamen est.

XVI. Ad primum oppositæ sententiæ argumentum responderetur, testes vocari ad probandum peccatum futurum. Cuius rei tres assignat rationes D. Thomas 2. 2. *qu.* xxxiii. art. 8. ad 3. *Testes possunt induci propter tria. Uno modo ad ostendendum, quod hoc sit peccatum de quo aliquis arguitur, ut Hieronymus dicit. Secundo modo ad convincendum de actu, si actus iteratur, ut Augustinus dicit in Regula. Tertio modo ad testificandum quod frater admonens fecit quod in se fuit, ut Chrysostomus dicit.* Neque denuntiatio isthæc vana est, ut Durandus comminiscitur: quia, licet iudex nequeat vi talis delationis iuridice procedere; increpare tamen reum potest, ut sic peccatorum saltem metu in ordinem redigat.

XVII. Secundo argumento obvia responsio est. Qui enim fraternæ testes adhibet, & denuntiat, probare crimen non tenetur. Accusatori probatio ista incumbit. Ultimo quoque responsio patet. Nemo ius habet nocendi proximo in bonis temporaneis propter bonum spirituale; quando bonorum temporalium surreptio natura sua non est medium ad bonum spirituale. Rapere autem proximi bona non impedit quominus ille fornicetur. Ceterum si bonorum temporalium privatio conduceret ad salutem æternam delinquentis, posset eodem modo in bonis, ac in fama lædi. Et quia criminis revelatio natura sua medium est ad fratris emendationem ordinatum, idcirco licita est. Qua ratione dictum est paulo ante, licitum esse pecuniam proximi avarissimi

cape.

capere ad emendam medicinam eidem necessariam. Numquam licet in proprium commodum, & utilitatem nec famam, nec bona temporanea proximi lædere; licitum vero, & interdum necessarium est, dum profectus elucet spes, cum aliquo sive famæ, sive bonorum temporalium detrimento necessario illius salutem procurare.

XVIII. Advertit laudatus Soto non continuo adhibendos esse testes duos, sed prius unum, deinde alterum, ut quoad fieri possit, minus fama lædatur, quemadmodum textus innuit evangelicus: quæ omnia semper intelligenda sunt, circumstantiis spectatis. Nam si prævideatur, ex usu testium vel deteriorem fieri delinquentem, aut minus obtineri emendationem, ad Prælatum crimen deferri poterit, testibus omissis.

XIX. *Quest.* V. *Licitum ne est renuntiare iuri fraternæ correctionis, & an re ipsa aliqui renuntiaverint?* Resp. Disputant in utramque partem Theologi. Negantem opinionem plures defendunt. Lorca 2. 2. *disp.* xlvi. Lopez Texeda *Tom.* I. *Lib.* I. *tract.* 2. *contr.* 4. Hieronymus Rodriguez *resol.* xxxvi. Philarcus *de offic. Sacerd.* *Tom.* I. *Lib.* IV. *cap.* xiv. ubi impietatis postulat Constitutionem Societatis Iesu, quæ talem renuntiationem præscribit. Eandem opinionem defendit Clemens Scotus Theologus Societatis Iesu in *opus. de iure tuendi famam.* Pro eadem Leander citat Hadrianum, Paludanum, Gabrielem, Armillam, Sylvestrum, Navarrum, Sotum, & alios. Argumenta quibus hæc nititur sententia, valida sunt. Et primo D. Thomas aperte huic opinioni favere videtur 2. 2. *quest.* xxxiii. art. 7. ad 5. ubi ait, *quod Prælato non est obediendum contra præceptum Domini. . . Si Prælatus præciperet expresse contra hunc ordinem a Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens.* Nec est quod respondeas, D. Thomam loqui absolute; secus, posita renuntiatione. Nam sicut Prælatus nequit præcipere apertam denuntiationem, quia contra præceptum Domini ageret; ita nemo renuntiare licite huic ordini potest ob eandem rationem non violandi evangelicum mandatum. Secundo præceptum evangelicum generale est, æque Religiosos, ac simplices Christianos comprehendens. Et quamvis omnes idem in propriam famam dominium habeant, nullus tamen eam prodigere licite potest.

XX. Contrariam adfirmantem sententiam docent communiter omnes Doctores Societatis Iesu. Suarez *disp.* viii. *sec.* vi. *num.* 12.

Valentia 2. 2. *disp.* III. *qu.* x. *punc.* 5. Thomas Sanchez in *Summ. Lib.* VI. *cap.* xviii. Castropalaus *tract.* vi. *disp.* III. *punc.* 9. Petrus Hurtado 2. 2. *disp.* clxiii. *sect.* 3. Leander *tract.* vi. *disp.* iv. *quest.* ix. Diana *coord. Tom.* VII. *tract.* iv. *resol.* 52. & alii plures, quos recensere opus non est. Huius sententiæ argumenta hæc sunt. Quisque cedere iuri suo valet maxime ob finem honestum. Finis autem renuntiandi propriæ famæ est maius bonum spirituale, quod confurgit ex directa, & immediata delatione occulti criminis ad Prælatum. Hac quippe via securior habetur emendatio, efficacius bono communi consulitur, & melius relapsus cavetur. Accedit quod si quis ob recensita momenta proprium occultum peccatum manifestaret, opus efficeret laude dignum. Idem ergo dicendum, dum alterius opera id præstat. Scienti enim, & consentienti non fit iniuria. Qua ratione potest Confessarius ex consensu poenitentis occulta peccata Prælato manifestare. Ergo & ante secretam admonitionem poterit aliquis occulta crimina alterius deferre Prælato, cum in id consenserit delinquens sua renuntiatione. Tandem, sicut ob bonum Religionis quicque corporis detrimentum ieiuniis, austeritatibus, solitudine subire valet; ita & aliquam famæ iacturam facere poterit ob Religionis bonum.

XXI. Quæ omnia confirmari possunt auctoritate inclytæ Societatis Iesu, quæ constitutione peculiari hanc renuntiationem subditis suis indicit. Quæ Constitutio, sicut & ceteræ, a Gregorio XIII. approbata fuit in *Bulla, Ascendente Domino.*

XXII. Tertia sententia defendit, quod tamen quisque renuntiare valeat ob honestum finem ordini correctionis fraternæ, ab alio tamen talis ordo prætermitti non possit etiam ob hunc finem. Quam sententiam sustinent Aravius 2. 2. *quest.* xxxiii. art. 8. *concl.* 4. Prado *cap.* xiv. *quest.* II. §. 3. eamque in praxi sequendam docent Salmanticenses *tract.* XXI. *cap.* VII. *punc.* IV. §. 5. *num.* 88. Et hoc in sensu explicant Constitutionem Societatis Iesu, eiusdem Societatis Theologi, ut inter ceteros Castropalaus aperte id testatur *disp.* III. *punc.* 9. *num.* 6. *Fateor equidem cessionem iuris non dare aliis potestatem manifestandi delicta quæ manifestari non possent, cessione iuris non obstante, nisi in casu dubio de emendatione.* Iuxta ergo attestationem istius Theologi, aliorumque eiusdem Societatis, non renuntiant absolute Iesuicæ ordini correctionis fraternæ, sed dumtaxat, facta positione in qua dubitetur de fratris emenda-

tione, & prudenter credatur efficacius per Prælatum delinquentem emendandum. Quæ sententia sic circumscripta non video cur oppugnari debeat. In dubio quippe prævalere debet maioris boni, ut est æterna salus, custodia, parvo famæ detrimento, si quod esset ex delatione occulti criminis ad Prælatum: quod sine hac cessione fieri posse supra indicavimus, dummodo casus contingat quod dubius sit secretæ admonitionis profectus, valde autem probabilis, si paterna superioris correctio intercedat.

XXIII. Hæc tertia sententia, quam in praxi sequendam dicunt Salmanticenses, non mihi videtur discere. Nam qua ratione licite quis valet alteri ius suum cedere, eadem hic uti tali iure, mea quidem sententia, valet. Quare, positione facta quod Religiosi possint absolute cedere iuri secretæ admonitionis, legitime consequi videtur, posse ceteros eiusdem Religionis fratres, quibus renuntiandi ius est, secreta correctione neglecta, ad Prælatum ut patrem referre crimen occultum.

XXIV. Quod in hac controversia mihi negotium faceat, illud est quod nulla Religio disciplinam profiteatur perfectiorem illa quam Christus ipse in suo apostolico Collegio instituit. Hanc perfectionem omnes sacri Ordines sequendam amplectuntur. Porro Christus Dominus ea omnia præscripsit quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit, secreto corrigendum esse delinquentem fratrem. Qui contendunt melius, efficaciusque incolumem disciplinam evangelicam consistere, si, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur: hi profecto Evangelium corrigere, regulasque perfectiores, ac prudentiores præscribere velle videntur. Ut cumque tamen res hæc sese habeat, non est quod diutius in eadem immorari debeam. Nec enim litem hanc decidere mihi in animo est. Quod quisque ob honestum finem famæ detrimentum libere pati possit, extra controversiam est, ut docet Angelicus 2. 2. quæ. lxxviii. art. 4. ad 1. idque præstiterunt Sancti. Sed aliud est quod aliquis nolit semper famam suam vindicare, aliud legem condere vi cuius divinum mandatum ab aliqua arceatur communitate. Hoc mihi difficultatem ingerit: nec ob id tamen improbo, si quid sapientes, sanctique viri oppositum statuerunt; quin illis, utpote divino perfusis lumine, fœces submisit, & utroque pollice subscribo. Quare immerito me accusarunt oppositores, quod detraxerim aut Sanctissimo Patriarchæ

Ignatio, aut Summis Pontificibus, cum Regulæ a S. Ignatio præscriptæ utroque pollice subscribam. Eam interpretatus est P. Castropalaus in emendationis dubiæ casu. Ego proposita difficultate, quæ imbecillitati meæ negotium faceat, continuo laudo, & probo, proprio iudicio contempto, quod viri sancti, divino perfusis lumine, statuerunt.

#### CAPUT V.

*Quam sunt peccata quæ, neglecto fraternæ correctionis ordine, ad Prælatum referri nequeunt?*

I. **S**ola peccata occulta, quæ cedunt in damnum peccantis, præcepto correctionis subiacent; secus alia quæ aut sunt notoria, aut vergunt in damnum tertii, Reipublicæ, communitatis. Peccata notoria alia sunt nota, seu publica notorietate facti, quia nimirum coram multitudine in platea, in foro, in via, ceterisque publicis locis ita commissa sunt, ut natura sua ad plurimum notitiam pervenire valeant. Alia sunt nota notorietate iuris, quæ iudicis sententia manifestata sunt. Alia sunt nota notorietate famæ, quando nimirum publica voce circumferuntur, maioriq; civitatis, collegii, communitatisque parti sunt cognita.

II. Peccata quæ in damnum cedunt solius peccantis, sunt plura peccata carnalia, ebrietates, avaritia, mendacia officiosa, & cetera id genus. Quæ vergunt in damnum tertii, sunt furta, adulteria, iniustitiæ, contumeliæ, calumniæ, & similia. Quæ Reipublicæ damnum sive temporaneum, sive spirituale inspicunt, sunt monete adulteratio, civitatis proditio, homicidia frequentia, litterarum falsificatio, doctrinæ hæreticæ, falsæ, erroneæ, laxæ disseminationis, quæ disciplinam sive christianam, sive regularem corrumpat, aut relaxationem aperiatur; conspiratio adversus superiores, tranquillitatis, & pacis perturbatio: omnia denique crimina quæ cum secularium scandalo a Regularibus perpetrantur.

III. Quæst. I. *Peccatum perpetratum coram duobus, aut tribus, potest ne immediate ad superiorem deferri, neglecta secretæ admonitione?* Resp. Si peccatum non sit in damnum tertii, nec communitatis, sed solius peccantis, tamen si notum duobus, aut tribus sit, non potest dici publicum, sed occultum remanet. Probari utique in iudicio valet; sed non propterea publicum est, antequam ad tribunal deferatur. Præmitti igitur debet correctio secreta, si spes adit emendationis, Ratio

ex iis quæ dicta sunt, patet. Nam lucrari fratrem debemus cum minori illius detrimento. Et textus evangelicus iubet ut unus, vel duo testes adhibeantur, ut reus corrigatur. Igitur delictum notum duobus, aut tribus, adhuc occultum remanet, & correctioni secretæ subiectum. Si spes non adit emendationis, Prælato ut patri revelari debet peccatum, non ut iudici, tamen si probari possit: quia occultum, non publicum est. Sententia communis.

IV. Quæst. II. *Peccata publica sunt ne deferenda ad superiorem, omnia correctione secreta?* Adfirmat communissima sententia, nixa D. Pauli oraculo I. ad Timoth. v. *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Ratio obvia est. Qui publice peccat, in bonum commune delinquit. Secreta correctio apta non est ad removendum damnum quod ex publicis delictis bono communi imminet. Publicum ergo remedium publico morbo applicandum est. Accedit quod nulla adit prudens spes quod publicus delinquens secreta correctione emendandus sit. Qui enim, spreto publico hominum conspectu, in omnium oculis flagitia perpetravit, iam effractæ frontis argumenta exhibuit. Coercenda ergo est illius manifesta impudentia publico iudicio. Quæ quidem vera absolute sunt, nisi argumenta occurrerent firma, secretam correctionem profuturam fore. Nec enim repugnat quod quis ex impetu, & vehementi perturbatione percitus publice delinquat, & quod ad pristinam reverentiam tranquillitatem suam horreat crimen, profectumque ex correctione ferat. In qua positione secreto corrigendus foret. Ut vero præsumatur, aliquem non ex pravo animo, sed imbecillitate impellente deliquisse, criminis genera spectanda sunt. Quædam enim peccata sua natura animum contumacem produunt. Quædam vero imbecillius naturæ potius quam malitiæ effectus sunt, ut statim palam fiet.

V. Quæst. III. *Hæresis, proditio, idque genus similia crimina, sunt ne semper illico iudici denuntianda, etiamsi occulta sint?* Resp. Ut clara habeatur responsio, nonnulla indicanda obiter sunt, quæ alibi data opera fusius explicabuntur. Primo itaque in memoriam revocandum discrimen est quod accusationem inter & denuntiationem intercedit. Accusatori onus incumbit probandi delictum, secus denuntiatori. Ille petit criminis punitionem in iudicio; hic tantum crimen iudici revelat, ut id agat quod expediens indicaverit. Secundo bitariam denuntiari superiori potest crimen

Conc. Theol. Tom. II.

occultum in damnum tertii vergens: vel ut patri, vel ut iudici. Vi denuntiationis iudicialis potest superior in denuntiatum inquirere; secus vi denuntiationis sibi ut patri factæ. Sunt qui contendunt, revelanda esse crimina quæ probari nequeunt, superiori ut patri, non ut iudici: quod verum habet, si sermo sit de accusatione, secus de denuntiatione. Quibus positis dicendum, delicta hæresis, proditio civitatis, & similia statim denuntianda esse superiori ut iudici. Hæc sententia adeo certa est, ut vix possit oppositum defendi post damnatam ab Alexandro VII. hanc propositionem ordine quintam: *Quamvis tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Itaque quamvis crimen hæresis occultum sit, tibi que solum pateat, revelandum iudici est, non ut puniat delinquentem, sed ut malum imminens bono publico caveat. Audiamus D. Thomam 2. 2. quæst. xxxiii. art. 7. *Quædam enim peccata occulta sunt quæ sunt in nocuumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occulte tractet quo modo civitas tradatur hostibus; vel si hæreticus privatim homines a fide avertat. Et quia ille qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut huiusmodi nocuumentum impediatur.* Ratione etiam confirmatur. Quoniam crimen hæresis bonum commune sua natura inficit, ac destruit. Porro bonum commune bono privato præferendum est. Ergo, neglecta secreta correctione, referendum est iudici crimen istud. Quippe index hac denuntiatione habita inquirere in delinquentem valet, eiusque vitam, & mores observare. Accedit quod extremis malis extrema remedia sunt applicanda. Hæresis autem extremum malorum est. Ideo non solum custodia communis boni, verum privata etiam eiusdem delinquentis salus remedium iudicialis denuntiationis postulat, ceu unice efficax ad tantum morbum curandum. Accedit præceptum Alexandri Papæ VII. qui sua peculiari Bulla data anno 1660. cuius initium est, *Licet alias per Constitutionem &c. iubet hæresis crimen, tamen si occultum, deferri statim sanctæ Inquisitionis tribunal, omnia correctione fraterna.*

VI. Contrariam sententiam defenserunt plures antequam emanaret laudata Alexandri Bulla, his rationibus nixi. Primum D. Thomas 2. 2. quæst. xxxiii. art. 7. inquit: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala*

*mala impedire.* Secundo in *Clement.* Nolentes de hæret. hæc habentur. *Si secreta novaverint talia commisisse, ipsos graviter arguere, & corrigere studeant in secreto.* Igitur præmittenda est correctio secreta iudiciali denuntiationi. Denique, cum finis denuntiationis cessat, tunc nulla adest obligatio reum denuntiandi. Cessat autem denuntiationis finis, quando firma concipitur spes quod vi secretæ correctionis hæreticus resipiscet.

VII. Ad primum responderetur, D. Thomam absolute loqui, & spectato dumtaxat evangelicæ caritatis præcepto, nulla habita ratione præcepti ecclesiastici, quod suo tempore non aderat. Deinde expendenda sunt illius verba, quæ sensum hypotheticum reddunt; videlicet quod, si posset firma spes concipi, hæreticum secreta admonitione corrigendum fore, tunc denuntiationi præferenda occulta correctio esset. At quia diuturna, & manifesta experientia compertum est, fallacem vanamque esse eiusmodi spem; idcirco Ecclesiæ præcipit ut neglecta secreta admonitione, iudicialis denuntiationi præcedat. Idque evidentius constabit, si prava hæresis natura spectetur. Hæc enim serpit ut cancer; & quamvis occulta sit, communi Ecclesiæ bono insidias, & ruinam struit. Nec enim modo sermo est de homine qui aliqua vehementi perturbatione raptus in aliquam hæreticalem blasphemiam erumpet, cuius aliunde certissimis argumentis fides perspecta est (iudicium tamen hoc ad Ecclesiam attinet,) sed de hæretico reapse tali, qui deliberato animo falsa dogmata eructet, sciatque se adversus fidem catholicam pugnantis loqui. Porro quæ spes concipi potest secretam hominis adhortationem profuturam illi qui publicam Ecclesiæ vocem contemnit? Scite enim Cano *Lib. XII. cap. ix.* argumentatur his verbis: *Ante hominum hortatus istos, crede mihi, vera hæreticorum pertinacia reperitur, eorum scilicet qui minime ignorant opiniones suas contra fidem Ecclesiæ venire. Ipsa vero omnium fidelium vox, idemque communis sensus, non pro una monitione dico, sed pro mille sufficit. Quapropter Ecclesiæ unam vocem qui spernit, hic multo pertinacior est quam si sexcentas aut Theologorum, aut iudicum contempsisset.* Ad auctoritatem Clementinæ Constitutionis iudicimus, non de hæresi ibi sermonem esse, sed de blasphemia. Ad rationem quæ ultimo loco opponitur, ex iis quæ dicta sunt, responso patet. Hæc omnia communia sunt.

VIII. Quæ de hæresi dicta sunt, ut plurimum locum habent in crimine proditionis.

Verum quidem habet nullum hic positivum adesse præceptum. Quapropter, si prudens, & certa concipi spes posset, proditorem secreta correctione emendandum, servandus esset fraternæ correctionis ordo. Verum vix fieri potest ut prudenter eiusmodi præsumi emendatio valeat. Crimen quippe istud haud est unius diei fetus, sed inveterati, ac perfidi animi abortus. Plurima machinatur intus proditor, antequam foras emittat conceptæ proditionis signa. Quoties naturæ, crimen impropestantis, vocem contempsit, dum secreto hæc moliebatur? Porro qui eo iniquitatis devenit, ut naturalis inclinationis, & pietatis efficacissimos hortatus, & admonitiones spernat, sibilo excipiet hominis privati correctionem, quæ non alium plerumque effectum parit, nisi cautionem efficere proditorem ad criminis executionem.

IX. Quæst. IV. *Crimina quæ in damnum tertii vergunt, sunt ne statim denuntianda?* Resp. Facilius concipi spes potest profuturam secretam correctionem, cum de peccatis agitur quæ non adversus bonum commune, sed in damnum privatæ personæ cedunt. Idcirco servanda in his est regula correctionis fraternæ. Validiora tamen hic futuræ emendationis argumenta haberi debent, quam cum correctio fieri debet de peccato quod in damnum tantum cedit peccantis. Semper enim innocens reo præferendus est. Si dubium adit profuturam correctionem, innocens admonetur, ut sibi caveat. Deprehendis Sempronium paratum esse ad interficiendum Titium, aut ad illius bona furtiva. Eiusmodi flagitia non illico prodeunt; sed animo pravo concepta, & diuturno tempore veluti elaborata sensim sine sensu erumpunt ut plurimum. Idcirco haud est præsumenda facilis emendatio, nisi urgentia, & insolita signa occurrant. Quare. primum omnium innocentis bona servanda sunt: deinde rei famæ ita consulendum, ut cum minori, quoad fieri potest, detrimento lædatur. Non raro plus rei, quam innocentis, bono defertur. Casum narrabo quem, dum hæc scribo, contigisse ferunt. Vir religiosus vasa sacra furripuit, eaque divendit; laicas vestes emit, fugæque arripientiæ accusatur: secreto correptus, excusare crimina nititur, & in manifestis mendaciis deprehenditur. Nihilominus correctores adeo boni fuere, ut ne famam eius læderent, iudici deferre reum neglexerint. Interim ille, bona verba dando, suos hortatores fessit, fugam arripuit, graveque damnum sacro intulit arario. Quod idcirco retuli, ut documento sit; ne facile

con-

concupiat spes emendationis illorum criminum quæ meditato animo concepta sunt, & in tertii damnum cedunt. Prius proximi innocentis, cui malum imminet, deinde prævaricatoris, qui in alios malum molitur, integritati consulendam est. At dictum est alias, & dicendum est sæpius, nimiam credulitatem, nimium custodiendæ reorum famæ zelum, & proximo innocenti, & ipsi reo persæpe nocere. Cum eiusmodi crimina occurrunt, statim iudici deserto. Iudex vero reum in tuto collocet, ne hic ruinam moliri in proximum queat. Verum de his plura suo loco. Si tamen satis sit ad innocentis securitatem eum admonere, ut sibi caveat ab insidiis, quin rei nomen manifestetur, non est manifestandum. Quod si hoc non sufficit, dubiumque sit de profectu secretæ correctionis, iudicialis denuntiationi fiat.

X. Quæst. V. *Peccata carnalia, quæ a Religiosis committi queunt, sunt ne ita bono communi infesta, ut reiecta secreta correctione debeant Prælato deferri?* Resp. Tres hac de re sententias refert *Leander tract. vi. disp. iv. quæst. vi.* quas omnes probabiles asserit. Prima adfirmat, secunda negat, tertia distinguit peccata carnalia quæ publica fieri possunt, ab his quæ secreta consistunt: prima denuntianda, secus secunda docet. *Salmanticenses tract. XXI. cap. VII. punct. 4. §. 6. num. 101.* docent, lapsum carnis exteriorem in Religioso absolute, & per se non esse bono communi noxium; posse vero tale fieri per accidens. Quod sic explicant. Religiosus qui impotente abreptus appetitu, & occasione impellente labitur, si alioqui moratus sit, & cautus, illius peccatum non est censendum bono communi adversari; ideoque secreto erit corrigendus. Quoniam probabilissima spes emendationis concipi potest de eo qui ex infirmitate, occasionisque impulsu peccat. Porro unicum peccatum secretum bono communi non insidiatur. Contra vero, Religiosus parum cautus, moribusque minus compositus, quique peccandi occasiones aut non declinat, aut sponte incurrit, præsumitur huic vitio addictus. De hoc vix concipi certa spes potest

quod secreta correctione emendandus sit. Quare deferendus Prælato est, ut & Religionis, & eiusdem Religiosi fama penes publicum custodiatur. Hæc sententia satis probabilis est. Verum, ut quod sentio, dicam, generalis, & certa regula super hac lubrica materia vix designari potest. Lapsus carnis exterior cum tertio inter crimina mihi reponendus semper videtur bono Religionis communi noxia. Verum utique est omnia Religiosorum crimina aliquo modo bonum commune lædere. Ceterum nullum fere crimen est quod tam enormiter splendorem obnubilet Religionis, tantumque infamæ eidem pariat, quam carnis turpe flagitium. Quare probabilior mihi sententia est quæ docet, quamcumque fornicationem, omnemque carnis lapsum cum tertio deferendum Prælato esse. Ratio quæ me vehementer ad hoc movet, hæc est. Religiosus voto castitatis munitus, si sincere votum suum servat, adeo firmus in hac virtute evadit, ut in exteriora peccata numquam erumpat, nisi prius interius pollutus sit pravis cogitationibus. Nec enim ab uno in alterum declinatur extremum, intacta via media. Externum flagitium multa interiora crimina prodit. Porro qui animum interna libidine infectum gerit, & sacrilegiis faucium, impotenter fertur in fornicationem, aliosque turpiores lapsus. Vix ergo præsumi prudenter potest, fornicationem ex sola naturæ imbecillitate ab eo proficisci qui voto castitatis obstrictus est; sed effectus est, & solidum indicium maculati animi. Eiusmodi autem Religiosi emendandi ex secreta correctione vix concipi probabilis fiducia valet. Denuntiari propterea Prælato debet, ut efficacius corrigatur, & securius maximo detrimento, quod Religionis imminet, provideatur. Vix ergo contingere casus potest in quo secreto admoneri debeat Religiosus qui cum tertio libidinosè delinquit. Hanc sententiam defendunt Suarez, Caspensis, Hurtado de Mendoza, Miranda, alii que, quos citant Salmanticenses. Plura de denuntiatione, & de iudice, cui facienda denuntiationi est, suo loco futuri sumus.

## DISSERTATIO VIII.

DE

## VITIIS CARITATI CONTRARIIS.

**D**UO vitiorum genera caritati opponuntur: quia ipsa duplex obiectum spectat, Deum nimirum, & proximum. Quare vitiorum alia adversantur caritati, quatenus Deum aspiciunt; alia, quatenus in proximum fertur. Hæc omnia ad decem reducitur D. Thomas 2. 2. q. xxxiv. & seq. Primum est *odium Dei*, & proximi, quod dilectioni adversatur. Secundum *acedia*, quæ pugnat cum gaudio quod de bono divino percipitur. Tertium est *invidia*, quæ gaudio de proximi bono opponitur. Quartum est *discordia*, quæ cum caritatis affectu pugnat. Quintum *contentio*; sextum *schisma*; septimum *bellum*; octavum *rixa*; nonum *seditio*, quæ exteriorem pacem opere perturbat; decimum *scandalum*, quod caritatis beneficium impedit. Ita communiter cum Angelico Theologi omnes.

## CAPUT I.

*Quid sit odium Dei, & proximi.*

**I.** **O**dium Dei duplex, alterum quod in omni mortali peccato includitur, eo quod omnis graviter peccans a Deo despicitur, & ad creaturam se convertit. Odium istud peculiarem malitiam ab ea distinctam quæ in peccatis residet, non continet. Alterum peculiare, & expressum, seu formale, quod speciale, gravissimamque malitiam præfert, divinæque dilectioni directe opponitur. Describi autem solet, quod sit *aversio a Deo, qua voluntas illum detestatur, prout peccata prohibet, pœnasque infligit*. Voluntatis quippe id detestatur quod sibi repugnat; & quia Deus absolute inspectus, vel ut est bonorum causa, voluntati non opponitur, nequit hac ratione illum odio habere; quia vero, ut prohibet vitia, pœnasque infligit, pravæ voluntati infestus apprehenditur, ideo sub hac consideratione odio haberi potest. Hoc odium formale iterum duplex: alterum abominationis, inimicitia alterum: illud recta Dei naturam aggreditur, illam destruere cupiens, si posset; hoc malum illi optat.

**II.** Odium Dei omnium scelerum gravissimum est, cum opponatur præstantissimæ virtuti caritatis secundum illius primarium actum, videlicet dilectionis divinæ. Est proinde suo genere mortale, neque materiæ parvitate fieri veniale potest: quia quodcumque malum quod Deo optare possumus, gravissimum est. Imperfecta dumtaxat deliberatio diminuit crimen valet. Igitur immane flagitium est optare ne Deus sit, ut aliqua perfectione careat, aut de illius offensa gaudere. Ita communiter Theologi.

**III.** Odium proximi est *expressa malevolentia, qua illi malum optamus*. Peccatum est genere suo mortale. Quippe *omnis qui odit fratrem suum, homicida est*: I. Ioan. cap. xiii. Fieri veniale potest materiæ parvitate, aut imperfecta deliberatione; ut si levissimum malum proximo exoptes, aut si non deliberato animo malum quodcumque illi cupias. Lætitia de malis proximi nostri ex odio adversus illum proficiscitur.

**IV.** Quæst. I. *Odia proximum distinguuntur ne specie ex malorum diversitate?* Resp. Negant Caietanus, Banez, Ledesma, Bonacina, Prado, Tapia, Salmanticenses tract. xxi. cap. viii. punct. 1. num. 4. Idque evincunt, quod furta, detractiones, aut contumeliæ eiusdem sunt speciei, non alia ratione, nisi quia conveniunt in lædendo proximum. Ergo, cum omnia mala quæ proximo exoptantur, conveniant in eadem ratione formali malevolentia, sub eadem specie continentur.

**V.** Contraria sententia probabilior est, mihi que vera. Quoniam actus interiores speciei diversitatem ab obiectis specie diversis accipiunt. Fortuna bona, vitæ interitus, mors æterna sunt obiecta specie diversa. Actus ergo interiores odiorum quibus scelesti homines proximo exoptant mortem vel temporaneam, vel æternam, aut divitiarum, aut famæ iacturam, specie differre inter se plenum est. Hæc omnia conveniunt in ratione formali malevolentia, reponunt Salmanticenses. Quod, si de ratione quadam generica sermo sit, conceditur; secus, si ratio specifica spectetur. Alioquin dicendum foret, desideria adulterandi, fornicandi, idque genus similia, eiusdem esse speciei. Item homicidia,

utilitatis proximo optatæ, latitet vindictæ privatae cupiditas. Præ oculis habendæ sunt tres hac de re propositiones ab Innocentio XI. damnatæ, quæ sunt sequentes.

13. *Si debita cum moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristiari, vel de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licetum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei, obventura est pinguis hereditas.*

15. *Licetum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

Hinc collige, numquam licere ob commodum, & utilitatem propriam privatam, malum aliquod proximo optare.

**VII.** Quæst. III. *Est ne peccatum mortale proximo maledicere?* Resp. Qui animo deliberato grave malum proximo imprecatur, dubio procul grave crimen perpetratur; ut cum quis in hæc verba erumpit: *Diabolus te rapiat: mors tibi eveniat* &c. Qui similia fanatur, iræ impetum in excusationem adhibent; id est, peccatis peccata accumulatur. Quod internum ira prævenire rationem valeat, omnes fatentur, sed æque certum est, quod iræ assentiri animo deliberato peccatum sit. Tunc vero animo deliberato consentientes homines præsumuntur, & sunt; cum non illico iram cohibent, sed repetitis actibus in eadem persistunt, & in imprecationes frequenter labuntur. Neque a gravi crimine semper excusantur, quod non animo dispositi sunt, ut malum quod imprecantur eveniat; ut dicere parentes solent, dum filiis maledicunt; sed quod, ut iræ obsequantur, talia verba proferunt. Peccant siquidem eo ipso quod deliberate iræ consentiunt. Dolent utique, deservescere ira, se talia dixisse; & hallucinantur, se non peccasse, propterea quod passione expleta, peccati sentiunt stimulos, & ignominiam. Duo spectanda sunt, ut maledictionis gravitas deprehendatur. Damni magnitudo quod proximo, vel sibi quisque imprecatur; & animi deliberata assensio. Audiendus est D. Thomas 2. 2. quæst. lxxvi. art. 3. *Maledictio de qua nunc loquimur, est per quam pronuntiatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se, repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius: & ita secundum suum genus*

dia, furta, detractiones, istorumque omnium desideria eiusdem erunt speciei, quod in ratione damni conveniant. Hæc omnia, inquit, obiecta inspicuntur specie diversa. Quod contra accidit in odio nude accepto. Hoc enim intra animum sistit, & consummatur; neque foras erumpit, consilia, aut auxilia præbendo ad operis executionem; sed est simplex, atque inefficax desiderium, quod diversum minime evadit ex malis inefficaciter optatis specie distinctis. Hæc Salmanticensium doctrina, mea quidem sententia, falsa est. Hinc enim sequitur omnes actus internos alicuius generis, sicut libidinis, eiusdem esse speciei; cum ad opus non prodeunt. Sic delectationes de adulterio, de fornicatione, de sodomia, de mollitie erunt eiusdem speciei, eo quod sint peccata interius consummata. Quid ad specificam distinctionem confert quod odium sistat in deliberata voluntate exoptandi mortem proximo, & quod consilium adhibeat in eundem finem? Nam & hoc consilium etiam inefficax erit effectu non secuto. Et hac ratione omnes actus interni, qui opere non perficiuntur, unicam constituent speciem.

**VI.** Quæst. II. *Licetum ne est desiderare interdum alteri malum ob finem boni spiritualis, aut ob bonum commune?* Resp. Paucis quæstionem hanc expediemus, eo quod plura alibi dicta sunt. Licetum est gaudere de alicuius infirmitate, aliave temporali ærumna, ut ad meliorem frugem redigatur, & peccare desinat: quia ordo caritatis præfert spirituale bonum temporali. Licetum est optare Turcarum excidium ob bonum Ecclesiæ; malefactori debitam pœnam a iudice infligendam, eo fine ut iniuriæ, offensæ, & alia mala de medio auferantur, reorum vindicta, & punitione. Scite hac de re loquitur Angelicus in III. dist. xxx. art. 1. ad 4. *Quia caritas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se quam alium, & propinquos quam extraneos, & amicos quam inimicos, & bonum commune multorum quam bonum privatam unius; potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali eius, secundum quod per malum pœne impeditur frequenter malum culpa eius &c.* Summa tamen vigilantia in his desideris, quamvis inefficacibus, opus est, ne sub specie boni communis, aut spiritualis

genus est peccatum mortale; & tanto gravius, quanto personam cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Unde dicitur Lev. xx. Qui maledixerit patri suo, & maledixerit matri, morte moriatur. Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum eius qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surpectione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur. Videndum ergo, qua animi deliberatione, quo scandalo, qua contumelia, quod mali genus proximo optetur. Hæc omnia spectanda sunt, ut maledictorum iniquitas expendatur. Plurimum delinquere homines, potissimum artifices, rusticique solent, in maledictis contorquendis vel in ipsas creaturas irrationalis. De hoc maledictionis genere hæc scribit Angelicus 2. 2. quæst. lxxvi. art. 2. *Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantum sunt creatura Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum, & vanum, & per consequens illicitum.*

## CAPUT II.

De acedia, invidia, discordia, contentione, & schismate.

**Q**uæst. I. *Quid sit acedia.* Resp. Est tristitia deliberata de bono spirituali quod ad nos attinet. Dicitur deliberata, ut distinguatur a tædio illo quo affici solent vel pii homines aut ob naturalem corporis habitudinem, aut ob dæmonis tentationem, Dei que permissionem: cui si resistant, ferent cum tentatione proventum. Additur, quod ad nos attinet, quia cum tristiamur de bonis divinis, prout Dei sunt, puta de illius maiestate, sanctificatione, & immensitate, odio Dei potius, quam acedia peccamus. Si vero quempiam tædet divinorum bonorum, quatenus nobis communia sunt, ut si quis tristitia afficiatur, quod sit filius Dei, illius gloriæ capax, sanctorumque concivis; is proprie acedia delinquit. Si quis vero tristatur de ceteris virtutibus, puta de ieiunio, castitate, & paupertate, idque genus aliis; non peccat acedia presse accepta, sed generatim sumpta, quæ ad illius peccati speciem revocatur cuius esset ommissio illius boni, seu virtutis quæ sibi displicet. Hæc mortalis erit, aut venialis ex diversitate materiæ quæ tristitiam parit. Acedia specialis suo genere

peccatum letale est, si ex deliberato animo dimanet, pugnatque cum præcepto caritatis, de quo D. Paulus ad Philippenses iv. scribit: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Paucis verbis rem totam expedit D. Thomas 2. 2. quæst. xxxv. art. 2. *Tristitia qua quis tristatur de bono spirituali quod est in actibus singularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia. Sed tristari de bono divino, de quo caritas gaudet, pertinet ad speciale vitium, quod acedia vocatur.*

II. Acedia est vitium capitale, prout definit D. Thomas loc. cit. art. 4. quia sex parit filias, quæ sunt desperatio, qua quis diffidit de æterna beatitudine, ut sibi impossibili: *malitia*, qua Dei bona contemnuntur: *rancor*, seu indignatio in eos qui nos ad spiritualia, & divina bona hortantur, & inducere satagunt: *puffillanimitas*, qua quis animum despondit, refugitque ea exequi quæ ad salutem ducunt: *torpor*, qui languor quidam est adversus præceptorum observationem: *mentis evagatio* ad illicita, quæ nimium se se diffundit. Hæc omnia explicat Angelicus loc. cit. ad 2.

III. Quæst. II. *Quid sit invidia?* Resp. Definiri solet, quod sit *tristitia de bono alieno apprehenso ac si esset malum proprium, & propria gloria, ac excellentie infestum.* Tristitia dicitur, quia licet circa bonum versetur, illud tamen ut malum ipsius invidentis apprehendit, quod inde suam decrefcere excellentiam censet. Additur de bono alieno, quia tristitia de proprio bono ut malo existimato, non invidia, sed acedia nuncupatur. Denique subditur, *quatenus infestum est propria gloria*, quia tristitia ob aliam rationem concepta non invidia, sed vel odium, vel indignatio, aut quidpiam aliud vocatur.

IV. Invidia suapte natura peccatum est mortale; veniale effici potest vel indeliberatione consensus, vel materiæ parvitate. Est simul peccatum capitale, ut docet Angelicus 2. 2. quæst. xxxvi. art. 4. Quoniam ex illa alia proficiunt vitia, nimirum odium, *sufurratio*, *detractio*, *exultatio in proximi calamitatibus*, & *afflicio in rebus prosperis.*

V. Duplex invidiæ species. Altera est quæ tristatur de bonis humanis proximi, nimirum de divitiis, dignitatibus, honoribus; quæque invidia humana nuncupatur. Altera est quæ tristatur de bonis gratiæ alterius; vocaturque invidia fraternæ gratiæ. Hæc, inquit Angelicus 2. 2. quæst. xxxvi. art. 4. ad 2. *ponitur peccatum in Spiritum sanctum: quia*

per

per hanc invidentiam homo quodammodo irvidet Spiritui sancto, qui in suis operibus glorificatur. Si plura cupis, lege ipsum D. Thomam.

VI. Quæst. III. *Quid sit discordia?* Resp. Est voluntatum dissensio a bono divino, & proximi, in quo convenire debent. Opponitur concordia, quæ corda, & voluntates simul unit. Est suo genere peccatum mortale. Quare Deus Prov. vi. detestatur eum qui seminat inter fratres discordias. Legatur D. Thomas 2. 2. q. xxxvii. art. 1.

VII. Quæst. IV. *Quid sit contentio?* Resp. Est verborum altercatio ad impugnandam veritatem: seu, ut eam definit ex Ambrosio D. Thomas 2. 2. quæst. xxxviii. art. 1. *contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Subdit vero opportune: *Si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimonia; sic contentio est laudabilis.* Quæ acrimonia numquam in personam, sed in errores tota semper sit, eo dumtaxat fine, ut furdæ aures vellicentur paullulum, & a sopore excitentur; ac potissimum ut error magis magisque contemnatur. Summa tamen parlimonia, & prudentia opus est in huius remedii usu, ne limites satis angustos transiliamus. Si quandoque expediens visum fuerit quodam acrimoniae pipere uti, inscribendis potius quam in dicendis sententiis, illius sit usus. Siquidem, cum homines mutuis disputant verbis, si immoderato vocum clamore perstrepat, seseque salibus invicem perfircent, facile in noxiam, criminofamque contentionem descendet disputatio. Verba ergo mitissima sint, eorumque prolatio temperata. In scripto autem vellicandæ interdum aures sunt. Eiusmodi stilo salibus asperso usi sunt Patres sancti, etiam benigniores, ut Augustinus, & Bernardus. Tædet quippe lectorem frigida lectio; acuit vero eiusdem palatum scriptum sale conditum.

VIII. Quæst. V. *Quid sit schisma?* Resp. Est ab unitate Ecclesiæ deliberata separatio. Separatur autem quis ab Ecclesia, dum aut eius membris communicare renuit, aut debitam summo Pontifici obedientiam præstare recusat. Non omnis inobediens est schismaticus; sicuti contra omnis schismaticus est inobediens. Schismaticus præter inobedientiam, contumacem addit rebellionem, qua ab Ecclesiæ communionem recedit. Omnis hæreticus est schismaticus; non tamen omnis schismaticus est eo ipso hæreticus. Consistere enim absolute schisma potest absque hæresi. Schisma purum caritati, & obedientiæ oppositum est;

si quis crederet unam sanctam catholicam Ecclesiam sub visibili capite Romano Pontifice constitutam, omnesque articulos ab eadem propositos; superba tamen, rebelique voluntate nolet Papæ subesse, eiusque obedire mandatis. Si vero primum, aut potestatem Summi Pontificis etiam negaret; hæreticus simul esset. Schismaticorum loco habent Bellarminus, Valentia, alique non pauci eos etiam qui dumtaxat a proprio Episcopo Papæ subiecto, suæque diocesis membris desciscunt, tamen subiectionem Papæ iactarent: quia tum indirecte a Papa quoque recederent. Ne multa: quamquam schisma, & hæresis duo sint crimina distincta, & absolute seungi queant, vix tamen, ac ne vix quidem verum schisma re ipsa sine aliqua hæresi reperitur, ut animadvertit D. Thomas 2. 2. quæst. xxxix. art. 1. ad 3. *Ceterum nullum schisma est quod non sibi aliquam hæresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Gravissimum scelus est schisma genere suo; cum lædat præstantissimum bonum, videlicet Ecclesiæ unitatem. Legatur D. Thomas tota laudata quæstione.

## CAPUT III.

De bello, & de illis qui illud indicere iure valent. A quibus peragendum, quibus conditionibus, & quo tempore.

I. Quæst. I. *Quid sit bellum, & quomplex?* Resp. Est *conflictus multorum contra multos extraneos, vi, & armis, Principum iussu peractus.* Dicitur conflictus multorum contra multos, ut distinguatur a duello, quod est certamen periculum unius contra alterum ex condito initum, loco, & tempore designato; & a rixa, quæ est pugna paucorum contra paucos. Additur contra multos extraneos, ut distinguatur a seditione, quæ fit inter homines eiusdem civitatis, aut regni, invito Principe. Bellum aliud est defensivum, quo illata iniuria repellitur; aliud offensivum, quo unus Princeps multitudinem armata hostem aggreditur iuris vindicandi, aut compensationis obtinendæ gratia.

II. Quæst. II. *Utrum licitum sit bellum tam defensivum, quam offensivum?* Resp. Adfirmant omnes Catholici contra Manichæos, & Lutherum, qui bellum adversus Turcas damnavit. Hoc ex divina constat Scriptura. Nam Abraham bellum gessit, & benedictionibus repletus legitur: & Deus ipse pluries Israelitis bellum inire adversus Chana-

nanæos, & Amalecitas, Madianitas, aliasque gentes iussit.

III. Quæst. III. *Quæ sint conditiones ad belli iustitiam necessaria?* Resp. Tres assignantur a D. Thoma 2. 2. quæst. xl. artic. 1. *Tria requiruntur. Primo quidem auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendum... Secundo requiritur causa iusta, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur... Tertio requiritur ut intentio bellantium sit recta, qua scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur.* His tribus conditionibus omnia ea continentur quæ ad belli iustitiam desiderari queunt. Vi ultimæ conditionis interdicta in bello est sævitia, crudelitas, fraus, religionis irreverentia, & alia id genus vitia.

IV. Quæst. IV. *Qui sint Principes qui bellum indicare iure valent?* Resp. Sermo est de bello offensivo. Nam defensivum cuique licet cum moderamine inculpatae tutelæ pro defensione vitæ, & bonorum, servatis conditionibus alibi explicatis. Bellum autem offensivum soli Principes, suprema pollentes auctoritate, indicare possunt. Bellum enim est actus supremus iustitiæ vindicatricis. Ergo ad solos Principes supremos attinet. Nulli ergo Principes, vel Respublicæ suprema potestate carentes, alterique superiori Principi subiectæ indicare bellum valent maxime offensivum, supremo Principe inconsulto. Excipiuntur tamen aliqui eventus, videlicet si difficilis sit ad Principem accessus, sitque in mora periculum, aut si Princeps esset evidenter negligens in bello indicendo, necessitate premente, & gravique damno Respublicæ, seu Principatui imminente. Ita communiter Theologi.

V. Quæst. V. *Quæ sit iusta bellandi causa?* Resp. Multiplex. Defensio propria, aut innocentis: iniuriæ iniuste acceptæ vindicatio: iusta bonorum, quæ ab alio iniuste possidentur, recuperatio. Hæ causæ certæ sunt omnium consensu. Adici alia solent, non ab omnibus approbatæ, nimirum sceleris inini iustitiam violatio in re magni momenti: civitatis occupatio: subditorum rebellio: auxilia hosti præstita in damnum grave Principis; & nonnullæ aliæ, quas expendere nostra non interest in præfens.

VI. Quæst. VI. *Utrum Princeps habens opinionem probabilem quod sibi aliquod regnum vel civitas debeatur, possit alteri Principi regnum illud possidenti bellum indicare?* Resp. Acriter in hanc rem disputant Probabilistæ. Adfirmantem sententiam defendunt Diana, Filliucius, Escobar, Azorius, Joannes Sanchez,

Thomas Sanchez, Roccafull, Franciscus Lugo, & alii Probabilistæ, nisi illo principio penes eos satis celebri, quod qui probabiliter agit, prudenter agit. Quod si verum esset, vera quoque foret præfata sententia. Alii Probabilistæ recentiores, qui post damnatas a summis Pontificibus sententias in probabilitatis materia scripserunt, oppositam opinionem propugnant: quia nullus iudex potest sententiam capitis ferre, nisi præcedant rationes luce meridiana clariores, ut Iurisperiti omnes docent. At bellum est prolatio sententiæ capitis in hostem quem Princeps aggreditur. Ergo, ut sit iustum, haud sufficit sola probabilitas. Accedit quod in materia iustitiæ melior est conditio possidentis. Probabilistæ prioris opinionis magis sibi constant, & vi suorum principiorum efficacius argumentantur. Probabilistarum quippe principium aut ubique, aut nullibi evincit quod intendit.

VII. Nos breviter respondemus, solam probabilitatem haud satis esse ad bellum inferendum Principi possidenti. Possessio quippe sola probabilitate auferri nequit: quia adæquat, immo prævalet cuilibet probabilitati. Certitudine opus est ut quis alterum de sua deturbare possessione valeat. Hæc est ratio cui illud axioma innititur: *Melior est conditio possidentis.* Utiq; & ipsa possessio aut dubia, aut probabilis vel ipsi possessori apparere potest. Tunc pro dubii quantitate restituere debet partem rei possessæ alteri Principi. Missis pluribus rationibus, unam obiter indicabo cur nequeant Principes sola probabilitate nisi bellum movere. Vix enim, ac ne vix quidem, Princeps assequi armis valet civitatem, vel regnum, quod sibi deberi probabiliter putat, quin innocentum sanguis fundatur, vastationes, strages & sæpius religionis aut everfio, aut damna maxima, virginum constuprationes, aliaque gravissima mala sequantur. Quæ omnia plurimum prævalent iuri quo se potiri bellator in civitatem, aut provinciam ab altero possessam iudicat. Quis ergo dixerit tantam malorum stragem licitam esse, ut Princeps civitatem probabiliter tantum, minime vero certo iure sibi debitam, indispicatur? Tenentur itaque Principes probabilia iura doctorum hominum sententiis dirimere. Barbarorum est in feritate, armorumque potentia iura constituere. Ius in armis tunc est, cum gravis necessitas urget redimendi quæ certis rationibus Principibus debentur. Hanc veritatem vel ipsi Pagani agnoverat, sæpe scribente Livio: *Pia*

*arma*

*arma quæ necessaria.* Plura funderem, si profectum sperarem. Cuique enim dubia iura, certa videntur. Vix est qui opinionem propriam minus probabilem, quin vel incertam, reputet. Huc spectare videtur quod scribit Chrysofomus: *Timeo an aliquis ex rectoribus salvus fiat.* Quod maxime de consiliariis Principibus bella suadentibus verum habet. Istorum quippe suasionibus Reges bella indicunt. Iudices porro, & consilarii, quorum est declarare Regum iura in civitates, & regna, sunt cuiusque regni sapientes. Quid autem causæ sit cur Principes christiani sæpe nolint dubia civitatum, regnorumque iura, non Rabularum, non Sophistarum, non Politicorum, sed sapientum iudicio dirimere, soli Deo patet. Non later Principes, suos consiliarios politicos sæpe adversariorum auro, argentoque corruptos, bella aut suadere, aut dissuadere prout istorum propriæ rationes suggerunt: nec propterea experiesunt. Dum hæc scribo, truculentissimo bello ardet Italia nostra, ardet Europa tota, immensa hominum, & aureorum multitudinem effusa. Si quæras, cur aggressores bellum excitant; quid tibi sint responfuri, ignoro. Nec quæ ipse sentio, scribere expedit. Illud mihi compertum, difficile occurrere bellum, potissimum aggressivum, undique iustum. Verum silentio potius quam sermone hæc definiri valent. Hoc nobis meditandum, scelera nostra in causa esse, cur tot calamitatibus universa prematur Europa.

VIII. Quæst. VII. *Quæ notitia de belli iustitia necessaria militibus est, ut parere Regi precipienti bellum valeant?* Resp. Duo militum genera distinguenda sunt: alterum subditorum Regis bellantis; alterum alienigenarum. Milites alienigenæ antequam militiae exteri Regis nomen dent, belli iustitiam perspectam habere debent. Isti enim, cum liberi sint, nullo obediendi prætextu excusari valent: neque executores sententiæ Regis dicendi sunt; sed potius ipsi sententiam ferunt, bellumque indicunt, cum partes Regis bellatoris sponte suscipiunt, ac iura favere Regis, sub cuius vexillo arma stringunt, declarant. Rei igitur evadunt omnium malorum quæ bellum consequuntur, nisi de iustitia belli certi sint. Quam sententiam docet Caietanus 2. 2. quæst. clxxx. artic. 2. ad 4. Sanchez, Ledesma, Molina, Salmanticenses tract. xxi. cap. viii. punct. 3. n. 30. Milites autem subditi Regis bellum inferentis ut sint immunes a culpa, satis est, si bellum ipsis probabile appareat. Probabile vero illis est quoties non

constat de iniustitia. Præsumere quippe isti debent, proprium Regem non nisi iusta bella gerere. Executores hi sunt sententiæ a Regalata. Illorum ergo minime interest in examen sententiam revocare: alioquin universa imperandi, regendique fundamenta submoverentur. Hæc est communior, probabiliorque sententia.

IX. Quæst. VIII. *Utrum Rex catholicus in bello iusto contra alios catholicos vocare in auxilium possit gentiles?* Resp. Gravissimam quæstionem discutiendam aggredior: non quod ipsa suapte natura involuta sit; sed quod Pseudopolicorum, & Casuistarum quorundam argutiis, & cavillis oblecta, industriam, studiumque postulat, ut illius veritas salva consistat. Plures Pseudopolitici, & Casuistæ absolute adfirmant. Alii cautius loquuntur. Licitam Catholicorum cum infidelibus confederationem absolute, & per se aiunt; illicitam vero per accidens, quatenus inde religioni catholice mala plurima immineant. Pro hac opinione laudantur D. Antoninus, Sylveiter, Suarez, Caspensis, Prado, Tapia, Palaus, Bonacina, alique. Ad D. Antoninum, & Sylvestrum quod attinet, constat eos tantum aliorum opiniones recentere in hac materia. Antoninus III. Part. tit. iv. §. 11. & Sylvester verb. Bellum i. quæst. viii. obiter tantum hanc quæstionem tractant. Missis igitur aliorum placitis, vera sententia proponenda, & probanda est.

X. Confœderatio cum infidelibus adversus Catholicos illicita est, & nimium flagitiosa. Principes, Regesque omnes, illorumque consultores gravissime peccant, omniumque malorum religioni obvenientium fontes evadunt, quoties infidelium armis arma iungunt in catholicos Principes. Quæ sententia ut pleno claroque in lumine collocetur, discutienda primo est vana illa distinctio qua confœderatio hæc per se spectatur, & per accidens. Quamvis distinctioni huic locus interdum sit, dum rerum nature ad metaphysicas leges expenduntur; in morum tamen quæstionibus resolvendis inutilis passim est, facique plena. Quæ enim communiter, circumstantiis spectatis, in praxi occurrunt, per se in morum genere locum tenent. Nostra siquidem interest morum quæstiones omnibus circumstantiis septas dispicere. Et licet circumstantiæ ad rei speciem comparatæ loco accidentium habeantur; relatæ tamen ad operationem exercendam, eandem per se efficiunt, peculiaris speciem eius constituunt. Quibus positis, evidenter sententia probatur. Hæc

coa-



confederatio ingentium malorum adversus religionem causa est. Nemo nescit, ethnicos potissimum impotenti furore abripi in Catholicorum dogmata, & odio plusquam vatiano ardere. Nulla autem opportunior occasio exsaturandæ iræ, vindictæque exercendæ, confederatione isthac. Nemo enim Principum infidelium, foedera cum catholico Principe init, nisi amplificandi imperii pomeria, propriæque sectæ dilatandæ spe allectus. An ne arma caperet, æraria exhauriret, subditorum sanguinem effundendum exponeret, Principes hostes in se concitaret, nisi maiora commoda, & meliorem fortunam se affecturum consideret? Quid vero ethnicis sive ad triumphum splendidius, sive ad Principatus confinia extendenda gloriosius, quam Catholicorum terras invadere, civitates depopulari, profanare templa, altaria diruere, dilacerare imagines, virgines sanctimoniales constuprare, augustissimum Eucharistiæ sacramentum conculcare, omnia denique catholicæ religionis sacratiora mysteria irridere, & irridenda tradere? Horum omnium veritatem testantur probatissimæ historiæ, testantur regna integra, & nationes quæ ex foedere cum infidelibus omnia recensita mala expertæ sunt. Nec est quod reponas futili distinctione, hæc *per accidens*, minime *per se* evenire. Nam satis est hæc re ipsa contingere ut flagitiosum foedus efficiant. Quin si infidelitatis natura spectetur, non *per accidens*, sed *per se* præfata omnia proficisci quisque deprehendet. Infidelitatis namque ingenium est, & natura, quod ut cancer serpat, quod radices altius figat, quod virus suum evomat in eam religionem quam detestatur. Vellet eam de medio sublata, ne propriæ obstinationis monumentum extaret. Infideles in foedus a catholicis Principibus vocantur, istorum extenuatas vires, & imbecillitatem dignoscunt, optimamque se nactos occasionem, inito foedere, deprimendi Catholicos, suamque sectam amplificandi, non inaniter existimant.

XI. Quis porro dixerit, licere Principibus catholicis foedus tale sancire, unde tanta malorum illuvies in veram Dei religionem irrumpit? Omnium rationum prima, & potissima, qua bellum iustum evadit, hæc est quod Principes bellum indicantes Dei honorem, & gloriam promoveant, aut saltem sincero animo promovere contendant: in hunc quippe finem collata est illis armorum potestas. *Non enim est potestas nisi a Deo*: Rom. XIII. Hinc sanctissimus Leo Magnus ad Leonem Augustum scribens *epist.* lxxv. inquit: *Debes*

*incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad religionis presidium esse collatam*. Nullus autem non videt fieri haud posse ut hæc foedera in Dei gloriam, eiusque Religionis amplificationem Principes dirigant, cum huic intentioni facta, eventusque repugnent. Nec refert Principum, Politicorum vana excusatio, qua dicunt, se hæc quæ recensuimus mala, nullo modo velle. Quoniam licet expresse ea nolint, volunt tamen re ipsa, cum flagitiosum foedus ineanat, unde præfata mala proficiscuntur.

XII. Obiiciunt contrariæ sententiæ patroni. Abraham foedus inivit cum Abner, & Escol gentilibus, ut habetur *Gen. xiv*. Item Iudas Machabæus cum Romanis, ut patet ex *Lib. I. Machab. cap. viii*. & tandem innumeri Principes catholici similes pepigerunt confederationes.

XIII. Resp. Confederationes narratæ in Scripturis fuerunt adversus infideles, secus contra fideles. Huiusmodi enim foedera conceptis verbis in Scripturis verantur. Propheta Hanani severe increpavit Asam Regem Iudæ, quod contra Regem Israel in subsidium vocaverit Benadab Assyriæ Principem: ob quod flagitium grave quoque futurum supplicium ei revelavit. *In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asa Regem Iudæ, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua... Stulte igitur existi, & proter hoc ex presenti tempore adversus te bella consurgent*. Paralip. II. cap. xvi. vers. 7. & 9. Item Exodi xxxiv. vers. 12. *Cave ne umquam cum habitatoribus terre illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*. D. quoque Paulus II. ad Corint. vi. vers. 14. hæc pacta, & associationes vetat: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem coniunctio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli?* Clariores sunt eiusmodi textus quam ut valeant Politicorum, & Casuistarum vanis distinctiunculis eludi. Exempla quorundam catholicorum Principum qui eiusmodi foedera cum infidelibus adversus principes catholicos inierunt, nihil sententiæ nostræ officiant, sed tantum doloris, & scandali materiam exhibent. Hæc est communis Theologorum sententia, cui subscribitur Salmanticensis *tract. xxi. cap. viii. punct. 3. §. 2. n. 35*. citantque *Lorcam, Villalobos, Molinam, Gordonium, Coninchium, Prædum, Dianam, Solan-*

*Solanum*, aliosque. Diana *Tom. XI. coord. tractatu peculiari post. xiv.* fuse hoc versat argumentum. Recenset Politicorum, & Iuristarum opinionem faventem præfato foederi. Defendit ipse, *per se*, & ex natura sua licita esse eiusmodi foedera: quod idem præfert, ac si diceret: Hæc foedera ad bellum gerendum in Lunæ cornu, aut in campo idearum Platoniarum licita sunt. Si vero de celo ad hominum exercitus devocentur, illicita evadunt. Quare vel ipse Diana secundum locum statuit eadem *resol. xiv.* vix umquam in praxi licere Principibus catholicis similia icere foedera cum Turcis, aliisque infidelibus. Quam resolutionem exemplis etiam firmat. Refert enim ex Schonborner *Lib. IV. cap. xiv.* suæ Politicæ, Principem quemdam Christianum gravissimas poenas fuisse passum ob coalitum cum Turcarum Imperatore foedus adversus Catholicos. Vera ne, an falsa sit narratio hæc, ad quam firmandam circiter quatuordecim Scriptores laudat idem Diana, aliorum relinquo iudicio. Nostræ sententiæ subscribitur Cassianus a sancto Elia in sua *Arb. Opin. verb. Auxiliator §. 1. num. 5.* Henricus a sancto Ignatio *Lib. IV. cap. xliii.* aliique communiter. Argumentum, quod a contraria Principum praxi obiici posset, nullius est momenti. Quoniam operationum nostrarum regulæ sunt, non abusus, hominum quæ placita; sed Dei leges, quæ omnia nobis verant quæ in Dei honorem, & gloriam referre nequimus. Illud mirandum quod dum Principes catholici infidelium subsidia, copiasque auxiliares postulant, divinam quoque implorent opem; ac si Deus posset, velletque in suæ religionis iacturam, templorum profanationem, rerum sacrarum irrisionem, confederatis infidelibus cum Catholicis suppetias ferre. Hinc tamen colligas nolim, illicitum Principibus esse subditis infidelibus uti ad iustum bellum. Nullus quippe tunc malorum timor. Subditi enim cum sint, ducibusque catholicis pareant, nihil mali adversus religionem moliri valent. Quare quæ ratione in suis eos tolerant ditionibus, eadem illos ad bellandum adhibere poterunt.

XIV. Illud nunc est reliquum ut tres in titulo propositas circumstantias in examen vocemus: nimirum a quibus peragendum sit bellum, quæ in bello servanda, & quo tempore exercendum. Paucis omnia expediam.

XV. Quæst. IX. *Utrum Clericis, & Religiosis liceat in bello iusto propria manu pugnare?* Resp. Sententiæ negans communis est, & docetur in *cap. Eos qui xx. quæst. xxx.*

*& cap.* Quicumque ex Clericis xxxiii. *qu. viii.* Ratio pervia est. Clerici, & Religiosi a mundi rebus segregati divino cultui dicati sunt, ut pro se, & populo vota offerant Deo, animarumque spiritualia negotia pertractent. Huic vero potissimo eorum professionis fini nihil est adeo infestum & repugnans quam militia, & bellica pugna. Iure ergo & merito hæc Clericis, & Religiosis ab Ecclesia prohibetur. Hæc autem ratio favet Sacerdotibus, non tamen Clericis. Clerici enim non sunt in sacris constituti; ideoque ad illos canones laudati non sunt extendendi. Eo ipso enim quod isti militiæ nomen dent, statui renuntiant Clericatus; nec vi minorum ordinum Deo consecrati reputantur. Si tamen Ecclesiis addicti sint, aut beneficium possideant, quamquam non delinquant in canones, peccant tamen contra status honestatem, saltem venialiter. Monachi laici cum ratione status Deo sint consecrati, licet Sacerdotii dignitate careant, peccant bellando, & quidem graviter; quidquid in oppositum dicant Diana, Palaus, Villalobos, & alii. Sacri quippe canones eos omnes a bello arcent qui statum profitentur religiosum. Monachi autem, tamen laici, vi suæ professionis saculo renuntiarunt, spiritualique militiæ dedere nomina. Hæc opinio communior est.

XVI. Quæst. X. *Licet ne Religiosis necessitate urgente bellare?* Resp. Conclusio affirmans communissima, & vera. Urgente quippe necessitate defendendi patriam, Ecclesiæ, religionisque iura, naturali lege, & pietate in patriam, ac religionem astringimur arma capere. Nec Ecclesiæ canones id vetant quod lex præcipit naturalis. Hinc iure præserte Episcopi valent suis Clericis, & Religiosis in bello adversus Turcas, infideles hæreticosque, dum religionem, se, suos, bonumque Ecclesiæ commune defendunt. Idque laudabiliter plures sanctissimos præstitisse Episcopos historiæ narrat; nostrisque temporibus in Dalmatia in bello Venetorum contra Turcas sub Crucis vexillo strenuus Episcopus militum classi præfuit. Raro tamen occurrit Religiosis hæc iusta bellandi ratio. Manifesta quippe sit oportet, defendendæ religionis, patriæque necessitas. Absolute enim Christi religio pacem, tolerantiam, patientiam, mansuetudinem præcipit. Quare, antequam Religiosi arma capiant, sanctorum virorum consilio opus est.

XVII. Quæst. XI. *Licetum ne est Christianis captivis pro infidelibus pugnare adversus Christianos, timore mortis percussi?* Resp.

Si de bello directo & immediato adversus Christianos sermo sit, negat communis sententia, quia id intrinsecus, suaeque natura malum est, cum eiusmodi bellum iniustum sit; atque adeo graviter peccant. Hinc nequeunt tormenta bellica explodere, naves gubernare, bombardas emittere; quae omnia directe in Christianorum cladem recidunt. Haec communia sunt. Quae sequuntur, negotium facessunt, nimirum licitum ne sit praefatis Christianis in Turcarum triremibus remigare, scalas apponere, propugnacula deferre, sulphur porrigere ob metum mortis? Adfirmant plures Theologi, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses *loc. cit. num. 42.* quod actiones istae suapte natura indifferentes sint, nulloque modo noxiae absolute spectatae, sed sola Turcarum malitia in Christianorum damnum dirigantur. Reiciunt tamen hanc doctrinam, si captivi Christiani scirent, magnam Christianorum exercitum assecuturam victoriam, ipsis ab eiusmodi operibus cessantibus. Quia tum bonum commune Ecclesiae, Christianaeque Reipublicae, bono privato anteferendum esset. Quod si verum est, ut verum esse & ipse sentio; non video cur illi tanta conscientia, recensita opera, fervente pugna, fieri licite posse defendant. Remigare, scalas muris apponere, sulphur porrigere, propugnacula deferre, actiones sunt indifferentes. Verum habet, dum in Luna campo bellum peragitur. Etiam tormenta bellica explodere, bombardas iaculare, aliaque id genus opera sunt absolute indifferentia; cum haec omnia saepe peragantur aut in publicae letitiae argumentum, aut ad exercendam militum peritiam. Noxia tantum sunt positae circumstantiis. Idem dicendum videtur de secundo actionum genere. Sunt utique indicatae actiones natura sua indifferentes; at circumstantiis inspectis evadunt, quemadmodum aliae prioris generis, noxiae Christianis, eorumque religioni. Et quia in morum signandis regulis opera abstracta, & praecisa a circumstantiis, Theologi minime considerant; sed contra potius opera circumstantiis vestita, & affecta; ideo non apparet ratio qua a gravi malitia purgari praefata opera valeant. Sunt enim hic & nunc in damnum Christianorum directa. Aliunde bellum iniustum esse constat. De his, & similibus sermo redibit, dum scandali argumentum tractabimus dissertatione sequenti.

XVIII. Quaest. XII. *Quinam modus servandus in bello peragendo?* Resp. Ob iustas

dumtaxat causas bellum indicendum esse, iam supra ostensum est; quas si negligent Principes, peccant gravissime, & ad damna resarcienda altriguntur. Expendendae hic causae essent quas Principes tamquam iustas indicendi belli reputant; sed opportunum minime censemus: tum quod aures nobis occludendas praevideamus; tum quod longior belli causam minime esse timorem illum quem saepe Principes concipiunt, ne conterminus Princeps potentior evadat, a quo bellum, potentia aucta, movendum verentur. Pseudopolitica Machiavelli haec est, contraria Apostoli doctrinae, quae mala fieri vetat, ut bona eveniant. Si Princeps finitimis industria, recto regimine, iustisque rationibus avarum auget, & confinia amplificat; cur bello impetendus, deprimendusque? Cur innocentum sanguis effundendus, depopulandae provinciae, ac infinita prope modum mala, quae bellum necessario consequuntur, patranda? Nisi ergo iniuriam irroget, nisi aliena iura laedat, nisi aliorum terras iniuste occupet; quid causae est cur extenuandae sint illius vires; cuiusque principatus diminuendus? Si solus timor futuri belli inferendi a Principe potentiore iusta esset indicendi belli causa; vix iniustum daretur bellum, sed esset utraque ex parte etiam materialiter iustum. Hinc colligas, quam iniusta, perversa, ac crudelis politica illa esset qua pretextu servandi aequilibrium inter Principes, modo illum proprio principatu expoliarent, alterique donarent, modo hunc exaltarent, legitimis possessoribus oppressis: istum coercerent, thronoque deturbarent, illum provinciarum, aut civitatum accessione cumularent, ac si universi terrarum urbis supremo dominio potirentur. Et quamvis haec omnia universo Theologorum consensu manifestam sapiant iniustitiam, atque restitutionis, & compensationis onera imponant certissima; nihilofecius sibilo, & cachinnis excipiuntur. Eo scilicet ignorantiae, & pravitatis devenit pseudopoliticorum sapientia carnalis, & mundana. Sed haec per transennam dicta sint. Ad propositam quaestionem discutiendam accedamus.

XIX. Non solum in bello indicendo servanda iustitia est, verum peragendum etiam bellum est modo praefinitis aequitatis regulis consentaneo. Indicto ergo bello, in primis seligere Principes debent belli duces integris moribus instructos, quales sane haeretici esse non solent. Quare iterum repeto, mirum in mo-

modum causam suam prodere Principes illos catholicos qui suis exercitibus praeficerent duces scelestos, infideles, ac si istis infusa scientia esset militaris, & bellica; maxime cum belli eventus potissimum a divina pendeat voluntate. Providere etiam magnopere Principes debent ut belli duces sint iustitiae amantes, ut militibus stans temporibus stipendia solvant; ne cogantur innocentum spolia diripere, neve ad bellandum minus apti fiant.

XX. Quaest. XIII. *Quanam sunt peccata quae perpetrari in bello solent?* Resp. Numeratae stellae, si vales. Aliqua tantum cursim indicabo tum belli ducum, tum militum. Adversus iustitiam peccant, & ad restitutionem tenentur belli duces, si Principum suorum mandata transgrediuntur, damna inferentes quae ad finem, idest victoriam, non conducunt; si militibus stipendia solvere suo tempore negligant; si in militum rapinas, stupra, depredationes iniustas non animadvertunt, & pro viribus non impediunt, cum ad id ex officio altrigantur; si muneribus a civitatibus, pagisque aliquibus acceptis, ne eisdem onera tributorum imponant, neve in eorundem domibus milites collocent, alias subinde civitates, & provincias magnis tributis, militumque copia plus iusto onerent; si militum censum exacte non compleant, fictitios milites substituunt. Maxima hinc proficiuntur damna in universam Rempublicam, quae resarcire omnia debent, nedum stipendia iniuste retenta solvere. Omnium vero malorum huiusmodi causa essent Principes, & Reges, si constituta stipendia opportuno tempore belli ducibus subministrare omitterent.

XXI. Peccant porro milites, si castra deserant; si partes proprii officii non impleant; si praeter stipendia accepta quidquam surripiant, extrema necessitate sublata; si temere vitam propriam prodigant; si hostibus incommoda ultra conventa pacta inferant, rusticosque vexent, eorum agros & bona depopulando. Nec Praefectorum conniventia, aut expressa permissio illis suffragatur; nisi rustici rei sint, & iusta poena plecti mereantur.

XXII. Peccant quoque milites illi qui militare parati sunt sub quocumque Principe qui maiora praebet stipendia, nullo ad iustitiam, vel iniustitiam belli habito respectu. P. Antoninus Diana *coord. Tom. VII. tract. VII.* ubi fuso calamo bellicas versat quaestiones, omnium Auctorum sententias colligens, & de more omnes passim ut probabiles admittens, proponit hanc quaestionem, liceat ne militibus sive subditis, sive extraneis, dubitantibus de

iustitia belli, militiae nomen dare? atque tres Auctorum sententias refert: primam adfirmantem, secundam negantem, tertiam adfirmantem de subditis, negantem de extraneis. Deinde sic concludit resolut. 40. *Omnes istae tres sententiae sunt probabiles, & Tannerus asserit Romae Patrem Suarez primam sententiam docuisse: quia advocatus etiam in dubia causa utrique parti patrocinari potest; & famulus servare potest domino exercenti contractus speculative dubios.* Subdit vero ipse *ref. XII.* milites nullos, sive subditos, sive extraneos, tenevi ad belli iustitiam examinandam. Haec recensuisse satis pro confutatione est: sua quippe laxitate corrumpunt.

XXIII. Quaest. XIV. *Licetum ne est in bello iusto innocentes fontibus permixtos occidere?* Resp. Innocentes reputantur agricolae, rustici, infantes, feminae, advenae, peregrini, mercatores non habentes domicilia, legati, & inter Christianos Monachi, Presbyteri, qui arma non stringunt ad bellandum; secus, si & isti militiam exercent. Itaque hi omnes absolute innocentum nomine veniunt. Hos occidere nefarium est, & inhumanum. Si tamen nocentes perimi nequeant, salvis innocentibus, & horum peremptio licita erit. Qua de causa fas est tormentum bellicum explodere in hostium turmam, cui permixti sunt Sacerdotes, feminae, & parvuli. Ea quippe in bello iusto licent quae intrinsecus natura sua mala non sunt, & ad finem assequendum necessaria reputantur. Quare mendacia neque in bello licent; tamen licitum sit stratagematum, & insidiarum, quae mendacio careant, arte uti. Parcendum itaque, quoad fieri potest, innocentibus, eorumque sanguis nunquam effundendus, nisi necessitas manifesta id exigat. Fides data vel ipsis hostibus servanda semper est. Iura gentium, & belli facta testa sunt custodienda, ut veneno non inficere puteos, aquas, ceteraque quae ad victum necessaria sunt; Christianos in servitutem non redigere, cum id penes Christianos consuetudine receptum non sit. Civitas capta in praedam dari nequit, nisi gravissima necessitate urgente, propter scelera, stupra, & ingentium malorum clades, quae a militibus depredantibus perpetrari solent. Si necessitas ad id cogat, tenentur duces pro virili parte invigilare, & impedire ne flagitia sequantur.

XXIV. Quaest. XV. *Licetum ne sunt repressalia?* Resp. Repressalia sunt compensationes malorum quae ab hostibus sunt illata. Ut liceant, plures conditiones requiruntur. 1.

ut publica, & legitima auctoritate Principis læti fiant. 2. ut iniuria, & mala illata manifesta sint. 3. ut Principes, seu civitates quæ mala intulerunt, debitam, postulatamque compensationem dare detrectent. 4. ut non fiant in innocentes, sacrasque personas, vel eorum bona. 5. ut non plus damni inferatur quam iusta requirit satisfactio.

XXV. Quæst. XVI. *Licet ne die festo bellare?* Resp. Respondet D. Thomas 2. 2. quæst. xl. art. 4. *Observatio festorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem. Unde Dominus arguit Iudeos, dicens Ioan. VII. Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabato? Et inde est quod medici licite possunt medicari homines in die festo. Multo autem magis est conservanda salus Reipublicæ, per quam impediuntur occisiones plurimorum, & innumera mala temporalia, & spiritualia, quam salus corporalis unius hominis. Et ideo provisione Reipublicæ fidelium licitum est iusta bella exercere in diebus festis; si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate vellet a bello abstinere. Sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis.* Diana loc. cit. ref. 42. citat Suarez, Fagundez, Filliucium, Palaum, eorumque opinionem, negantem licitum bellum in die festo, necessitate sublata, ut probabilem admittit; quemadmodum ut probabilem recognoscit alteram opinionem Bannez, Valentiz, & aliorum, dicentium non esse culpam mortalem præliari in die festo extra necessitatem, audita Missa. Ceterum ille de more laxiorem amplectens, nec venialem culpam perpetrari resolvit in prælio peracto festo die, sublata necessitate, si Missa audiarur. Quæ dicta sint, ut Auctoris genium ubique sibi constare eluceat. Ad praxim vero quod attinet, res est nullius momenti: quoniam numquam voluntarie prælium committitur, nisi opportuna occasione data: quæ si præteriri permittitur, in auras avolat victoria. Quapropter prælium in praxi vix accidit nisi cogente necessitate.

#### CAPUT IV.

*De rixa, seditione, & duello.*

I. **H**Æc tria vitia magnam cum bello vicinitatem habent. Quare D. Thomas 2. 2. quæst. xli. art. 1. rixam definiens, eam appellat bellum privatum his verbis: *Rixa videtur esse privatum bellum, quod inter privatas personas agitur, non ex aliqua publica*

*auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate: & ideo rixa semper importat peccatum. Quod peccatum ex genere suo letale est, ac veniale fit materia parvitate, respectu aggressoris. In eo vero qui se defendit, nullum erit, si fiat cum moderamine inculpatae tutelæ. Rixa filia iræ est, ut subdit Angelicus art. 2.*

II. *Seditio est tumultus ad pugnam unius partis Reipublicæ contra aliam: si sit contra Principem vocatur rebellio, quæ a pura seditione distinguitur: rebellio quippe subiectionem, & obedientiam Principi debitam excutit omnem; seditio vero, servata Principi obedientia, contra ministros, & principatus partem arma stringit. Est natura sua peccatum mortale, cum unitati opponatur Reipublicæ. Vix tamen in praxi seditio a rebellionem distinguitur: re ipsa enim, qui adversus Reipublicæ partem arma capit, Principis auctoritati se subducit. Causæ seditionis variaz. Nimius ministrorum rigor, severior tributorum exactio, victus penuria, in exercitiis stipendiorum defraudatio, & alimentorum caritas. Hæc omnia summa vigilantia præcavere Principes debent.*

III. *Duellum communiter definiri solet, quod sit pugna singularis ab utraque parte ex conditio accepta, loco, & tempore designato cum periculo occisionis, aut gravis vulneris. Ex quo pugna singularis sit, a bello distinguitur, quod est pugna communis. Duellum igitur singulare certamen est inter duos, appellaturque monomachia, vel inter quatuor, aut octo in æqualem numerum tributos, hinc, & inde præliantes. Dicitur ex conditio, id est mutuo inito pacto ad pugnam tali loco, & tempore ineundam. Non est duellum, si tempus tantum, aut contra locus, non assignato tempore pugne, indicatur. Quapropter pugne subita ira ortæ, tametsi mutuo pugnantem se se percutiant, vulneraque sibi infligant, non sunt duellum: v.g. si quis ob exortas inimicitias dicat inimico: *In platea te expecto, ut pugnemus*, tempore non definito: aut contra: *Vespere tecum præliabor, ubicumque te obviam habuero*. E contrario si diceret: *Sume arma, hic in platea statim pugnemus*: duellum esset tempore præsentis, & loco designatis. Altera definitionis pars est: *Cum periculo occisionis, aut gravis vulneris*. Quoniam, si certamen sit absque ullo periculo vulneris, aut occisionis, sed ad vires exercendas, aut pugnis se se tundendos, duellum non est: quia non est peractum armis, aut instrumentis sua natura aptis*

ad

ad occisionem. Non esse duellum quoque contendunt plures, si quis alterum provocans, aut provocationem acceptans, loco, & tempore ad pugnam designatis, non animo se lædendi, sed honoris defendendi gratia, cum morali certitudine quod nullum inde damnum sit secuturum, eo quod amici se se interponent ad mutuam pacem conciliandam. Verum non video cur duellum hoc appellari non debeat; cum pugna ex conditio indicta sit, loco, & tempore designatis, ad honorem læsum resarciendum. Mentitur quippe voluntas sibi, si, cum ea omnia ponat quæ ad verum duellum requiruntur, postea se duellum nolle interius comminiscatur. Duellum quod exterius apparet, Ecclesia vetat. Hoc duellum scandalum parit, lege naturali prohibitum. Animus interior ad rationem duelli minime pertinet; nec tollit scandalum quod inde sequitur. Sed adest, inquit, moralis certitudo quod nec mors, nec vulnera contingant ob amicorum interpositionem. Finguntur hæc. Cum hoc duellum a duobus peragendum sit, quis sibi de alterius voluntate spondere securitatem valet? Quis de propria securus esse potest? Quid facilius quam ut animus tranquillus, a certamine dum longe abest, ira postea excandescat, inita pugna? Quid si deprehendat socium aut ineptum, aut viribus, & arte valde inferiorem? Honoris defendendi appetitus fervet, tentibus adversariis. Nihil itaque facilius quam ut præliantium alter opportuna deprehensa occasione, concitata ira, aut ambitione extollendi propriam fortitudinem, sanguinem fundat adversarii. Innumera contingere causa possunt ob quas tranquilla illa, quæ iactatur, intentio recuperandi fictitio duello propriam famam, in iram, & verum duellum transeat; manibusque confertis alterutrius mors, aut vulneratio sequantur. Quare mihi probabilis nullo modo est opinio quam defendunt Filliucius, & Diana, probabilemque reputant Salmanticenses Tom. II. tract. x. cap. iv. punct. 3. num. 34.

IV. Quæst. I. *Utrum duellum sit licitum?* Resp. Duellum iure naturæ, divino, & canonico veritum est: rationi quippe repugnat aut propriam vitam periculo mortis voluntariè exponere, aut alterius vitæ mortem intentare. Quod iure divino sit veritum ob legem generalem quæ homicidia vetat, & iniuriarum vindictam, non est ambigendi locus. Ecclesia autem illud sæpius vetavit. Nam Paulus IV. Gregorius XI. Clemens VIII. & tandem Concilium Tridentinum

sess. xxv. cap. xix. de refor. gravissimis in transgressores pœnis constitutis duellum vetarunt. Idem præstiterunt Principes in variis regnis.

V. Quæst. II. *Occurrere ne causa possunt quæ duellum aliquando licitum efficiant?* Resp. Variæ sunt causæ propter quas feroces gentes duellum instituerunt. Una est virium ostentatio. Altera voluptas feralis spectatoribus præbenda, apud Romanos aliquin cultissimos familiaris. Duellum eiusmodi, crudele esse, rationique repugnans, nemo non vider. Tertia causa est ad litem aliquam, cuius veritas occulta est, dirimendam. Duellum istud vanum est, & superstitiosum, Deumque tentans, & ut tale damnatum cap. Monomachia II. quæst. v. Quartam causam Doctores quidam excogitarunt, nimirum vindicationem iniuriæ acceptæ, vel famæ læsæ recuperationem. Quinta causa est nota ignaviæ, & pusillanimitatis, ad quam vitandam licitum esse duellum Casuistæ quidam, tametsi christiani, Evangelique professores, docuerunt. Quam sententiam his verbis conceptam damnavit Alexander VII. in prop. 2. quæ est sequens: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Hæc quinque causas communiter Theologi reiciunt tamquam ineptas ad duellum indicendum, suscipiendumve. Quæ sequuntur, negotium faciunt.

VI. Quæst. III. *Licitum ne duellum est ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum?* Resp. Non modo acceptare licite duellum ad eiusmodi declinanda mala, verum indicere etiam te illud posse, docent Salmanticenses tract. x. cap. iv. punct. 3. num. 39. Diana part. v. tract. XIII. resob. 27. Lessius Lib. II. cap. ix. dub. 8. num. 49. Castropalaus tract. vi. disp. vi. punct. 7. num. 9. & alii. Addunt Salmanticenses neminem dubitare de istius duelli iustitia. Et pro hac opinione citant etiam Sanchez; sed falso citari contendunt alii, penes quos fides sit.

VII. Verum contra sentio ego de istius duelli iniustitia ambigendum non esse, saltem ad evadendam honoris iacturam quod attinet. Quomodo enim ambigendum, si proscripta eiusmodi doctrina videtur ab Innocentio XI. propof. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit?* Ergo proscripta videtur quoque propositio Salmanticensium his verbis concepta loc. cit. *Si sit periculum vitæ, honoris, aut fortunarum,*

rum, nisi acceptes duellum, illud licite acceptare poteris. Adduntque cum P. Castropalao, non solum acceptari, sed & iudici, ob præfata pericula posse duellum: quod evidentius falsum est. Excusandi tamen sunt peritissimi Salmanticensis, de re theologica optime meriti, mihi que variis titulis magnopere colendi, quod ante damnatam propositionem scripserint, & quod a Sanchez, Palao, Diana, Bonacina, aliisque prius traditam doctrinam acceperint. Quare non animo quidquam doctis, prohibeque Theologis derogandi, sed solum intruendi lectores, data occasione, similia adnotare soleo. Quam protestationem, quamquam alibi fecerim, repetendam tamen mihi sæpius esse opportunum existimo.

VIII. Quod ad periculum vitæ attinet, distinguendum etiam est. Si provocatus ad duellum districto gladio impetitur ab adversario, licite hunc repellere valet. Ceterum si provocans tantum mortem minatur; qua ratione acceptari duellum iure valet? Quia mortem minatur hostis; & tu credis te illam non evasurum, inquitur laudati Theologi. Solæ ergo minæ mortis inferendæ causa iusta erunt conflictum subeundi mortalem tot legibus vetitum? Dicendum, in eiusmodi casu blandis verbis, precibus, evangelicisque monitis placandum esse hostem. Si hæc non sufficiant, ad defensionem paratus sit provocatus. Quod vero duellum acceptare debeat, non video qua ratione licite id valeat: quia, dum hostis in solis minis consistit, nec gladium evaginat, nec aliquo modo aggreditur; non potest dici mortem evitari non posse. Evitari enim semper potest cauta, vigilique defensione: ipsaque provocatio ad duellum, cautum vigilamque ad se defendendum constituit provocatum.

IX. Quod de domorum, agrorumque vastatione subdunt citati Theologi, nisi duellum acceptetur, pariter locum non habere videtur. Licita utique est istorum defensio bonorum. At non apparet, cur duellum unica esse debeat ad defensionem via. Qua fortitudine provocatus posset in duello gladium stringere, eadem a bonorum vastatione repellat aggressorem. Non ei licet, antequam malum imminere conspiciat, ob solas futuri damni minas, subire certamen, vitamque in discrimen adducere. Dum homines malaminantur, eadem se nolle perpetrare indicant, aliisque viis placari possunt. At non est quod diutius in his immoremur.

X. Non minus falsa mihi est sequens propositio quam docent iidem Salmanticensis

loc. cit. num. 40. Si es iniuste accusatus, & condemnatus, & credis a iudice condemnandum; & vel ab accusatore, vel iudice offertur duellum, si vis te periculo liberare, licite illud acceptare poteris ad evitandam mortem, infamiam, aut bonorum iacturam, si non datur alia via evadendi. Pro hac doctrina citant Molinam, & alios, qui, teste ipso Dominico Viva, docuere sequentem propositionem damnatam ab Alexandro VII. Licet interficere accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnari vitare: quæ doctrina finitima est antecedenti propositioni.

XI. Non minus falsa, & erronea est sequens propositio, quam docet P. Paulus Layman Lib. III. tract. III. par. III. cap. III. Si Vir equestris in aula regia officio, dignitate, Ducis, aut Principis favore, nobilitate, suspicionem excidere debeat, nisi identidem provocanti se sistat; non audeo condemnare eum qui meræ defensionis gratia paruerit.

Idemque sentiendum, si ad pugnam laceffens alterum, crebra convicia, & contumelias adiciat: a qua ille molestia, & subeundo dedecore aliter liberare se non possit, nisi armis congregiatur. Nam si ob defensionem bonorum hominem mutilare, vel occidere fas est; multo magis, si ita necesse sit, ad defendendum honorem, vel avertendam contumeliam; quandoquidem honor plus valet quam fortunæ bona, & iniuria personæ maior est quam fortunarum damnum.

XII. Excusandi sunt Auctores isti, quod ante propositiones a summis Pontificibus damnatas scripserint, & quod, dum hæc scribebant, mente illis fortasse exciderit evangelica doctrina: *Orate pro persequentibus, & calumniatibus vos*. Quamquam forte repnent se se orare pro illis ipsis quos occidunt. Nimirum autem fallax est, & putidus paralogismus, quo ex bonorum defensione laudati Auctores occasionem inferunt licitam calumniatoris. Nam si res ipsa divitias auferunt; secus calumniator honorem, qui ex operum honestate assurgit, quique unice curandus est. Honor vero in mundi fallaci opinione situs, sperendus est, ut lex evangelica servetur. Verum de hoc fusius suo loco.

XIII. Causa iusta acceptandi duellum est defensio Reipublicæ, & boni communis, legitima auctoritate interposita, puta ad finitendum bellum inter hostes, Quæ siquidem ratio-

ratione bellum licitum esse potest inter duos exercitus; eadem ratione, immo potiori, restringi potest ad duos, aut quatuor, ut istorum pugna bellum finem habeat. Sic enim plurima præcaventur mala. Et hæc est communis sententia.

XIV. Quæst. IV. Quæ poena constituta sunt in provocantes, & acceptantes duellum? Resp. Concilium Tridentinum sess. xxv. cap. xix. excommunicationis poenam inurit Regibus, Imperatoribus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, aliisque dominis, qui locum ad duellum committendam inter Christianos conceperint; illosque privat iurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiae poenam incurrunt, & ut homicidæ iuxta sacros canones puniri debent; atque, si in ipso conflictu deceferint, perpetuo ecclesiastica careant sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint, aut alia ratione ad id quemquam suaserint, aut spectatores fuerint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo subiiciuntur. Pius IV. in *Motu proprio* edito anno 1560. eandem excommunicationem indixit, eamque extendit ad duellum privatum, sicut & Gregorius XIII. Clemens vero VIII. anno 1592. præfatum excommunicationem Sedi Apostolicæ reservavit, decrevitque incurrere a provocantibus, etiam pugna non secuta. Et anno 1602. Regularibus quoque facultatem ademit absolviendi ab hac censura intra Italiam, & extra urbem, sicut ab aliis casibus.

XV. Recensitas poenas, scilicet infamiam, bonorum proscriptionem, loci in quo duellum peragitur, amissionem non incurrunt Principes, Domini, ceterique, nisi post sententiam declaratoriam, ut communiter Theologi docent. Excommunicatio vero Papæ reservata, cum sit lata sententiæ, ipso facto incurritur ante quamcumque iudicis sententiam.

XVI. Ad sepulturam ecclesiasticam quod attinet, non una est Theologorum sententia. Omnium consensu certum est, duellantes qui in ipso certamine occumbunt, sepultura ecclesiastica privandos esse, tametsi poenitentiam dederint signa. Ratio evidens est, quia Tridentina Synodus, & pontificia diplomata absolute constituunt, morientes in duello plectendos esse sepulturæ ecclesiasticæ privatione, nulla adiecta conditione poenitentiae, vel im-

poenitentiae. Et Romanum Rituale in Rubrica de exeq. hæc decernit: *Negatur ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint poenitentiae signa.*

XVII. Quamquam hæc comperta sunt, & luculenta, nihilominus P. Thomas Tamburinus Lib. VI. cap. 1. §. 3. num. 13. contendit decedentem in loco conflictus, si sacramentaliter confessus fuerit, non esse sacra sepultura privandum: quia, inquit, licet materialiter in loco certaminis moriatur, tamen cum tempus aliquod fluxerit a conflictu ad confessionem, non dicitur in loco conflictus mori. Ad auctoritatem Ritualis Romani iussu Pauli V. editi, respondet, quid amplius esse confessionem sacramentalem quam signa exhibere poenitentiae. Constantinus Roncaglia hanc referens opinionem sua probabilitate non carere docet, atque adeo in praxi tutam. Verum hæc omnia commentitia sunt, nulloque probabilitatis robore fulta. Nam Tridentinum decretum, & pontificia constitutiones eo potissimum spectant ut duella de medio tollant poenarum terrore. Quare ex ipso præcipuo legum fine, & ex verbis absolute prolatis nullaque conditione restrictis, omnibus plane non cæcutientibus patet, eiusmodi morientibus ecclesiasticam sepulturam denegandam esse. Quid quod laudatum Rituale conceptis verbis a sacra sepultura arcet ipsosmet qui poenitentiae argumenta exhibent? Sed inquirunt id intelligendum esse, ut scribit Roncaglia, de signis poenitentiae datis in ipso conflictu, vel physice immediate post conflictum. Si vero fluxerint quatuor, aut quinque momenta temporis a pugna; tunc ne signa non dantur in loco conflictus? Hinc collige, quam efficax sit vel unicus probabilitatis vapor ad offundendam caliginem vel acutioribus oculis. Nimirum futilia hæc sunt, quæ eo unice spectant, ut sacros eludant Canones, legesque ecclesiasticas.

XVIII. Quæst. V. Qui valeant ab excommunicatione ob duellum contracta absolvere? R. Si duellum notorium sit, & ad forum contentiosum delatum, solus Pontifex vel per se vel per alium, cui facultatem conceperit, valet ab hac censura absolvere, quia est Sedi Apostolicæ reservata. Si duellum sit occultum, & ad forum contentiosum non deductum, Episcopus iure ordinario absolvere potest. Quoniam hæc facultas revocata minime est a Clemente VIII. cum in eius *Motu proprio* non exprimat privilegium a Concilio Episcopis concessum. Quæ sententia communior est.

## DISSERTATIO IX.

DE

SCANDALO.

Scandalum caritati oppositum amplam præbet disputandi materiam, gravibusque involutam difficultatibus. Quæ maioris momenti sunt, in examen venient. Laxius quam par erat Casuistarum non pauci hoc de argumento scripserunt. Idcirco sub disputationis initium nonnullas illorum propositiones a scandalo, ut ego quidem arbitrator, minime vacuas indicabo.

## CAPUT I.

Recensentur propositiones proscriptæ, & laxæ.

I. Sententia damnata ab Innocentio XI. ordine 51. *Famulus qui submissis Umeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Hanc docuere plures Probabilistæ, de quibus suo loco.

II. Coninchius nullum credit ob metum licere pingere idolum, vestem sacerdotalem facere ad petitionem infidelis. . . At credo, gravissimo metu excusari posse, si a te non exoptulenter fieri in contemptum religionis, neque scandalum adsit te ista temnere. Nam fabricatio idoli, & concubinæ pictura intrinsece mala non est, sed sæpe honestari potest. Castropalaus tract. vi. disp. vi. punct. 12. num. 7. pag. 434.

III. De sculptura, aut pictura, idoli est dubium: & quidem ea est licita, quando nec queritur, nec timetur idololatria; cum autem timetur, dico peccatum contra religionem qui eam præbet absque urgentissimo damno. Probatum tum ex lege caritatis, tum quia omnis virtus obligat ut vitentur omnes occasiones eam violandi. Si autem non possum ego non præbere idolum absque gravi damno proportionato non pecco in eo dando. Hurtado de Mendoza in 2. 2. disp. lxxvi. sect. vi. §. 181. apud Dianam coord. Tom. VII. tract. v. ref. 64.

IV. P. Antoninus Diana Tom. VII. coord. ref. 9. n. 6. a scandali peccato liberat mulieres superfluum, maximumque adhibentes ornatum. Sed ego (inquit) puto non pec-

care, etiam si esset superfluum, & maximus ornatus, dummodo sit secundum morem patriæ. Mos ergo patriæ prævalet Evangelio talem superfluitatem prohibenti?

V. P. Lessius tunc solum scandali reas mulieres efficit, cum veste adeo pellucida utuntur, ut pudenda appareant. Tertio ratione scandali, ut si quis uteretur veste adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non satis tegerentur. Lib. IV. de iust. cap. iv. dub. 14. num. 112.

VI. Muliebres fucos, vultuum, atque capitum exquisitos ornatus mediam habere naturam tum ab honestate, tum a malitia secretam scribit loc. cit. num. 3. Denique pingere faciem, eique varios colores inducere non est per se malum, sed indifferens. Ad divinæ Scripturæ mandata adversus eiusmodi ornamenta, & lenocinia, respondet: Scripturæ illæ vel continent exhortationem, cum nullum verbum præceptivum habeant. . . vel certe propter ædificationem Ethnicorum expediebat illo tempore præcipi. loc. cit. n. 114.

VII. Caramuel in sua Theologia Præterintentionali Tom. II. præcep. vi. quæst. VIII. cas. 2. sequentes scribit conclusiones.

Prima. Possunt famuli tuta conscientia meretricis, aut pellicis mensæ ministrare cibos, non solum communes, sed & calidos, & provocantes ad venerem conditionem, & lectum privarum sternere. n. 2974. Laudat pro sua opinione Azorium, & Dianam, & addit: Consulto non solum cibos communes dixi, quia scio esse omnino maiorem difficultatem, si essent tales qui excitarent venerem: tunc enim iuxta aliquos Theologos deberent famuli a tali servitio desistere, ne in venerem illicitam cooperarentur indirecte. At prudentiores credimus, etiam tales cibos posse sine culpa condiri. Licet ergo venerem incita-

citare? Cibos eam accedentes coquere? Et prudentior haberi Caramuel vult hæc docendo? Sed audi rationem quam affert. Tales cibi possunt sine culpa comedi, etiam a prævidente pollutionem futuram; modo consensum non præbere paratus sit: ergo poterunt cibi condiri, & ministrari. Hæc sufficiat indicasse, ut odio habeantur.

Secunda. Possunt lectum domino, & amaliæ sternere citra culpam venialem, confono Azorio, & Diana allegatis.

Tertia: Non esset peccatum mortale domino, & pellici, alias rem habituris aut lectum procurare hospitio, aut parare meliorem solito, aut floribus fulcire.

Quarta. Non est peccatum conducere pellicem in domum sui domini, tametsi eam peccaturam prævideas.

VIII. P. Thomas Tamburinus Lib. V. in Decal. cap. 1. §. 4. n. 20. An si amicus meus velit ut ego feram munuscula, & similia, turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mittit ad suam concubinam, possum ego sine peccato deferre? Responsum fuit absolute negativa: quia ex una parte hæc actio, licet alias indifferens, est coniuncta cum peccato amici, eiusque concubinæ; & ex alia parte non adeit causa excusans ducta ex famulatu (hoc enim famulis concedit) vel alio detrimento, ut supponimus. Nec enim, si adest quidam modicus rubor, videtur esse regulariter tanti momenti, ut satis excuset. Fateor tamen, si tibi magni esset eiusmodi amicitia, ac vere timeres eam amittere, excusari te posse: quia tum notabilis detrimenti iustus metus accidit.

Idem n. 30. Qui ex officio lecticas humeris portant, vel rhedas agunt, possunt licite pretio conducti puellam ad lascivum adolescentem adducere? Resp. Aio non posse. Id nec excusat ratio famulatus: hi enim famuli, seu subditi non sunt: nec amissio lucri, quia hoc est satis exiguum. Habeo tamen unum apud Navarrum, ex quo aliquid benignius colligi probabiliter potest. Ex his, inquit ille, videtur colligi ratio defendendi multos a peccato, saltem mortifero; modo, ut in casu proposito, non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem, puta eo quod exhibeant ea vi officii sui, vel ob iustam mercedem. Licet enim hæc officia, & obsequia sint valde coniuncta cum peccato; non tamen sunt secundum se, & suapte natura peccata: & ideo seiungi pos-

sunt a peccato per finem diversum, & seiunctum. Hæc ille. Nota illud, officii, vel ob iustam mercedem.

IX. P. Antoninus Diana Tom. VII. coord. tract. v. resol. 43. An ex aliqua iusta causa licitum sit commodare cubiculum alicui peccati ad fornicandum; vel locare domum meretrici, etiam si ob loci circumstantiam, aliquis peccatum admitteret; vel si meretrix domum illam conducens plurimum feminis honestis vicinis noceret. De hoc casu olim interrogatus fui: nam quidam vir nobilissimus instanter ab amico domum eius ad meretricandum petebat. At, si hoc illi denegasset, in gravissimum damnum incidit. Consultuit, an peccaret hoc faciendo. Et respondi negative: quia absque detrimento proprio proportionato hoc denegare minime poterat: & commodare cubiculum ex obiecto non est intrinsece malum, sed indifferens; & ex sola prava abutentis intentione ad malum ordinatur. Ergo &c. Et ita hanc sententiam docet in terminis novissime Marullus.

Hinc a fortiori inferitur contra Navarrum cap. XVII. licitum esse, ex iusta tamen causa, locare domum meretrici; etiam si ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod minime perpetraret, eo loco sibi non concesso; ut ratione situs &c. vel si meretrix domum illam conducens, plurimum feminis honestis vicinis noceret.

Idem Diana resol. 50. An sit licitum donare iudicis concubinæ, ut intercedat apud illum, quia ipsa pergeret ad colloquendum iudicem, & est mortale ratione scandali, cum exponat se vehementissimo periculo peccandi? Negative respondet novissime Sanchez. . . Sed ego non minus probabilem affirmativam sententiam esse existimo, si negotium grave sit, videasque iudicem non tibi esse propitium, speres autem intercessione concubinæ gratum fore: neque alia via appareat, quod possis illum ad servandum tuum ius inflectere, quia non petis aliquid, quod ipsa licite præstare non possit. Nam licet illa intercessione iudex, vel concubina foveant amorem turpem, hoc tu non intendis, neque ullius momenti est causa. Hæc omnia docet Castropalaus Tom. I. tract. vi. disp. vi. punct. 15. num. 2.

Idem resol. 42. Adduxi Franciscum Merollam in disp. Theol. Moral. Tom. I. disp. 11. ubi sic ait. Ex his colligitur, quid di-

„ cendum sit de aurigis deferentibus meretri-  
 „ cem ab uno loco ad alium, quando sciunt  
 „ illam illuc petere ad peccandum. Hi enim  
 „ regulariter excusantur a peccato: quia  
 „ adest causa non amittendi lucrum quod ex  
 „ eo ministerio comparant. Ita ille, & ego.  
 „ X. P. Patritius Sporerius tract. v. in v.  
 „ præcept. Decal. cap. i. sect. III. n. 92. „ Pec-  
 „ cant sine dubio mortaliter regulariter lo-  
 „ quendo pictores pingentes valde turpia,  
 „ & obscœna: & multo magis histriones eius-  
 „ modi valde turpia representantes. . . Di-  
 „ co autem regulariter loquendo: nam in  
 „ casu raro, si tanta esset pictoris, vel his-  
 „ trionis necessitas, ut eo lucro indigeret ad  
 „ victum, vestitum, vel eiusmodi quid ne-  
 „ cessarium, semel aut iterum licere, donec  
 „ alia victus ratio occurrat, permittunt aliqui  
 „ DD. cum Tamburino; dummodo ab sit  
 „ periculum mortale impuræ delectationis ven-  
 „ nereæ. „ Hæc opinio est plusquam laxa,  
 „ ut suo loco dicitur. Secundum enim istos  
 „ Theologos regulariter loquendo scandalum val-  
 „ de turpe, & obscœnum non est licitum.  
 „ Ceterum, si victus, aut vestitus, vel quid  
 „ eiusmodi urgeat, tum scandalum valde turpe  
 „ honestum erit, donec alia victus ratio occurrat.

## CAPUT II.

Quid, & quotuplex sit scandalum.

I. Scandalum, seu offendiculum, definit  
 D. Thomas 2. 2. quest. XLIII. art. 1.  
 quod sit dictum, vel factum minus rectum  
 præbens occasionem ruinæ spiritualis. Quam  
 definitionem amplectuntur universi Theologi.  
 Appellatur dictum, vel factum; ut indicetur  
 actio externa. Sub nomine dicti, vel fa-  
 cti, omisso quoque venit dicti, factive,  
 quæ sit spiritualis ruinæ occasio. Additur  
 minus rectum, ut intelligamus, non modo  
 animum; verum speciem etiam, & apparen-  
 tiam mali rationem scandali subire posse.  
 Præbens occasionem ruinæ. Non requiritur rui-  
 na ipsa; sed sat est occasionem præberi rui-  
 næ, siue sequatur, siue non.

II. Dividitur in activum, & passivum.  
 Activum est quod definitimus, quodque tri-  
 pliciter committi potest. Primum directe,  
 & formaliter, dum quis expresse ruinam spiri-  
 tualem proximi desiderat, quod dæmonum  
 scandalum appellatur: quia nunquam, aut  
 raro ab hominibus, tametsi projectæ con-  
 scientiæ, perpetratur. Secundo directe, sed  
 non formaliter, dum quis proximum expresse  
 inducit ad violandum v. g. castitatem,

non quod intendat malitiam; sed quia inde  
 aliquod temporale lucrum sperat. Tertio in-  
 directe, quando videlicet prævidetur ex tali  
 actione proximum occasionem accepturum  
 peccandi; quod tamen tu non intendis:  
 sed quia potes, & debes scandalum illud im-  
 pedire, actionem tuam suspendendo, ideo  
 peccato scandali delinquis. Hic triplex mo-  
 dus scandali voluntatem spectat. Esset nunc  
 inquirendum, utrum etiam nomine dicti,  
 factive intelligatur non solum id quod ma-  
 lum est, aut speciem mali præfert; sed  
 etiam actio indifferens ex solo eventu mala.  
 Verum hoc infra discutietur.

III. Scandalum passivum est ipsa ruina il-  
 lius qui scandalum patitur, accepta occasione  
 ex dicto, vel facto alterius. Hoc scandalum  
 passivum interdum cum activo coniungitur,  
 quando nimirum alter dat, alter accipit rui-  
 næ occasionem. Quandoque scandalum acti-  
 vum est sine passivo, dum quis peccato suo  
 alterum ad peccandum allicit; sed hic, oc-  
 casione peccandi contempta, constans in vir-  
 tute perseverat. Denique scandalum passivum  
 est sine activo, solumque passivum nuncupa-  
 tur, dum tu nullam peccandi occasionem  
 præbes; alter vero eam sumit vel ex igno-  
 rantia, & infirmitate, vel ex passione, &  
 malitia. Si scandalum passivum ex ignoran-  
 tia, vel fragilitate oritur, pusillorum voca-  
 tur; si ex passione, & malitia, Pharisæorum.  
 Scandalum passivum non constituit speciem  
 peccati distinctam ab illo peccato quod com-  
 mittitur; atque adeo per omnia criminum  
 genera divagatur. Scandalum passivum pusil-  
 lorum alio nomine vocatur datum, Pharisæ-  
 orum vero acceptum.

IV. Ad scandalum in dicto situm revo-  
 cantur cantilenæ, impudica colloquia, ver-  
 borum lenociniis, metaphoris, & allegoriis  
 valde significantibus tecta, quæ nullo modo  
 a scandali pravitate sunt vacua, licet fiant  
 recreationis prætextu. Verba contumeliosa,  
 irridentia, seu quocumque modo irritantia.  
 Item libri obscœni, vulgo Romanzi, qui hodie  
 dum otiosarum muliercularum, nedum  
 iuvenum manibus teruntur. Sententiæ deni-  
 que laxæ subtilibus interpretamentis, vanisque  
 distinctiunculis oblectæ, & fucatæ. Ad scan-  
 dalum quod facto committitur, omnes illæ  
 actiones pertinent quæ vel suapte natura, vel  
 agentis expressa, aut interpretativa intencio-  
 ne, proximo ruinæ spiritualis occasionem exhi-  
 bent; ut sunt nimii mulierum ornatus, illece-  
 brosæ earundem nuditates, & alia innumera  
 facta, de quibus in sequentibus sermo erit.

C A-

## CAPUT III.

De scandalo activo speciali.

I. NON levis controversia est inter Theo-  
 logos, quandonam perpetratur scan-  
 dalum activum speciale, distinctum ab aliis  
 peccatis. Plures contendunt, necessariam esse  
 in peccante expressam intentionem ruinæ spi-  
 ritualis alterius. Nolunt te scandalum com-  
 mittere peculiare, tametsi tuo pravo exem-  
 plo fornicationis, aut furti proximum ad for-  
 nicandum, vel furandum reipsa inducas; dum-  
 modo non intendas expresse hanc ruinæ spi-  
 ritualis occasionem præbere. Quam opinio-  
 nem defendunt Azorius Tom. I. Lib. III.  
 cap. VII. quest. 1. Bannez in 2. 2. quest.  
 XLIII. art. 4. dub. 1. Ioannes a S. Thoma  
 1. 2. quest. XVIII. disp. x. art. 1. diff. 4. Ca-  
 stropalaus tract. VI. punct. 3. num. 8. Tho-  
 mas Sanchez Lib. I. in Decal. cap. VI. num.  
 3. & alii.

II. Altera sententia negat hanc expressam  
 in peccante intentionem requiri; sed sat esse  
 te ponere actionem, aut dictum proferre quod  
 probabiliter existimas futurum esse ruinæ spi-  
 ritualis occasionem; tametsi hanc directe,  
 & expresse non intendas. Hanc defendunt  
 Navarrus in Manual. cap. VI. num. XIX. Va-  
 lentia 2. 2. disp. III. quest. XVIII. punct.  
 2. Suarez de carit. disp. x. sect. II. Petrus  
 Soto lect. IX. Loica disp. LXI. quest. XLIII.  
 Coninchus disp. XXXIII. num. 45. Salman-  
 ticenses tract. XXI. cap. VIII. punct. 5. Ta-  
 pia Lib. III. quest. XVI. art. 3. Prado cap.  
 XV. quest. x. num. 26. & alii plures. Hæc  
 est vera sententia, quam conceptis verbis do-  
 cet D. Thomas 2. 2. quest. XLIII. art. 1.  
 ad 4. Quando aliquis suo malo facto, vel ver-  
 bo intendit alium ad peccandum inducere, vel  
 etiam si hoc non intendat, & ipsum factum  
 est tale quod de sui ratione habet quod sit in-  
 ductivum ad peccatum; puta cum aliquis  
 publice facit peccatum, vel quod habet simi-  
 litudinem peccati: & tunc ille proprie dat oc-  
 casionem ruinæ, unde vocatur scandalum acti-  
 vum. Rationes perviæ sunt. Scandalum di-  
 cto, vel opere exteriori perpetratur. Super-  
 vacanea ergo est interior animi intentio. Qui  
 igitur exterius causam deliberate ponit quam  
 consequi ruinam spiritualem proximi prævi-  
 det, aut prævidere tenetur; eo ipso indire-  
 cte, & reipsa vult effectum probabiliter causam  
 a se positam consequentem. Quid ita-  
 que refert quod eiusmodi ruina sit primario  
 & expresse, vel secundo & indirecte in-  
 tenta? Tunc quippe specialis malitia com-

mittitur contra aliquam virtutem, cum id  
 ponitur quod illam virtutem destruit. Sed  
 cum peccatum exterius perpetratur, ex quo  
 proficisci damnum spirituale alterius prævides;  
 reipsa bellum indicis caritati, & correctioni  
 fraternæ, cuius est bonum spirituale proxi-  
 mi promovere. Quæ omnia pluribus exemplis  
 confirmari possunt. Qui cognoscit uxorem pro-  
 ximi, tametsi non intendat ad eam ut con-  
 iugatam accedere, adulterium committit: quia  
 circumstantia coniugii voluta est in ipso ac-  
 cessu. Qui res sacras furatur, sacrilegio se  
 inficit, licet sacrilegium expresse non intendat.

III. Longius has rationes producerem, alias-  
 que adicerem, & adversariorum argumenta  
 diluerem; nisi totum dissidium in verbis dum-  
 taxat situm esset. Omnes liquidem utriusque  
 sententiæ Theologi conveniunt, duplex tum  
 peccatum committi: puta, si tuo furto alium  
 ad furandum inducis, quamquam id animo  
 directe non intendas; duplicis furti, tui  
 nimirum, & alieni, reus evadis. Et hanc  
 circumstantiam necessario in confessione pan-  
 dendam, docent omnes prioris sententiæ Au-  
 ctiores. Totum ergo discrimen utriusque opi-  
 nionis in hoc vertitur, quod prioris sententiæ  
 patroni hoc peccatum, tuo pravo exemplo  
 patratum, scandalum vocant generale; atque  
 adeo non specie, sed solo numero distinctum.  
 Tuo furto alium ad furandum, tua fornicatione  
 ad fornicandum induxisti: duplici furto,  
 duplici fornicatione te polluisti; & ut pœ-  
 nitentia iustus fias, utrumque crimen confite-  
 ri debes. Posterioris sententiæ Theologi hoc  
 peccatum ex tuo scandalo profuens, scanda-  
 lum vocant speciale, a furto tuo, vel forni-  
 catione specie distinctum. Addunt etiam, in-  
 citantem ad furandum, vel fornicandum suo  
 pravo exemplo, ultra peccatum speciale scan-  
 dali, duo furta, & duas fornicationes nu-  
 mero distinctas perpetrare, alteram propriam,  
 & alteram alienam. Verum, ut dixi, discrimen  
 ad metaphysicam disputationem reduci-  
 tur; cum omnes fateantur circumstantiam  
 scandali peccatum grave esse in confessione  
 aperendum. Quod autem sit generale, vel  
 speciale scandalum istud, ad praxim quod  
 attinet, valde parum negotii facessere debet.

IV. Obiicies. D. Thomas 2. 2. quest.  
 XLIII. art. 3. expresse asserit scandalum non  
 esse speciale peccatum, nisi cum animo de-  
 liberato quis aliorum ruinam intendit. Scan-  
 dalum activum, inquit, potest sumi dupliciter:  
 per se scilicet, & per accidens. Per accidens  
 quidem, quando est præter intentionem agen-  
 tis; ut puta, cum aliquis facto suo, vel verbo

57001-

inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinae, sed solum suae satisfacere voluntati. Et sic scandalum activum non est speciale peccatum: quia quod est per accidens, non constituit speciem. Per se autem est activum scandalum, quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum. Et sic ex intentione specialis finis sortitur rationem specialis peccati. Idque confirmat in responsione ad 3. ubi ait: Scandalum non habet rationem specialis peccati ex praedicta circumstantia (videlicet quod peccatum factum sit in publico) sed ex intentione finis. Resp. Recolenda est doctrina quam ex eodem Angelico num. 2. dedimus, intentionem scilicet peccantis duplicem esse, alteram expressam, interpretativam alteram. Item peccatum quod suapte natura inducit alterum ad peccandum, distinguendum est a peccato quod hanc vim non habet. Quando ergo nec intentio expressa agentis, nec peccatum palam perpetratum illius generis est quod alios ad peccandum pertrahat, non committitur scandalum speciale. Ceterum, cum peccatum natura sua alios ad peccandum allicit, & deliberato animo quis illud coram perpetrat, adest intentio, seu expressa, saltem interpretativa; atque adeo scandalum speciale. Melior non occurrit via conciliandi textus D. Thomae.

V. Convenit tamen penes omnes, eum qui suo pravo exemplo alterum ad furandum, ad fornicandum impellit, ad restitutionem damni quod inde sequitur non astringi. Quippe si solum restitutionis lege devinciuntur qui sunt causa moralis cur alii aut furentur, aut fornicentur, aut damnum quodcumque temporale proximo inferant. Porro qui exemplo dumtaxat alios pelliciunt, occasio, non causa moralis sunt damni illati. Salmanticenses tract. XXI. cap. VIII. punct. 5. §. I. num. 57. contendunt restitutioni obnoxios haud esse vel illos qui expresse intenderent alios inducere ad damnum inferendum. Quod sane mihi non probatur. Qui verbis alteri suadet, illumque re impellit ad furandum, omnium consensu restitutionis oneri subiacet. Porro qui suo exemplo expresse intendent, & re ipsa efficiunt, ut socii furentur, seu ut aliorum fortunas pessumdent; non video cur liberi a restitutionis debito sint dicendi. Circumstantiae tamen spectandae sunt. Si intentio omnino interna sit, & scandalum patienti prorsus ignota, tum non videtur in alterius furtum influere; atque adeo nec onus inferre restitutionis. Ceterum si intentio suadendi damnum factis, tamen non verbis, exprimat, hoc

in casu eum a restitutione non eximerem qui suo exemplo hac intentione alterum ad furandum, seu damnum inferendum impelleret.

#### CAPUT IV.

Unde colligendum est, scandalum esse peccatum mortale, vel veniale? Eiusdem gravitas, & vitandi necessitas.

I. Scandalum activum peccatum mortale est, cum quis suo pravo exemplo alterum ad peccatum mortale impellit. Sed semper praec oculis habenda est distinctio scandalum directi, dum quis directe proximi ruinam spiritualem intendit; & scandalum interpretativi, ac indirecti, quod absque expressa agentis intentione alium ad peccandum inducit. Scandalum activum est peccatum mortale, cum quis alium in peccatum mortale impellere intendit actu peccati mortalis, vel etiam actu peccati venialis, si animo impellere alterum intendat in peccatum mortale. Scandalum passivum est veniale, dum quis ex alterius peccato non labitur; sed ad lapsum disponitur; mortale vero est, si in mortale ruat. Haec omnia docet Angelicus in IV. dist. xxxviii. quaest. 2. art. 2. quaest. 3. Ad tertiam questionem dicendum, quod duplex est scandalum, activum scilicet, & passivum, & utrumque quandoque est mortale peccatum. Passivum quidem peccatum mortale est, quando aliquis ex peccato alterius ruit in mortale peccatum; sive factum agentis sit bonum, sive indifferens, sive malum mortalis, aut venialis peccati: sed veniale peccatum est, quando ex facto alterius quomodocumque non ruit, sed disponitur ad ruinam; sicut qui impingit, disponitur ad casum, etiamsi non cadat. Unde Glossa Rom. XIV. scandalum contristationem nominat. Sed activum scandalum potest accipi dupliciter. Uno modo formaliter, quando scilicet est speciale peccatum, ex hoc quod intendat alium scandalizare; & sic si intendat proximum inducere in peccatum mortale, mortaliter peccat; si autem intendat inducere ad aliquod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem scandalum: quia si intenderet inducere in peccatum veniale per actum peccati mortalis, peccaret mortaliter; sed hoc accideret scandalo. Alio modo materialiter, quando est circumstantia peccati, quia non intenditur proximi nocumentum; & tunc idem iudicium est de scandalo, & de actu quo aliquis scandalizat; qui quandoque est veniale, quandoque mortale peccatum; nisi forte esset indifferens habens similitudinem peccati mortalis:

talis: tunc enim scandalum activum esset peccatum mortale, cum ex aliquibus circumstantiis concurrentibus existimari probabiliter posset quod infirmi aspicientes peccarent mortaliter.

II. Similia habet Angelicus 2. 2. quaest. xliii. art. 4. Scandalum activum, si sit per accidens, potest esse quandoque quidem peccatum veniale; puta cum aliquis vel actum peccati venialis, vel actum qui secundum se non est peccatum, sed habet aliquam speciem mali, cum aliqua levi indiscretionem committit. Quandoque vero est peccatum mortale, sive quia committit actum peccati mortalis, sive quia contemnit salutem proximi; ut si pro ea conservanda non praetermittat aliquid facere quod sibi libuerit. Si vero scandalum activum sit per se, puta cum intendit alium inducere ad peccandum, si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale, & similiter, si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis.

III. Ut haec D. Thomae doctrina intelligatur, illud animadvertendum quod ille ipse docet art. 1. quodque dedimus supra. Innuere hic Angelicus videtur, scandalum non constituere peccatum specie diversum, cum ex prava peccantis intentione expressa non proficiat, quod laudatae doctrinae repugnat. Satis quippe est intentio interpretativa, & virtualis, ut in ceteris peccatis palam est. Qui alterius tamam denigrat verbis detrahentibus, verus detractor est; qui in loco sacro fornicatur, sacrilegio polluitur; si occiderit hominem, homicida est; tamen si expresse nec de fama, nec de Ecclesia, nec de proximi iactura cogitaverit. In his, & similibus actibus adest voluntas interpretativa, eo quod peccans animum intendere tenetur ad ruinam quae actionem suam consequitur. Cum itaque Angelicus dicit scandalum per accidens, non esse peccatum speciale, verum habet; dum est omnino per accidens, seu nullo modo volitum: quod tunc contingit, dum quis actionem culpabilem coram aliis committit quae natura sua ad peccandum alios non impellit; & peccans nullo modo aliorum spiritualem ruinam intendit. Ceterum cum peccatum perpetratum natura sua alios inficere aptum est; tunc dici nequit, nullo modo esse volitum: quod tunc contingit, dum quis actionem proximi iacturam: est enim volita interpretativa, & indirecte. Idque patet ex eodem Angelico, qui cit. art. 3. haec subdit: Unde sicut furtum est speciale peccatum, aut homicidium propter speciale nocumentum proximi, quod intenditur; ita etiam scandalum

est speciale peccatum, propter hoc quod intendit speciale proximi nocumentum. Liqueat autem neque in furto, neque in homicidio requiri expressam, sed sufficere interpretativam intentionem. Si expressa intentio necessaria foret ad scandalum speciale, raro scandalum occurrerent, contra evangelicum oraculum: *Vae mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala*: Matth. xviii. Verum, quemadmodum indicavi supra, ad praxim quod attinet, omnes fatentur scandalum, etiam absque hac expressa intentione, circumstantiam peculiarem esse necessario in confessione pandendam: idcirco a severiori discussione abstineo.

IV. Quanta sit scandali malitia, colligi potest ex verbis Christi Domini dicentis Matth. xviii. *Vae mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit*. Nec minorem incutiunt terrorem quae praecedunt verba: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*. Illa particula *Vae* enormem scandali malitiam praefert. In mola asinaria collo illius suspendenda qui scandalum praebet, ut in pelagi profundum demergatur, aeternum supplicium in imo Tartari loco representatur. In illo propositionis membro, *Vae mundo a scandalis*, Evangelista scandalorum multitudinem indicat. Maxima quippe hominum pars scandalorum causa damnatur. Mutuo se se homines malitia inficiunt, & ad peccandum invicem alliciuntur. Quoquo-versum grassatur, & ubique serpit scandalorum contagium. Blasphemiarum, & iuramentorum clamoribus terra resonat, & aether. Impudicitiae virus verbis, factisque se se effundit in oculos, in aures, intimosque pervadit sensus. Simoniae, avaritiae, detractiones limitibus omnibus verecundiae, honestatis, & pudoris superatis, loca quaeque pervadunt. Bonorum oppressiones, & fanioris doctrinae infectatio, opinionum sensibus lenocinantium inventa, & innumera alia vitia scandala sunt gravissima. Istorum necessitas indicatur verbis istis: *Necesse est ut veniant scandala*. Huius particulae significatus is est: malitia hominum posita, consequens fit ut scandala erumpant. Succensa illa scelerum faces nequeunt diu in animorum abditis siltere; sed foras incendium evomunt.

V. Declinandi scandali gravissimam necessitatem ostendit Christus Dominus Matth. v. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum.*

eum, & proice abs te. Expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Hoc idem repetit & Matth. XVIII. & Marc. IX. Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam. Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam. Quibus verbis extremam fugam, summamque a scandalo separationem Christus indicat, ut Patres interpretantur. Audiamus Chrysostomum in hunc locum hom. XVII. in Matth. Quod si de membris ista predicaret, nequaquam vel de uno, vel de dextro id oculo, sed de utroque promiscue assereret. Qui enim scandalum patitur ab oculo dextro, haud dubie ipsum etiam a sinistro patietur. Quam igitur ob causam dextrum oculum posuit, & manum adiecit? Ut nempe disceres, non de membris verba fieri, sed de iis quos nobiscum familiaritas copulavit. Quamvis igitur tantum aliquem diligas, ut eum tuos ad usum oculi dextri adinstar adhibeas; aut tibi quempiam esse utilem arbitrare, ut eum dextera manus ducas loco; & hi tamen anime tue salutem offendiculum præbeant: etiam istos a te abscinde. & diligentius vim ipsam sermonis expende. Non enim dixit: Ab talium convictu, & societate discede: sed quam maximam separationem significant. Erue inquit, & proice abs te.

VI. Similia profert Augustinus Lib. I. de serm. Dom. in monte cap. XIII. Quidquid est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur: solet enim & ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam ita dici: Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plusquam oculos meos. Quod autem additum est dexter, fortasse ad augendam dilectionis vim valet. Quamquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intenduntur, & si ambo intenduntur, equaliter possint; amplius tamen formidant homines dextram amittere: ut iste sit sensus: Quidquid illud est quod ita diligis ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, & proice abs te. Hinc colligas velim, quam sanctorum Patrum, quin & Evangelistarum doctrinæ adversæ sint recentiorum quorundam opiniones, qui vanis distinctiunculis Christianos in proximis peccandi occasionibus degentes fovent, illisque patrocinantur.

## CAPUT V.

Reticenda ne veritas est vite, doctrinæ, & iustitiæ, ut scandalum vitetur?

I. Magni momenti quæstionem aggredior. Numquam fuit ab odio, atque invidia veritas seiuncta. Verum, si hostibus abundavit, defensoribus minime caruit. Triplicem distinguit Angelicus Doctor veritatem, vitæ, doctrinæ, & iustitiæ, 2. 2. quæst. XLIII. artic. 7. ad 3. In veritate vitæ, doctrinæ, & iustitiæ, non solum comprehenditur id quod est de necessitate salutis, sed etiam id per quod perfectius pervenitur ad salutem.

II. Veritas vitæ in humanarum actionum ad divinam legem conformitate, in operum pietatis, & virtutis rectitudine splendet. Doctrinæ veritas in iis sita est quæ ad intellectum pertinent. Hæc fidei divinæ arcana reserant, morum præcepta, & consilia edisserit. Veritas iustitiæ proximum spectat: quæ hominum societatem dirigit, & mutua commercia ad æquitatis, iurisque leges revocat. Quibus positis, Angelicus docet primum generatim, numquam esse absolute veritatem dimittendam propter vitandum scandalum. Scandalum activum numquam est sine peccato facientis. Nulla autem de causa debet aliquis inclinari ad peccandum: unde debet potius omnia prætermittere quam scandalum activum facere: neque umquam propter scandalum activum vitandum potest dimitti veritas: quia quicumque veritatem sequitur, non scandalizat active (cum scandalum activum sit dictum, vel factum minus rectum.) Unde cum queritur, utrum veritas sit dimittenda propter scandalum, non intelligitur quæstio de scandalo activo, sed de passivo, quod interdum est sine peccato facientis illud unde occasio scandali sumitur; quamvis numquam sit sine peccato eius qui scandalizatur. Et ideo, cum queritur, quid sit dimittendum propter scandalum passivum, nihil est aliud querere, quam quid homo dimittere debeat, ne alius peccet. Cum autem homo ex ordine caritatis se plusquam proximum in spiritualibus diligere teneatur; nullo modo aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet. Quicumque autem relinquit veritatem, peccat. In IV. dist. XXXVIII. quæst. XI. art. 4. quæstiunc. 1. Paucis exponitur universa hæc Aquinatis doctrina. Scandalum activum semper est peccatum. Qui veritatem reticet, scandalo activo poluitur. Numquam vero peccare licet, ne alius peccet. Ergo veritas dimittenda non est, ut vitetur scandalum passivum. Verum quia quæque regula

gula suas excipit appendices, idcirco sequentibus quæstiunculis rem totam expediam.

III. Quæst. I. Veritas vitæ est ne interdum dimittenda propter scandalum passivum vitandum? Resp. Ad veritatem vitæ pertinere diximus opera divina lege præscripta. Duplex eiusmodi lex: altera negans, adfirmans altera. Numquam licet violare aliquod præceptum iuris naturalis negativi propter scandalum vitandum. Quoniam eiusmodi præcepta obligant semper, & pro semper, in omni loco, tempore, & circumstantia, nulla personarum conditione excepta. Quapropter numquam mentiri, fornicari, innocentem persequi, vel interficere, ceteraque id genus perpetrare licet ob quodcumque scandalum vitandum. Præcepta iuris adfirmantis, seu positivi, cum pro semper, & in omni circumstantia minime obligent, sunt quandoque ob vitandum scandalum dimittenda. Hac ratione præceptum correctionis fraternæ implere non teneor, cum prudenter prævideo peiorem ex correctione evasurum fratrem, quia tunc hoc præceptum non urget. Opponit sibi Angelicus peccatum saltem veniale committendum esse, ne proximum offendiculum grave patiat. Cui obiectioni sic respondet. Dicendum, quod homo peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur, nec bene facit committendo: quia ad vitandum aliquod peccatum non inclinamur principaliter ex damno proprio (quia hoc esset desistere a peccato timore poenæ) sed inclinamur, ne Deum offendamus, cuius offensæ est etiam veniale peccatum, quamvis non ita magna sicut mortale. Nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendant multum. Quia homo debet in infinitum plus diligere Deum quam proximum. Et ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum scandalum; dummodo actus eius ex tali causa factus, peccatum veniale remaneat. Est enim oppositio in adiecto, si dicatur quod aliquis debet peccare, aut bene facit peccando. Contingit tamen aliquem actum ex tali causa factum non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset, sicut dicere verbum otiosum: iam enim non esset otiosum, cum non careret causa pia utilitatis. In IV. dist. XXXVIII. quæst. XI. artic. 4. quæst. III. ad 2.

IV. Quæst. II. Opera spiritualia que ad salutem non sunt necessaria, omitti ne licite possunt ad scandalum vitandum? Resp. Duplex scandalum, ut dictum est supra, Pharisæorum, & pusillorum. Illud ex malitia, hoc ex infirmitate proficiscitur. Quemadmo-

dum opera necessaria ad salutem numquam sunt propter quodcumque scandalum dimittenda; sic illa sine quibus salutem assequi possumus, occultanda, vel differenda interdum sunt, ut infirmorum scandalum declinetur, donec pusilli doceantur. Quod si post redditam rationem illius quod iuste peragitur, in ignoratione persistere velint, resurgantque rationibus acquiescere: iam ignorantia innoxia non est, eorumque scandalum pharisæicum evadit, quod est contemnendum. Spectanda tamen est hominum conditio, antequam decidatur, ignorantiam noxiam esse, scandalumque pharisæicum. Quippe alii præ aliis hebetiores sunt, qui tenacius præiudicata opinioni adherent; & usum, consuetudinem, aliasque præceptiones, quibus diu præoccupati sunt, rationibus anteponunt. Quare caritate opus est, & patientia, quamdiu exultimari prudenter potest eorum ignorantiam ex infirmitate proficisci. Quæ si diuturna nimium fuerit, vix iudicari a malitia poterit immunis. Hæc omnia docet Angelicus 2. 2. quæst. XLIII. art. 7. Quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis que non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando; & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur; quod esse contemnendum Dominus docet, Matth. XV. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & huiusmodi scandalum est pusillorum: propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda. Similia habet Angelicus in IV. dist. XXXVIII. quæst. II. art. 4. quæst. 2. ubi rationem reddit cur scandalum Pharisæorum contemnendum sit: quia videlicet si propter hoc scandalum vitandum consilia, & opera spiritualia dimittenda forent, locus aperiretur impiis omnia interturbandi, & cum velent, perfectionis facinora impediendi. Sic ergo, inquit, distinguendum est in scandalo passivo: quia quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur, & alios turbant propter opera lucis, quasi filii tenebra-



num; & hoc est scandalum Phariseorum, ut Bernardus dicit: & propter hoc scandalum passivum nullo modo consilia sunt dimittenda: quia sic iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde Dominus dixit de Phariseis, qui ex malitia scandalizabantur ex factis, & dictis eius: Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Quandoque autem oritur ex ignorantia, vel infirmitate; & hoc dicitur, secundum Bernardum, scandalum pusillorum, qui non cognoscunt veritatem, & propter hoc de operibus veritatis turbantur. Et hoc scandalum cavet Dominus, Matth. xvii. ubi dicit Petro: Ut autem non scandalizemus eos &c. & cavere docuit, Matth. xviii. Unde propter tale scandalum passivum consilia sunt ad tempus intermittenda, vel occulte agenda, non autem omnino dimittenda: quia homo plus sibi quam proximo in spiritualibus providere debet: & ignorantia, si diu duret, in malitiam per obstinationem commutatur. Tamen attendenda est quantitas scandali, & boni quod contingit ex consilio servato: & secundum hoc aliquando consilia sunt præmittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemendum propter consilia.

V. Quæst. III. Est ne veritas doctrina reticenda, ne scandalum oriatur? Resp. Distinguit Angelicus actum docentis a re quæ explicatur. Actus docentis pertinent ad veritatem vitæ; res quæ manifestatur, ad veritatem doctrinæ. Doctrina est eleemosyna spiritualis; actus vero quibus illa traditur, ad misericordiam, & caritatem pertinent. Et sicut eleemosyna corporalis, ita & spiritualis quandoque propter scandalum differenda est. Veritas doctrinæ tunc præmittitur illicite, dum ex silentio damnnum patitur. Hæc omnia explicat Angelicus in IV. dist. xxxviii. quæst. ii. art. 4. quæst. i. Duo sunt consideranda, actus scilicet docentis, & res quæ docetur. Actus autem docentis pertinet ad veritatem vitæ, sicut & alius actus misericordie: quia doctrina est eleemosyna spiritualis, ut supra dist. xv. dictum est: unde de ea idem est iudicium ac de aliis actibus misericordie, de quibus post dicitur, quod aliquando propter scandalum differri possunt. Sed res ipsa quæ docetur, est quæ pertinet ad veritatem doctrinæ: nec veritas doctrinæ præmittitur, quando aliqua res vera tacetur; sed quando illius veritati præiudicium generatur sive ex contraria doctrina, sive ex taciturnitate aliquorum: & sic propter nullum scandalum est veritas doctrinæ relinquenda. Eam-

dem doctrinam docet D. Gregorius hom. vii. in Ezechielem. Ecce Magistra Veritas, ne in quorundam cordibus gigneretur scandalum, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum, quia generari scandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur.

VI. Propositæ igitur quæstionis decisio hæc est. Doctrinæ veritas prædicanda est quoties ex opinionum laxitate, morum, atque abusuum pravitate detrimentum subit. Præceptum confitendæ veritatis tunc urget, & spiritualis eleemosynæ. Peccant divites, si pauperibus gravi necessitate pressis non succurrunt. Gravius delinquant potissimum Concionatores, Confessarii, Theologi, qui vel vano timore correpti, vel captandæ popularis auræ spe allekti, vel ob procerum favorem indipiscendum, veritatem aut in corde occultant, aut pigmentis, & lenociniis temporis, & genio eandem accommodant. Quæ pro Concionatoribus hoc de argumento D. Carolus Borromæus docet, isthuc transcribam. „Publicorum peccatorum illecebras, „quas homines depravata consuetudinis errore decepti pronihilo putant, Concionator perpetuo reprehendat, atque in summum odium adducere contendat. Spectacula, ludos, ludricasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur: choreas, saltationes ac tripudia, quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet, atque infestabitur: scenicas, personatasque actiones, omnem in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbium ornatum, deformem illam ornandi capitis speciem, muliebres fucos, ac pigmenta, ceteraque adeo ad libidinis incitamentum foede excogitata, omni persuasionum vi, & argumentorum quasi telis oppugnabit. Effusant etiam virorum impensam, & omnem intemperantiam omni studio coarguet. Servorum quorum opera nulla est neque domi, neque foris, multitudinem inutilem ac desidem, supervacaneam dissuadebit. Epulas illas sumptuosas, & comestationes immoderatas a frugalitate christiana alienas, omnis intemperantiæ, impudicitæ,

tiæ, libidinis, aliorumque vitiorum illecebras arguet, increpabit, atque plane dissuadebit. Omnem aleam, omnemque eius generis ludum, unde iurgiis, furto, maledictis, ac aliis malis, maleficiisque quasi fores aperiuntur, graviter obiurgabit, atque exagitabit. Eorum peccatum exagitabit, insectabitur qui ædes suas, quasi ludum aleatorum, exponunt. Multorum otiosam vitam, ac voluptariam ita facile peccatis expositam reprehendet quam sapissime. „In Act. Conc. III. Med. tit. Offic. Conc.

VII. Nec negamus prudentia, & dexteritate opus esse, atque interdum præmittenda quædam aut nimis severa, aut ab hominum captu valde remota, aut ob alias circumstantias loci, & temporis. Cujus rei exemplum Christus præbuit Ioan. xvi. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Verum vix homines hoc egent consilio, cum suapte natura propensi sint ad ea occultanda quæ populi odium, invidiamque adversus se concitare valent; quin in aliud potius extremum, ad aurem scilicet loquendi, mundoque indulgendi, communiter offendunt. Quapropter tam Prophetæ, quam Patres vix unquam adversus Sacerdotes invehuntur, quod sint nimium aperti, ac inconsulti in veritate promenda; sed illos continenter arguunt, quod carnalis prudentiæ caligine obducti, & mundanæ gloriæ comparandæ cupiditate succensi divina præcepta occultent, adulerent, decipiantque populum Dei. Hæc sunt crebræ, ac fere continuæ Patrum declamationes in Concionatores, Confessarios, Theologosque. Plurimis omissis, unius S. Gregorii Magni verba transcribo. „Sæpe namque Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes loqui libere pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodiæ, pastorum studio, sed mercenariorum vice, deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: Canes muti non valentes latrare. . . Hinc rursum delinquenti populo dicitur: Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta; nec aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent. Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnumquam Doctores vocantur qui dum fugitiva esse presentia indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre coarguit: quia dum corripere culpas metuunt, in-

„cassum delinquentibus promissa securitate „blandiuntur; qui iniquitatem peccantium „nequaquam aperiunt, quia ab increpationis „voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correptionis! quia increpationis culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: „Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & „eos qui contradicunt, arguere. Hinc per „Malachiam dicitur: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Hinc per Isaiam Dominus admonet dicens: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit quisquis ad Sacerdotium accedit; ut ante adventum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo, si prædicationis est nescius; quam clamoris vocem daturus est præconis mutus? Hinc est enim quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus infedit, quia nitirum quos repleverit de se, protinus loquentes facit. Hinc Moyse præcipitur ut tabernaculum Sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendant: scriptum quippe est: Ut audiat sonitus, quando ingreditur, vel regreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens, vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta enim Sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere? Prophetæ attestante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitiam. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhaerent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque Sacerdotis opera clament.

VIII. Quæst. IV. Dimittenda ne est iustitia veritas propter scandalum vitandum? Resp. Veritas iustitiæ eas humanas actiones dirigit, quæ proximum nostrum spectant, quæ iura cuique sua reddunt. Huic quæstioni respondet Angelicus in IV. dist. xxxviii. quæst. ii. art. 4. quæst. i. ad i. Iustitiæ actus est reddere unicuique quod suum est. Dupliciter autem redditur unicuique quod suum est. Uno modo, quando datur ei illud quod sibi directe utile est, ut pecunia, vel argentum, vel aliquid huiusmodi, quod sibi sine peccato denegari non potest. Unde, quantumcumque scan-

dalum debeat sequi, iudex debet facere quod ius suum isti reddatur. Alio modo, quando opus iustitiae, quod ad petitionem alicuius redditur, non directe cedit in bonum petentis, sed magis in bonum Reipublicae; sicut patet in illatione poenarum, quibus pax in Republica conservatur, malefactoribus repressis. Unde si iudex qui curam Reipublicae gerit, videt ex infirmitate poena maius incommodum Reipublicae provenire, potest poenam vel praetermittere, vel mitigare: nec alicui in hoc facit iniuriam, quia ipse Reipublicae personam gerit. Et hoc etiam facere debet, quia ex officio tenetur utilitati publicae providere. Hoc autem contingit praecipue, quando Principes, vel aliqua multitudo est in causa, aut aliquis de cuius poena timetur ne schisma sequatur: & ideo dicit Augustinus, quod cum multitudine peccantium agendum est magis monendo quam minando: severitas exercenda est in peccata paucorum. Sed hoc intelligendum est, quando ex dissimulatione peccati Principis, vel etiam multitudinis maius periculum non timetur, quam ex poena. Unde si ex impunitate Principis, aut multitudinis, fidei, & doctrinae veritas, & boni mores corrumpantur, non parcendum est Principi, nec multitudini: quod praecipue contingit, quando peccantes peccatum suum auctoritate, aut potestate defendere moluntur. Unde Isidorus dicit: Hi qui neque a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum delictum quod committunt, vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiant communionis. Non raro delinquentes alicuius gradus, & dignitatis a Praelatis, a superioribus non corriguntur, ob scandali timorem. Sed frequenter eiusmodi scandalum commentitium est, potissimum in Religionibus. Peccata quae privata sunt, solasque afficiunt peccantium personas, possunt ob scandalum evitandum dissimulari. Verum, cum aberrationes, & peccata in damnum commune cedunt, dum aliorum seductio timetur, scandalum, si quod futurum praevideatur, spernendum est: puniendi, & in ordinem redigendi sunt delinquentes. Nec eorum dignitas, & gradus remorari, sed sollicitare potius punitionem debent. Quia quo sunt in maiori gradu, & dignitate, aut existimatione constituti, eo maiorem vitii auctoritatem adiciunt, viam latiore aperiunt, & delinquentibus animos faciunt, sin voce, operibus saltem, factisque. Tunc, inquit Angelicus, scandalo contempto, poenarum severitate plectendi sunt legum publici praevaricatores.

IX. Quaest. V. Sunt ne temporalia propter scandalum dimittenda? Resp. Fuse disputat super hac quaestione Angelicus, eamque distinguit in partes duas. Altera est de bonis alienis nostrae custodiam commissis; de bonis propriis altera. Resolvit bona aliena quorum nos custodes, vel administratores sumus, propter scandalum non esse dimittenda, 2. 2. qu. xliii. art. 8. Temporalia bona aut sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa; sicut bona Ecclesiae committuntur Praelatis: & bona communia quibuscumque Reipublicae Rectoribus: & talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his quibus sunt commissa, ex necessitate: & ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia quae sunt de necessitate salutis. Fulius hanc difficultatem versat in IV. xxxviii. q. ii. art. 14. ubi inter plura haec habet: Aliquando sequitur scandalum passivum ex hoc quod aliquis rem temporalem non donat. Et in hoc distinguendum est: quia quandoque non potest dare sine peccato: vel quia scit illum cui dat, usurum re data in malos usus: vel quia non potest dare rem temporalem uni sine praevudicio alterius; sicut si illi qui gerunt alicuius communitatis curam, dent aliqua ex quorum subtractione fiat peior conditio illius communitatis. Et tunc non debet dare temporalem rem propter scandalum vitandum: quia hoc esset facere contra veritatem iustitiae, aut vitae. Si plura aves, consule hunc locum.

X. Bona temporalia quorum domini sumus interdum propter vitandum scandalum pusillorum negligenda sunt, aut alia via scandalum auferendum. En secundae partis decisionem, quam exhibet Angelicus 2. 2. quaest. xliii. art. 8. Temporalia vero bona quorum nos sumus domini, dimittere ea tribuendo, si penes nos ea habeamus, vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum, quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oritur propter ignorantiam, vel infirmitatem alicuius, quod supra diximus esse scandalum pusillorum; tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Unde Augustinus dicit in Lib. de ser. Domini in monte: Dandum est quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi potest. Et cui negaveris quod petit, indicanda est ei iustitia; & melius ei aliquid dabis, cum petentem iniuste correxeris. Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisaeorum: & propter eos qui sic scandala con-

citant,

citant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occasio) & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.

### CAPUT VI.

Opera spiritualia, vel temporalia differenda, aut occultanda interdum sunt, ut pusillorum, secus Pharisaeorum, scandalum evitetur.

I. EX iis quae delibavimus, liquet, opera quae necessaria omnino sunt ad salutem, numquam esse propter scandalum dimittenda. Omissio quippe operum istorum culpabilis est. Nemo autem, ne alius peccet, peccare debet. Ordine enim caritatis servato quisque seipsum plusquam proximum diligere debet. Distinctio vero in memoriam revocanda est legis divinae praecipientis, & vetantis. Quae a Deo vetantur, genere suo mala sunt, quae peragi propter nullum vitandum scandalum licite possunt. Quae iubentur, non in omni urgent circumstantia: idcirco sine culpa quandoque negliguntur. Verum de his dictum est supra.

II. Opera spiritualia quae sub consilio cadunt, ut scandalum vitetur infirmorum, & ignorantium, qui pusillorum nomine veniunt, aut occultanda, aut differenda sunt, donec reddita ratione scandalum cesset. Quin praeccepta ipsa ecclesiastica dimittenda interdum sunt. Hinc mulier non modo feriatis diebus, verum etiam festis abstinere a Missae sacrificio audiendo debet, si praevideat ob suum egressum e domo futuras rixas, & homicidia; aut se ab homine impudice amandam. Idque ordo postulat caritatis ut negligatur minus ad declinandum maius malum. Minus autem malum est istorum operum dilatio, vel occultatio, quam pusillorum scandalum. Secus tamen dicendum, si operum spiritualium occultationem maiora mala consequerentur. Qua ratione, dum evangelicae doctrinae manifestatio multorum salutis necessaria est, dissimulari minime debet; etiam si hinc quorundam pusillorum scandalum sequeretur: quia multorum salus paucorum salutis praerferenda est. Cum ergo dicitur differenda, aut occultanda esse spiritualia opera ob pusillorum scandalum, id intelligitur, dummodo alia maiora non immineant mala.

III. Scandalum pharisaicum, utpote ex malitia ortum, contemnendum est. Si istius haberetur ratio, omnia perturbarentur. Iniquorum multitudo bona opera odit: omnia

Con. Theol. Tom. II.

negligenda forent ad illorum declinanda offendicula. Nec virtutis omissio bonum, sed malum pareret effectum. Foveret quippe pharisaicam pravitatem, animosque peccantibus adiceret adversus pietatis, iustitiae, & honestatis facinora. Si ad Pharisaeorum malitiam respectum Christus habuisset, abstinendum illi fuisset ab divinae legis promulgatione, a miraculis patranda, ab humilitatis, paupertatis, aliarumque virtutum exemplis. Idcirco contemnenda eiusmodi offendicula docet. Luber iterum sub oculos reducere Angelici doctrinam ex 2. 2. quaest. xliii. art. 7. In his autem spiritualibus bonis quae non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando; & hoc est scandalum Pharisaeorum, qui de doctrina Domini scandalizabant; quod contemnendum Dominus dicit Matth. xv. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & huiusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset.

IV. In articulo octavo eiusdem quaestionis de temporalibus non dimittendis propter scandalum Pharisaeorum sermonem habet. At de his dictum est supra: solum in memoriam revocare rationem expedit cur propter iniquorum scandala non sint nec temporalia dimittenda. Aliquando scandalum nascitur ex malitia, quod est Pharisaeorum, & propter eos qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occasio) & noceret rapientibus, qui rapiendo aliena in peccato remanerent. Haec Aquinatis doctrina fulius in sequentibus patebit.

### CAPUT VII.

Plures de scandalo quaestiuiculae. Naamani Syri idololatria discutitur.

I. H Atenus de scandalo generatim disputatum. Adeo amplum argumentum est, & undique adeo implicatum, ut certae, immobilesque praescribi regulae nequeant. Actiones quippe quae nunc offendiculi expertes sunt, circumstantiarum accessione noxiae fiunt. Quaestiones igitur peculiariae negotium facessere minime parvum solent, resolvendae.

H

II.

II. Quæst. I. *Quandonam actiones quæ a diaphora, seu indifferentes dicuntur, præmittenda sunt, ut scandalum declinetur?* Resp. Quando scandalum oritur ex infirmitate, vel ignorantia, præmittenda sunt actiones indifferentes; dummodo maius malum ex omissione non impendat. Si enim occultanda, aut potrahenda sunt vel ipsa opera spiritualia, etiam vi præcepti imposita, oppido magis omittenda sunt opera indifferentia. Si scandalum sit pharisaicum, omittenda pariter sunt, si absque incommodo fieri possit; secus, si incommodum grave sequatur. Advertendum, quod actiones aliquæ possunt esse absolute indifferentes, quæ spectatis postea circumstantiis malæ sunt, ut infra patebit. Dum absolute indifferentes sunt, remote dumtaxat influunt in peccata; proxime vero, si ob circumstantias malæ evadunt. Accedit etiam quod quo maius est scandalum quod ex actione indifferenti consecuturum timetur, eo maior requiritur causa, & necessitas exercendi præfatam actionem, ut hæc a scandali reatu immunis sit. Ad æquam ergo lancem redigenda sunt tunc incommoda, & damna quæ ex omissione actus indifferentis tibi impendunt; tum scandali gravitas, certitudo, & probabilitas, utrum accidere nec ne debeat. Quibus libratis prudentia christiana expendendum est quid Christi caritas suadeat. Nimis abstracta hæc, & indefinita, sed sicut in sequentibus patentiora.

III. Quæst. II. *Abstinentium ne est ab iis quæ speciem mali præferunt? Utrum Naaman Syrus idololatriæ maculam contraxerit in obsequio præstito Regi Syriæ?* Resp. Plenam alicuius & periculi quætionem aggredimur. A mali specie abstinentium esse, si nulla urgeat necessitas, convenit inter omnes, docente Paulo Apostolo I. ad Thessal. v. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Speciem mali illas præbere actiones dicimus quæ suapte natura malæ non sunt; sed, circumstantiis spectatis, mali quidpiam præferunt. In hoc porro difficultatis cardo volvitur, quandonam ratione circumstantiarum operationes, seu cooperationes malitiam contrahant. Obvia responsio est. Si proxime influant, malæ evadunt; secus, si remote. Si iterum perconteris, unde colligendum sit influxum hunc remotum esse, vel proximum; aqua hæret. Plura inter exempla quæ huic decidendæ quætionem difficultatem ingerunt, celebre est illud Naamani in obsequio præstito Regi Syriæ idolum Remmon adoranti. Factum Scriptura narrat IX. Regum v. Naaman militiæ Regis

Syriæ imperator, loto ex Elisei præscripto in Iordanis amne corpore, lepraque immunis Prophetam convenit, sicque eum alloquitur: *Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.* Scripturæ interpretes, Theologique hoc Naaman obsequium in examen vocant, discutuntque, sit ne idololatriæ labe aspersum. A crimine illud purgant non modo ii quibus olim cultus Sineses ab Ecclesia proscripti probati erant, sed communiter Theologi catholici. Natalis ab Alexandro in *hist. vet. Test. Tom. II. dissert. VII.* nullam isthuc deprehendit religionis simulationem, nullam exhibitam idolo adorationem. Concedit Naamanum post restitutam sibi sanitatem Regem suum ad templum Remmon comitatum esse, eique coram idolo procumbenti auxiliares dedisse manus, quemadmodum alibi sustentare cum solitus erat. Fungebatur enim officio suo æque in templo, ac in aula, & in quocunque alio loco. Regem incidentem sequebatur, cum stante stabat, cum incurvante incurvabatur. Hæc tamen corporis positura, videlicet incurvationis, & genuflexionis, adorationis non propriæ, sed latius acceptæ, nomine significatur. Civile ergo, nulloque modo religiosum, fuisse Naaman Syrii servitium præstitum Regi in templo Remmon, contendunt communiter Theologi catholici. Hac via purgant tum Naamanum, tum Eliseum a quacunque idololatriæ, simulationisque labe. In istius doctrinæ confirmationem adducunt Tertulliani auctoritatem, asserentis: *Licebit adesse in quibusdam quæ nos homini, non idolo, officiosos habent.*

IV. Hugo de S. Charo non minus sapientia quam purpura clarus, & Scripturarum Interpretres celeberrimus, oppositam sustinet opinionem. Crimini reos arguit Naamanum, & Eliseum. Hunc, quod nimium fuerit indulgens; illum, quod falsum cultum simulaverit. Huic sententiæ subscribit Gregorius de Valentia 2. 2. *de fid. disp. 1. q. III. punct. 2.* Si peccavit Eli, inquit Cardinalis Hugo, quod filios non correxerit; quid ni deliquerit Eliseus, qui profelytum in religionis negotio imbuere neglexit?

V. Augustinus Calmet in *dissert. 1. ad Lib.*

*Lib. IV. Reg.* sententiæ adoptat Samuelis Bocharti, qui peculiari super hoc argumento dissertatione singularem exegitavit sententiæ. Contendit ille Naamanum rogasse Eliseum ut veniam sibi a Domino deprecaretur, non pro cultu falso numini in posterum impendendo, sed pro eo quem iam exhibuerat. Quam opinionem ex Hebraico textu eruere se posse existimat. Hic enim est textus originalis. *Ut ignoscat mihi Dominus pro hac re, quando ingrediebatur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, & si adoravi in templo Remmon.* Idque confirmari ex eo potest quod venia de perpetrato peccato, secus de committendo, a Deo efflagitur. Quid magis absolum rationi quam preces Deo fundere, ut nobis ignoscat crimen quod perpetrandum decrevimus?

VI. Istarum opinionum quælibet gravissimis difficultatibus obnoxia est. Prima, inter Catholicos valde communis, tantum mihi negotii fecerit, ut quo me expediam modo, penitus ignorem. Idololatriæ reum omnes fatentur Regem, se idolo Remmon prosternentem. Rei itaque illicitæ, noxiæque operam dabat Naamanus, procumbenti Regi manum porrigens, seque cum illo prosternendo. Ecclesiæ sententiæ peccat famulus qui humeros submittit domino, ut ad constuprandam virginem ascendat. Qua ergo ratione, a crimine solvendus Naaman, dum procumbentem Regem idololatram ut idolum adoret, sustinet? Comparemus invicem & utriusque domini exteriores operationes, & utriusque famuli cooperationes. Accessus ad stuprandam virginem noxius ipsa est. Exterior Regis cultus natura sua superstitiosus est. Nulla super his actionibus disputatio. Servorum cooperationes librandæ. Naaman humeros, vel manum supponit Regi adoranti idolum, unaque cum eo sese prosternit. Famulus humeris sustinet dominum ascendentem in cubiculum mulieris ad fornicandum. Quænam hic discriminis ratio? Si civile dumtaxat est obsequium Naamani; cur civile similiter non erit famuli servitium? Criminosum istud esse Ecclesia definivit: ergo noxium & illud dicamus necessum est. Quin validius, penitusque in crimen idololatriæ insuit Naamani cum rege adoratore procumbentis obsequium, quam famuli auxilium in stuprum a domino, quem adiuvat ut fenestram ingrediatur, perpetrandum. Siquidem famulus hic nec dominum ingrediens cubiculum comitatur, nec proxime

ad actionem ipsius stupri exequendam, sed remotius ad ascensum in cubiculum suppetias præbet. Ultra progreditur Naaman. Ipsam Regis personam externam superstitionem agentem sustinet. Rege simulacrum adorante se se prosternit. Loci, temporis, ceremoniæ, ceteræ omnes circumstantiæ cultus superstitionem produunt. Quid quod ipse Naaman idololatriæ, vel simulationis labe aspersum istud agnoscat obsequium? Non ne Eliseum rogavit veniam istius criminis sibi a vero Deo impetret? Numquid, si adoratio hæc civilis illi fuisset, & innocens, illius veniam a Deo concedendam imploravisset? Tertulliani auctoritas non favet modo, verum etiam aperte contradicit laudatæ sententiæ. Quod ut compertum sit, integram transcribo ex *Lib. idololat. cap. XVI. & XVII.* „ Sim vocatus, nec in sacrificiis sit „ titulus officii, & operæ meæ expunctio. „ Quid tum? Si libet. Utinam quidem nec „ videre possemus quæ facere nobis nefas est. „ Sed quoniam ita malis circumdedit sæculum „ idololatria, licebit adesse in quibusdam „ quæ nos homini, non idolo, officiosos habent. „ Plane ad sacerdotium, & sacrificium „ vocatus non ibo ( proprium enim idoli „ officium est ) sed neque consilio, neque „ sumptu, aliave opera eiusmodi fungar. Si „ propter sacrificium vocatus assistam, ero „ particeps idololatriæ: si me alia causa con- „ iungit sacrificanti, ero tanto spectator sa- „ crificii. “

Cap. XVII. quætionem nostram proponit: „ Ceterum quid facient servi, vel liberi „ fideles, item officiales sacrificantibus do- „ minis, vel patronis, vel præsidibus suis „ adherentes? Sed si verum quis sacrificanti „ tradiderit, immo si verbo quoque aliquo sa- „ crificio necessario adjuverit, minister habebi- „ tur idololatriæ. Huius regulæ memores etiam „ magistratibus, & potestatibus officium „ postumus reddere secundum Patriarchas, „ & ceteros maiores, qui Regibus „ idololatriæ usque ad finem idololatriæ appa- „ ruerunt. Hinc proxime disputatio oborta „ est, an servus Dei alicuius dignitatis, aut „ potestatis administrationem capiat, si ab „ omni specie idololatriæ intactum se aut „ gratia aliqua, aut astutia etiam præstare „ possit: secundum quod & Ioseph, & Da- „ niel mundi ab idololatria & dignitatem, „ & potestatem administraverunt in orna- „ mento, & purpura totius Egypti, sive Ba- „ byloniæ. Credamus itaque succedere alicui „ posse ut in quoquo honore, in solo honore „ nomine incedat, neque sacrificet, neque sa- „

crificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo, aut de publico, aut edendis præsit. Nil solemne pronuntiet, vel edicat, nec iuret quidem. Iam vero quæ sunt potestatis &c. " Duo docet Tertullianus satis comperta. Alterum quod liceat paganis dominis inservire usque ad finem idololatriæ, seu in omnibus iis quæ ad religionem minime pertinent: quod possimus illorum ingredi templa, ut hominibus, non idolis officiosi simus. Hinc servis fidelibus comitari dominos suos ad templa, ad sacrificia pergentes licitum est. Isthic sistentes spectatores, non participes erunt idololatriæ. Alterum, quod si servi eiusmodi consilio, sumptu, aliave opera fungantur in sacrificiis, idololatriæ participes fiunt. In solo, ergo concludit Tertullianus, honoris nomine incedat, neque sacrificet; neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet &c. Quis porro dixerit, Naamanum nulla functum in sacrificio opera si prosternebat se in templo coram idolo, Regique prostermenti brachia submittebat? Si thus adolevisset idolo, esset ne ab idololatria impollutus, quacumque animi interiori habitudine iactata? Porro æque cultum produunt exteriores corporis inclinationes ante idolum, ac flammis adolere penates. Non est ergo unde adorationem Naamani, quam superstitiosam tot circumstantiæ produunt, loci, templi nimirum, temporis sacrificii, aliæque, excusemus a crimine. Quid quod innummeri Martyres, ne similia agerent, mortem atrocem subiere? Interior animi habitudo in verum Deum, cum actio externa falso numini cultus exhibet significationem, non tollit superstitionem; sed hypocrisis solum, & simulatione eam obtegit. Hæc sunt quæ opinionem hanc difficillimam nobis efficiunt.

VII. Altera Bocharti, Calmet, aliorumque eruditorum non minori caret difficultate. Et, ut ceteras versiones mittam, quæ omnes futurum tempus exprimunt, Vulgata nostra, quæ sola nobis authentica est, vel ipsi textui Hebraico præferri debet. Istius textus nobis explicandus est. Quid quod sine maxima vi illata universæ narrationi nec iuxta Hebraicum textum futurum tempus intelligi potest? Victimæ, & hostias simulacro Remmon obtulerat Naamanus suæ religionis olim præservidus cultor. Id sane adfirmare liceret, nullo etiam habito documento. Quoniam vix est reperire hominem adeo proprii numinis

contemptorem, ut præcipua suæ religionis munia negligat. Quare nihil rationi congruentius quam id quod Vulgata nostra narrat, holocausta scilicet antehac diis alienis a Naamano oblata. Non enim, inquit Naamanus, faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hæc adeo rationi congruunt, ut a nemine negari iure valeant. Quo posito, si præteritorum criminum veniam Naamanus efflagitasset; numquid, missis manifestis idololatriæ gravissimis flagitiis, pro levioribus deprecatus fuisset? Nonne sceleratius est holocaustum, & victimas offerre, quam scum Rege procumbere ante idolum, quam eidem prostermenti obsequi, auxiliumque præbere? Nec est quod obiciat penitentiam præterita, non futura, spectare crimina. Quoniam, etsi verum id habeat, si de eadem pressius accepta fermo sit; secus tamen est de dolore periculi, in quod nos incursum prævidemus. Tentationis gravitatem præsentimus, infirmitatem nostram eidem succubituram veremur: ideo in antecessum veniam deprecamur, si casus evenierit. Hoc modo deprecatum fuisse Naamanum, iam iam indicabimus.

VIII. Tertia opinio Hugonis Cardinalis, & Gregorii de Valentia, sua non caret difficultate. Ex una parte textui sancto, & doctrinæ Ecclesiæ, damnantis cultus Sineses, & famuli cooperationem præstitam domino ascendenti ad stuprandam virginem, congruens est. Ex alia parte non parvis video incommodis subiectam. Nam quod S. Eliseus nimia quadam dissimulatione, & indulgentia erga neophytum deliquerit, incredibile apparet; cum illico miraculum ad puniendum peccatum Giezi patriverit. Si Eliseus peccasset, potuisset Giezi illum redarguere hoc pacto: Tu me increpare audes, quod talentum argenti acceperim; cum tu in idololatriam perpetranda consenseris?

IX. Si post doctissimos viros, meam promere sententiam fas esset, dicerem, neque Eliseum, neque Naamanum peccasse. Quoniam nec Eliseus approbavit obsequium exhibendum Remmon, sive Regi adoranti Remmon; nec Naaman post sanitatem obtentam inserviit Regi adoranti Remmon. Ut enim mea præfert opinio, hac ratione textus sacer exponi potest. Naamanus, antequam Eliseum adiret, & veri Dei lumine perfunderetur, cum Rege suo ante idolum procumberebat. Pulsa cum lepra idololatriæ caligine, divina fide illustratus spondit, minime se oblaturum in posterum holocausta, vel victi-

mas

mas diis alienis: Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimas diis alienis, nisi Domino. Verum, quia adhuc erat regis addictus servituti, verebatur ne, sicut antea, deberet Regem templum petentem comitari, illique ante idolum procumbenti manum porrigere, atque cum illo procumbere, quemadmodum antea peragere solebat. Nec tamen id certo futurum esse sciebat Naamanus; sed tantummodo verebatur ne accideret. Hac facta hypothesi, Eliseum urgebat, ut si casu id contingeret, sibi veniam a Deo peteret. Non ergo Naaman enuntiat adorationem absolute futuram; sed posita conditione quod acciderit, veniam deprecatur, auspice Eliseo. Quod hæc adoratio fuerit conditione adiecta a Naamano proposita, patet ex sacro textu. Si adoravero (non inquit, Cum adoravero, sed Si adoravero) in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat &c. Cum Eliseus spectaret suum proscelytum scrupulis anxium, atque angoribus agitatam, solatus eum est hoc responso, Vade in pace; quasi diceret: Macte animo: nil tale eveniet. Noli his suspicionibus animum discerpere. Deus, in cuius potestate sunt Regum corda, non permittit ut impostum Regi in templo procumbenti inservias. Pulsis ergo his perplexitatibus, confide in Domino: Vade in pace. Quid prohibet hoc sensu responsum Elisei, alioquin ambiguum, exponere? Ex Scriptura non eruitur Naamanum post suum ex Samaria in aulam Syriæ reditum reapse cum Rege adorasse Remmon, seu Regi adoranti inservisse. Ex alia parte adoratio, pro qua veniam deprecatur, futura conditione suspensa hæret. In sacro textu non apparet hanc conditionem impletam fuisse. Quid itaque causæ est ne dicamus, reipsa non fuisse executioni mandatam? Quid huic officiat interpretationi, non video. Eam verba sacra patiuntur, quin aliquod proficiatur incommodum. An similia non respondent Confessarii poenitentibus, qui passim relabendi in peccata eodem timore anguntur? Sæpe enim Confessarium alloquuntur: Quid, domine, si in posterum eadem perpetravero crimina? Sentio infirmitatem meam. Ora, quæso, Deum ut mihi ignoscat. Reponit Dei minister: Tranquillo animo esto: Deus te a relapsu servabit: Vade in pace. Oppones, debuisse Eliseum hoc præbere responsum: Cave Naaman ne quid simile egeris; atque respondere debuisse Naaman: Non agam plane; verum hoc solum efflagito ut, si id egero infirmitate urgente,

Conc. Theol. Tom. II.

veniam a Deo mihi impetres. Eia Naaman. Apage lemures, & timores istos: noli esse æquo meticolosior: spiritum indue fortitudinis: Vade in pace. Si hæc tibi non probantur, a te meliora expecto. Quæ ego dixi, sapientum iudicio subiticio.

## CAPUT VIII.

Alia de scandalo quaestio.

I. Quæst. I. Licetum ne est idola, & thus, Ethnicis vendere, fana, & synagogas construere, & cetera eiusmodi, quorum malum prævides usum? Resp. Mira sunt quæ Probabilitæ huic quaestioni respondent. Castropalaus tract. VI. disp. VI. punct. XII. num. 7. cuius verba dedimus supra cap. I. docet, artificem, gravissimo metu perculsum, licite posse infideli petenti idolum construere: quia, inquit ille constructio idoli mala natura sua non est, & sæpe honestari potest. Eandem opinionem docet P. Hurtado Mendoza in 2. 2. disp. LXVI. sec. 6. §. 181. Antoninus Diana, tract. V. Tom. VII. resol. 67. refert hanc opinionem Castropalæ, & Mendozæ, & de more eandem non refutat; tamen dicat sibi contrariam magis probari. Sententia Palæ, & Mendozæ, non modo falsa, sed erronea quæque est, communi Theologorum sensui, & lumini naturæ adversa. Omnes quippe idoli effectioem opus esse genere suo malum adfirmant cum S. Thoma, qui 2. 2. q. clix. art. 2. inquit: Si qua ars est ad faciendum aliqua opera quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi: puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia &c. Itaque ædificatio synagogæ, constructio idoli, aut fani, cum nullo alium usum habeant præter cultum superstitione pollutum, opera sunt, potissimum circumstantiis spectatis, natura sua mala. Idcirco nullo metu, aut vitæ ipsius amittendæ periculo purgari a crimine valent. Quapropter inepta est responsio Mendozæ, & aliorum asserentium, D. Thomam loqui de eo qui idola construit nulla cogente necessitate. Quæ enim suapte natura mala sunt, nulla valent necessitate excusari. P. Thomas Tamburinus Lib. V. in Decal. cap. I. §. 4. num. 38. scribit, urgentissima existente causa (ur esset semel aut iterum, iuxta dicta num. 38. magna paupertas artificis) peccatum vitari: quia quidquid alii dicant, inquit ille, non sunt

H 3

actio-

actiones intrinsece malæ, sed ex se indifferentes, cum idolum possit appeti ad honestos fines, nempe ad ornandam domum, vel ad memoriam antiquitatis conservandam. Hæcenus Tamburinus, qui sic proponit questionem, *Idoli, eiusque templi fabricatio, cum sint ordinata ad idololatriam, non possunt ex se licite præstari in gratiam eius qui ad hunc finem se habet ea velle.* Sermo ergo est de vendendo idolo ei qui idololatriæ causa illud emit. Verum quia ab aliquo emi potest ad domus ornatum, ideo Tamburinus contendit, vendi illud posse etiam idololatriæ. Cur? Quia in abstractione metaphysica venditio est indifferens. Huic falsissimo principio innixus recentior iste plurima docet loc. cit. quæ in propositionibus ab Ecclesia damnatis continentur, de quibus infra.

II. Quæ negotium facessunt, opera sunt media, seu indifferentia, ex solo utentium usu mala, cuiusmodi sunt venditiones thuris Ethnico, agni Iudæo, dum probabiliter, aut certo prævidetur eiusmodi merces in profanum cultum adhibendas fore. Quæ docent recentiores, adversantur antiquorum Patrum doctrinæ. S. Vigilius Tridentinus epistola ad D. Ioannem Chrysostomum narrat, S. Sisinium cum pluribus sociis crudele subiisse martyrium, quod fideles suos a venditione animalium, quæ ab Ethnicis eum sciebat in idolorum sacrificia, retraheret. Theodorus Lib. V. Hist. cap. 111. refert Marcum Arethum extrema passum fuisse mala, quod noluerit vel obolum unum præbere in ædificationem cuiusdam fani quod prius ipse dirui curaverat. Innumera alia suppetunt exempla, quæ missa facio.

III. Tertullianus Lib. de idololat. ample disputat hoc de argumento. In rem meam fore arbitror aliqua isthuc transcribere. Primum falsam deceptionem illorum repellit qui putant tunc solum idololatriæ crimen perpetrari, cum directe, & expresse homines aut victimas immolant, aut thus adolent. Hæc quippe scribit cap. 2. „ Plerique idololatriam „ simpliciter existimant his solis modis inter- „ pretandam: si quis aut incendat, aut im- „ molet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, „ aut sacerdotiis obligetur: quemadmodum „ si quis existimat adulterium in oculis, & „ amplexibus, & in ipsa carnis congressio- „ ne censendum; aut homicidium in sola „ sanguinis profusione, & in animæ ereptione „ reputandum. At enim Dominus quam „ extensius ista disponat, certi sumus, cum „ adulterium etiam in concupiscentia desi-

„ gnat, si oculus quis impegerit libidinosè „ & animam commoverit impudice; cum „ homicidium etiam in verbo maledicti, „ vel convicii indicat. “

IV. Subdit cap. 111. æque idololatriæ reum esse & qui materiam præbet, & qui idolum effingit, fanumque ædificat. „ Neque enim interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an phrygio detexat: quia nec de materia refert an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum... Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus, & servitus; inde & omnis idoli artifex eiusdem & unius est criminis.

V. Deinde cap. v. sibi obiicit solitam illorum excusationem quidam artem, aut servitum deserunt, non habent unde vivant. „ Plane impensius respondebimus ad excusationem huiusmodi artificum, quos numquam in domo Dei admitti oportet, si quis eam disciplinam norit. Iam illa obiici solita vox, *Non habeo aliud quo vivam*, districtius repercuti potest. Vivere ergo habes? Quid tibi cum Deo est? „ Multa in hanc excusationem congerit, quæ missa nunc facio; potissimum quod iterum eandem sibi obiicit excusationem, validiusque confutat.

VI. Cap. xi. in eps sermonem convertit qui thus, aliasque merces quæ in cultum idolorum adhibentur, divendunt, reoque postulat idololatriæ. „ De negotiationibus cetera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum... Viderint, si eadem merces, thura dico, & cetera peregrinitatis ad sacrificia idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturae usui sunt. Certe cum pompæ, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus, negotiationibusque instruuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonstraris? Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controversiam fieri. Graviora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his tantum abscedamus, sed & ab iis per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest si per me. In nullo necessarius esse debeo alii, cum facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo, curandum mihi esse ne fiat per me. „ Denique in alia causa non levioris reatus „ præ-

„ præiudicium istud observo. Nam quod „ mihi de stupro interdictum sit, aliis ad „ eam rem nihil aut operæ, aut conscientia „ exhibeo. Nam quod ipsam carnem meam „ a lupanaribus segregavi, agnosco me neque „ lenocinium, neque id genus lucrum, al- „ terius causa exercere posse. Ecce magis „ proximum præiudicium. Si publicarum vi- „ ctimarum redemptor ad fidem accedat, „ permittes ei in eo negotio permanere? „ Aut si iam fidelis id agere susceperit, reti- „ nendum in Ecclesia putabis? Non opinor, „ nisi si quis & de thurario dissimulabit... „ Nulla igitur ars, nulla professio, nulla „ negotiatio, quæ quid aut instruendis, aut „ formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ.

VII. Postremo cap. xii. sibi denuo obiicit mercatorum, artificum, famulorum supra indicatam excusationem, inquiens: „ Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem ob signatam dicimus: *Non habeo quo vivam.* Iam hic enim plenius illi abruptæ propositioni respondebo. Sero dicitur. Ante enim fuit deliberandum ex similitudine prudentissimi ædificis illius qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne, ubi coeperit defectus, postea erubescat. Sed & nunc habes dicta Domini exempla, adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? *Egebo.* Sed felices egenos Dominus appellat. *Victum non habeo.* Sed, nolite, inquit, cogitare de victu: & vestitus habemus exemplum lilia. *Substantia mihi opus erat.* At quin omnia vendenda sunt, & egentibus dividenda. Sed filiis, & posteritati providendum. *Nemo aratro manum imponens, & retro spectans aptus est operi. Sed conditionalis (id est servus) eram. Nemo duobus dominis servire potest. Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est.* De artibus, & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum, & parentum causa dubitas? Iam tunc demonstratum est, & nobis, & pigmeta, & artificia, & negotia, propter Dominum derelinquenda; cum Iacobus, & Ioannes vocati a Domino, & patrem, navemque derelinquunt; cum Matthæus de telonio fisci tatur; cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus elegit, *Non habeo*, dixit, quo vivam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnen-

„ dam propter Deum quam omne mortis genus. Dicit non respicere vitam; quanto „ magis victum?

VIII. Hæc fusius ex Tertulliano exscripti, ut compertum fiat, quam abludant a vero recentiores illi Probabilistæ qui evulgare non erubescunt, antiquos Patres morum quæstiones non explicasse. Docent illi morum regulas, & Christianorum prætextus expendunt. Idque solum verum habet, Patres eas non agere quæstiones quas recentiores Casuistæ excogitarunt, ut Christianorum excusationibus, quas Patres improbarunt, legem inflectant, & aptent.

IX. Unum tamen contra ea quæ ex Tertulliano adduximus, opponi potest ex Augustino argumentum. Epistola quippe 50. num. 78. licet asserit S. Doctor exhibere diruti idoli pretium Ethnicis, qui ob demolitionem idoli Christianorum sanguinem effundebant: *Si vestrum Herculem dixeritis, porro reddemus... collatis singulis nummis ab artifice vestro vobis emimus Deum. Reddite igitur animas, quas manus vestra contorsit: & sicut a nobis vester Hercules redhibetur; sic etiam a vobis tantorum animæ reddantur.* Hoc responso non aliud Augustinus intendit, nisi redargutionem Ethnicorum, quos provocabat ad animarum restitutionem, quas restituere minime poterant; quemadmodum Christiani refingere possent idola, si vellent, aut illis prætia pro eorumdem instauratione asserere. Ceterum haudquaquam licitam absolute asserit idolorum instaurationem. Accedit quod, cum sermo est non de doctrina, & iure absolute spectato, sed de aliquo facto, quod antiqui Patres narrant; summa cautione opus sit. Plures enim circumstantiæ occurrere tunc potuerunt, vi quarum licitum fuerit opus, quod si mutatis, illicitum fiat. In re cuius usus prævidetur malus, duo sunt præ oculis habenda. Alterum, spectanda res est quæ venditur. Si enim rei traditio natura sua bona sit, & ex sola malitia abutentis mala fieri possit, si iusta tradendi causa surget, non est cur ab illius venditione abstinere debeamus. Alterum spectandum est, num ex rei negatione maius malum secuturum sit: quia ex duobus malis necessariis minus eligendum est. Verum, ut supra dictum est, nequit in hac materia, tot circumstantiis subiecta, generalis regula constitui. Ideo peculiare quæstionum sunt resolvendæ, ut ex earum decisione, quid cavendum sit, clarius, quoad fieri potest, colligatur.

X. Quæst. II. *Graviter ne peccant captivi Christiani, qui in Turcarum navibus remigant adversus Christianos?* Resp. Perdifficilem quæstionem dispiciendam propono. Negantem opinionem defendunt potissimum recentiores Probabilistæ. Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. VII. n. 18.* Molina *Tom. de iust. disp. cxv. concl. 1.* Azorius *Tom. I. Lib. II. cap. XVII. quæst. VI.* Emanuel Sa *in Sum. verb. Peccatorum. 9.* Lopez *I. part. cap. VI.* Tannerus *in 2. 2. D. Thom. disp. I. quæst. IX. dub. 5. num. 144.* Villalobos *in Sum. Tom. I. tract. V. difficul. x. n. 2.* Layman *Lib. II. tract. III. cap. XIII. num. 5.* Naldus *in Sum. verb. Christianus 2. num. 6.* Reginaldus *Tom. II. Lib. XXI. num. 119.* Filiucius *Tom. II. tract. XXII. cap. V. n. 147.* Valquez *opus. de scandalo art. 8. dub. 7.* Diana *coord. Tom. VII. tract. V. resol. 73.* & alii plures, quos ipse laudat. Hæc istorum ratio est, quod cooperatio captivorum remigantium non tam propinqua sit, ut sine illa damnus nihilominus non inferretur: quia alii non deessent qui talem obirent laborem. Accedit quod remigratio quid indifferens sit. Limitant tamen opinionem hanc, cum eo loco constituta res esset, ut, captivis non remigantibus, Christiani victores evaderent: quia tunc bonum Reipublicæ christianæ anteponendum erit propriæ vitæ. Illicitum quoque iudicant tormenta bellica in Christianos explodere, ignem accendere, & id genus similia agere; quod tunc directe damnus Christianis inferatur.

XI. Adfirmantem sententiam defendunt Paulus Comitulus *Lib. V. Resp. Mor. quæst. VIII.* Suarez *Tom. V. in III. part. disp. XXI. sec. 2. num. 60. & 61.* Graffius *Part. I. Lib. IV. cap. XVIII. num. 6.* Sayrus *de Censur. Lib. III. cap. VII. num. 8.* Navarrus *in Manual. cap. XXVII. num. 63.* Toletus *Lib. I. cap. XXIV.* Fernandez *Part. IV. cap. V. §. 4. num. 6.* Ugolinus *Part. II. cap. III. §. 2. de Cens. Papæ reserv.* Henricus a S. Ignatio *Lib. IV. cap. I. num. 500.* Sententia hæc probabilior mihi videtur vero in sensu exposita. Distinguenda sunt diversa remigandi tempora. Primum remigii iusti, Deoque accepti; quod tunc contingit, cum exploratum captivis remigibus est, in pugna committenda Christianos fore victores adversus Turcas. Secundum tempus est belli iniusti, ex quo Christianis vitæ, bonorum, ac libertatis iactura imminet. Tertium tempus remigii est, cum Christianis, in quos cursus navigii dirigitur, nihil aliud imminet præter

bonorum externorum iacturam, remigibus vero vitæ amissio, aut membrorum mutilatio impendunt, nisi in Christianos tres impellant. De hoc tertio remigandi tempore nullum diffidium est. Quippe, si, ut vitam Petri a nece servem, iure possum ad illius externa bona prædanda latrones inducere, paratos alioquin eundem de medio tollere: impendio magis licitum mihi erit ad vitam tuendam meam proximi bona negligere. Non est ergo verita remigatio quæ mihi mortem, alteri tantum bonorum iacturam minatur. Secundi generis remigium in disputationem a Theologis adducitur. Illorumque sententia mihi, ut dixi, probatur qui illam gravis culpæ damnant. Quoniam nullo iure permissum est alteri suppetias ferre adversus eos quos lædere crimen est. Porro nefas est in bello iniusto a Turcis Christianos impeti. Quis inficias iverit, peccare Turcas bello iniusto Christianos opprimentes? Peccant ergo captivi remiges, dum & Turcis peccantibus auxilium præbent, & Christianis infontibus sua remigatione iniuriam inferunt. Accedit quod post proscriptas ab Innocentio XI. propositiones, vix sustineri contraria sententia possit. Si enim nequeunt famuli heros suos cymba pergentes ad constuprandas virgines remigando adjuvare, aut ascendentes per fenestram ad fornicandum scalam tenere, vel humeris eos sustinere; quæ ratione poterunt Christiani captivi sua remigatione Turcarum classem impellere ad Christianorum perniciem? Quanam dispar ratio famulos inter adjuvantes heros adstuprandas virgines, & remiges dirigentes navigium in Christianorum necem?

XII. Oppones. Navigia remis impellere nec vituperationem prodit, nec laudem; sed naturam mediam ab utroque extremo secretam. Licita ergo erit eiusmodi remigatio, ut vitæ propriæ consulatur. Resp. Verum habet, si remigatio per se, & univèrsè spectetur; falsum e contrario, si ut subiacer circumstantiis, expendatur. Innumera suppetunt eiusmodi exempla. Pugnare in bello, re alterius uti, mulierem agnoscere absolute licitum est. At sicut pugnare in bello iniusto, alienam mulierem tangere, rem alterius accipere, iuste repugnante domino, peccatum est; sic navem dirigere adversus innocentes Christianos, eorumque vitam, libertatem, adeo est flagitiosum, ut numquam fieri recte valeat.

XIII. Obiicies. Christiani captivi non eo consilio remigant, ut Christianis exitio sint; sed

sed ne Turcarum tela in alios commota in sua ipsorum iugula revocent. Respondeo, hinc consequi captivos remiges non appetere per se Christianorum necem; at non propterea immunes a culpa evadere. Ut noxam contrahant, sat est ut reapse sua remigatione exitium Christianis inferant. Siquidem nunquam licitum est, nec ad vitam propriam tuendam, innocenti vim inferre. Porro mancipia christiana, dum remis navigia agitant adversus Christianos, istorum mortem, aut perniciem, damnaque eligunt, ut medium quo Turcarum furorem, & supplicia devitent. Nec est quod reponas, te eligere dumtaxat remigandi laborem, minime vero Christianorum necem. Quoniam labor iste per se hoc tempore, & cum hoc genere hostium, causa reapse est iacturæ Christianorum; tamen interior voluntas repugnet. Non secus ac si tyranni perterriti pavore, pugione iugulum meum peteres, quo me interimeres, ut vitæ tuæ consuleres. Tunc enim ad summum eliceretur, te directe & per se nolle mortem meam; secundario tamen, & indirecte mortem meam eligeres, ut vivere ipse quires.

XIV. Nonnullæ adducuntur leges quæ his favere remigibus videntur. Prima est lex *Ut vim. ff. de iust. & iur. Nam iure hoc evenit ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur.* Verum ex hac lege solum inferitur, illatam vim propulsari licite posse. Infantes autem Christiani nullam vim ingerunt remigibus. Altera lex est, *ff. de reg. iur. l. Is damnus. Eius vero, inquit lex, nulla culpa est cui parere necesse est.* Sed neque lex isthæc remigibus favet. Sermonem quippe lex habet de culpa civili, secus de theologica. Fufius has leges interpretatur Navarrus in *com. in cap. Quorumdam de Indeis notab. II.* quem consulere poteris.

XV. Quæst. III. *Potest ne quispiam absque flagitio ad feneratorum accedere, ut pecuniam ab eodem mutuo accipiat quam certe scit sine fenore non crediturum?* Resp. D. Thomas *in III. dist. XXXIX. quæst. III. ad 3.* ubi oppositionem solvit his verbis. *Ad illud quod obiicitur, quod magis debemus amare animam proximi quam utilitatem temporalem, dicendum quidem, verum est de utilitate privata, sed non oportet intelligi de utilitate communi.* Nec verum habet quod opponi solet, videlicet, bonum commune ex privatis bonis coalescere. Quoniam bonum commune haud est quoddam totum integrale ex partibus concretum; sed est rectitudo quædam, & universæ rei iusta administratio, qua unicuique ius suum tribuitur. Quare

bens, respondet, quod qui utitur fide illius qui per falsos deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per demonia iuravit, sed pacto eius bono, quo fidem servavit. Si tamen eum induceret ad iurandum per falsos deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum quod est subventio sue necessitatis, vel alterius.

XVI. Adversus hanc doctrinam opponi solet, spiritualia bona temporariis præferenda esse. Qui ergo fieri potest ut ob temporale commodum liceat passivo usurarii scandalo ansam præbere? Salus animæ altioris ordinis est, quæ ob quamcumque corporalem necessitatem negligi iure nequit. Resp. Spiritualia temporaneis præferenda esse absolute fatentur omnes. Occurrere tamen circumstantiæ possunt ut ordo contrarius servandus sit. Si bona spiritualia communia cum bonis corporeis communibus conferantur, illa his semper antecellunt. Si bonum spirituale privatum cum bono communi temporali compararetur, hoc illi interdum præferatur. Nimum propterea urgent aliqui regulam illam qua asseritur spiritualia temporalibus præferenda: quæ vera utique est absolute, si comparatio recte instituat; falsa, si comparationis ordo invertatur. Invertitur autem, quoties ex una parte statuitur bonum privatum, ex altera bonum publicum. Bonum quippe commune, etiam temporaneum, privato spirituali bono interdum anteferendum est. Neque id adversatur, sed congruit ordini caritatis, & iustitiæ; cum scilicet iactura boni spiritualis ex malitia, seu Phariseorum scandalo, ortum ducit. Hac ratione licite iudex iusiurandum ab Ethnico per falsos deos iurante admittit, ut in adducta doctrina D. Thomas asserit, idemque adfirmat D. Bonaventura in *III. dist. XXXIX. quæst. III. ad 3.* ubi oppositionem solvit his verbis. *Ad illud quod obiicitur, quod magis debemus amare animam proximi quam utilitatem temporalem, dicendum quidem, verum est de utilitate privata, sed non oportet intelligi de utilitate communi.* Nec verum habet quod opponi solet, videlicet, bonum commune ex privatis bonis coalescere. Quoniam bonum commune haud est quoddam totum integrale ex partibus concretum; sed est rectitudo quædam, & universæ rei iusta administratio, qua unicuique ius suum tribuitur. Quare

Bonum commune in rationis, distributionis- que ordine situm est. Eo quippe maior est cuiusque Reipublice communis felicitas, quo exactior est regiminis ordo. Itaque bonum hoc commune altioris ordinis est quam bonum privatum, præferendumque quandoque etiam bono spirituali proximi. *Neque enim* ( inquit Paulus Comitulus Resp. Mor. Lib. V. quæst. ix. ) *plus amanda est anima unius quam bonum commune, atque iustitia publicæ, quam anima sibi etiam ipsi debet anteferre.*

XVII. Quæ hæcenus dicta sunt, minime satisfaciunt oppositioni factæ. Siquidem Petrus ob privatam utilitatem, commodumque peculiare a feneratori pecuniam cum usura restituendam exposcit. Certe quippe agnoscit feneratori non credituram pecuniam sine fenore. Hic ergo utilitatem privatam antefert spirituali proximi salutem. Adeo magnum quibusdam negotium facebat difficultas isthæc ut solutiones plus æquo subriles excogitarint. Eruditus quidam recentior contendit, ideo licitum esse mutuas pecunias a feneratori petere, urgente necessitate, quod periculum indigentem maneat prolubendi in peccatum, nisi hac via suæ consulere necessitati valeat. Siquidem, cum necessitas aut communis, aut privata urget, tanta est hominum infirmitas, ut nisi in talibus constitutis angustiis ius illis esset sibi prospiciendi, periculum immineret peccandi. Quod peccatum ex infirmitate proficiscens, fatius est impedire quam peccatum feneratoris ex malitia profluens. Quot puellæ inuptæ, & impudicitis pollutæ manerent, si noxia esset mutui fenore gravati peritio, necessitate premente? Hæc spiritualis iactura in aliis quoque similibus actionibus occurrere potest.

XVIII. Gratis hæc dicta, & ab universa Theologorum doctrina aliena videntur. Et primum, si petitio mutui a feneratori natura sua mala sit, nequit permitti neque ad evitandum peccatum hominum infirmorum. Deinde bonitas, vel pravitas actionis haud est ex hominum infirmitate colligenda. Petitio mutui ideo licita est, quod alioquin homines delinquerent, nisi hac via sibi prospicere possent egestate pressi? Solutio ergo hæc suspicatur præfatam mutationem genere suo criminofam esse, & de malitia idcirco purgari, ut hominum infirmitati prospiciatur: quod consistere sane nequit. Secernenda prius a pravitate est actio quæque, & postea infirmo permittenda.

XIX. Obvia ergo solutio difficultatis est, quod nos absolute spiritualia temporaneis

præferre debeamus. Sed quid hinc? Numquid cum iactura vitæ nostræ curare debemus ut alii quoque hunc ordinem servent? Numquid fame pereundum, ut obstinati feneratoris peccatum impediatur? Eousque ne urget Christi caritas? Minime gentium. Natura ergo istius petitionis primum omnium expendenda. Sive petitio, sive collatio mutui suapte natura bona est. Rem ergo bonam a feneratori ego postulo. Quod ipse nolit eam exequi absque usura, peccatum illius est, & in ipso ita subsistit, ut nequeat actionem exteriorem inquinare. Tunc enim actiones externæ insciantur, cum obiectum exterius quod insciantur, pravum est. Hac ratione remigatio a captivis Christianis peracta adversus Christianos noxia est, quod illius exterius obiectum sit infantium Christianorum strages. Ascensus per fenestram ad stuprandam virginem malus est ob obiectum exterius pravum. Et sic de his similibus. Pecunia autem mutuati obiectum exterius spectat quod bonum est, indigentis videlicet proximi levamen. Quibus constitutis, quid est quod me prohibeat a feneratori pecuniam petere, qua meæ consulam indigentiam? Caritas, inquis, qua teneor spirituales feneratoris salutem temporaneam meæ egestati anteferre. Sed hoc est quod negatur. Caritas Christi præcipit ut proximo necessitatem patienti succurramus. Quamobrem, ut pusillorum scandalum, quod illi ex infirmitate, vel ex ignorantia patiuntur, vitemus, temporalia postponenda, & contemnenda sunt. Qui vero ex malitia peccant, nulla premuntur necessitate. Istorum scandalum pharisaicum est, quod contemnendum Christus iubet. Nec est quod reponas, hinc sequi, tunc solum nos teneri ex caritate succurrere fratribus, cum ex fragilitate, secus, cum ex malitia peccant. Quo posito, non erit impediendum homicidium, aliudve grave damnum, quod quis non ex iræ impetu, sed ex deliberata malitia perpetrare paratus est; nec corrigendus proximus ex malitia delinquens. Non est, inquam, quod hæc, & similia opponantur: quoniam caritate devincimur tum infirmis, tum iniquis fratribus, quod licet, consulere. Id tantum negatur, nos obstringi propriæ vitæ, aliove gravi detrimento pharisaicum scandalum evitare. Peccare dicimus eum qui nulla cogente necessitate, a feneratori mutuum postulat: quia caritas iubet peccatum proximi impedire, nisi impedimentum illud grave nobis pariat damnum. Caritas, inquis, iubet spiritualia temporalibus præferri.

Iu-

Iubet ergo, reponam, patrimonium nostrum totum erogare, ut impudicitis & scortationi effrontes puellas subtrahamus? Iubet vitam nostram gladiis exponere, sanguinemque effundere, ut duella, & homicidia impediatur? Si crimina quæ ex iniquorum hominum pravitate proficiscuntur, cum rerum temporalium, & propriæ vitæ dispendio impedienda forent; actum esset de humano genere. At iterum obiicis, aliud esse quod non teneamur hominum scelera impedire; aliud oppido diversum quod ansam peccandi præbeamus. Qui mutuari sibi a feneratori postulat, occasionem peccandi præbet. Sed hoc quoque falsum est. Siquidem mutuum petens occasionem porrigit actum virtutis exercendi. Ex sola sua pravitate fenerator hunc actum vitiat, & inquinat. Tota hæc doctrina ex Angelico desumpta est. *Ille qui accipit* ( inquit loc. cit. ad 2. ) *pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuram accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Unde scandalum passivum ex parte sua est, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ex ignorantia, sed ex malitia.* Haud ergo necesse est confugere ad causam aliquam spiritualem, quæ neque in mutui petitione, neque in aliis similibus elucet, ut Phariseorum scandalum contemnatur. Et quamvis Christus occasione prædicandi Evangelii contemnendum improborum scandalum docuerit; id tamen minime limitavit pro solis spiritualibus bonis; sed absolute neglegendam Phariseorum improbitatem asseruit, dummodo iusta causa adsit. Iustam porro causam asserimus necessitatem succurrendi propriæ egestati, gravibusque incommodis. Ordo quippe rerum turbaretur, si ob iniquorum hominum malitiam civile commercium, mutationes, & id genus similia officia omittenda essent. Sed nimium fortassis disputatum est.

XX. Quæst. IV. *Peccat ne mortaliter qui aut nulla cogente necessitate, aut ab homine non parato ad fenus, mutuas pecunias petit cum usura restituendas?* Resp. Hadrianus quodlib. III. art. 2. nullam perpetrari culpam existimat ab eo qui absque necessitate a feneratori mutuum postulat. Levem tantum culpam hunc contrahere docent Soto de iust. & iur. Lib. VI. quæst. 1. art. 5. Toletus

Lib. V. cap. xxvii. Armilla verb. *Usura* §. 38. & Angelus verb. *Usura*. Addit Angelus sine scelere induci ad credendam pecuniam eum posse qui sine fenore recusat dare, ut vitæ prospiciatur alterius. Oppositum docent Caietanus 2. 2. quæst. lxxvii. art. 4. Gabriel in IV. dist. xv. art. 3. dub. 14. Quæ mihi probabiliora sunt, paucis expediatur. Primum, mutuum petere ab usurario, ut nostræ, vel alienæ necessitati prospiciamus, cum non invenitur qui pecuniam suam gratis credere velit, licitum esse testantur Theologi omnes. Secundo, gravi cogente necessitate licet ab eo petere mutuum qui neque artem fenoris exercet, nec paratus est ad fenus exercendum, si credere pecuniam nolit sine fenore, gravi quippe urgente necessitate licitum est a quocumque rem honestam poscere. Mutuatio autem ad sublevandam proximi necessitatem honesta est. Quod vero fenerator nolit eam interiori animo ut honestam exercere, in illius caput tota recidit iniquitas. Hæc opinio communior, & probabilior videtur; tamen eidem contradicat D. Bernardinus Senensis. Tertio, sublata gravi necessitate, fenorem pecuniam accipere, etiam ab usurario parato, peccatum grave est, ut plures, gravioresque Theologi docent.

XXI. Quæst. V. *Licitum ne est suadere illi qui peccaturus est, ut, omissa graviore flagitio, perpetret minus?* Resp. Quæ penes omnes certa sunt, constitui primo loco debent. Et primum certum est, te non posse suadere minus malum, si alia via malum impedire vales. Secundo non potes suadere illi qui paratus est occidere Petrum, ut occidat Paulum; vel illi qui vult furari Paulo centum, ut furetur Petro quinquaginta; quidquid in oppositum Vasquez scribat *opuscul. de scand. dub. 2. num. 14.* Nec obstat factum Loth, qui nefariis Pentapolitanis filias stuprandas obtulit, ut eisdem a nefanda libidine abduceret; quemadmodum habetur *Gen. cap. xix.* S. Ambrosius Lothi consilium excusat *Lib. I. de Abraham cap. vi.* D. Augustinus e contrario illud damnat, & hæc Augustini opinio probabilior est gravioribus Theologis. Nec aliqua ratio suppetit qua excusari possit, cum multa, & gravia occurrant condemnationis argumenta. Et primum qua ratione potuit suadere malum inferendum innocentibus puellis, quod illæ subire minime tenebantur? Deinde plures illi faciendæ erat minor turpitudine in filiarum suarum corporibus quam maior in alienis. Accedit maius periculum consensus præstandi a filiabus,

bus, utpote imbecillioris sexus, in stuprum, quam a viris in crimen pessimum. Tandem minus caute se gessisse Lothum, ac cæco quodam impetu raptum fuisse, ex illius colligitur verbis, quibus nec nefandam libidinis luem excepit, dum filias infrunitis monstribus obtulit. *Abutimini* (inquit) *eis quomodo vobis placuerit*. Ex eo tantum excusari Loth quoquo modo potest, quod crediderit hac filiarum oblatione delinendos fore spurcissimos illos cinædos, ac impotentis luxuriæ illorum ardorem extinguendum: atque adeo tum ab hospitem, tum a filiarum corporibus illos sibi temperatos. Sunt etiam qui Loth excusant, quod non consuluerit filiarum stuprum; sed materiam tantum explendæ libidinis proposuerit. Licitum autem est materiam minoris mali proponere, ut maius declinetur; quando tamen ad illud minus malum patrandum peccator est deliberatione firma paratus.

XXII. Sensus ergo propositæ quæstionis est, utrum ei qui firmo animo deliberatoque constituit duo perpetrare crimina disparis malitiæ, licitum sit consulere minus, ut vitetur maius. Si enim ad unum tantum determinatus sit, planum est illi non posse suaderi aliud, tamen levius, in quod peccator proclivis minime est. Duæ super hac quæstione sententiæ. Negantem id licere, defendit Caietanus 2. 2. q. lxxviii. art. 4. notab. 3. Covarruvias IV. Decret. I. Part. cap. iv. n. ult. Sylvester verb. Matrimonium VII. q. v. dicto 9. Emmanuel Sa verb. Peccatum n. 8. Valentia 2. 2. disp. v. q. xxi. part. iv. Conradus de contract. q. xxxvi. corol. 1. & novissime Antoine tract. de virtut. theolog. cap. vi. §. 4. q. v. Hic tamen improbat consilium quo inducitur ad committendum illud minus crimen ad quod peccator minime paratus erat. Et in hoc sensu fortasse ceteri laudati Theologi suam defendunt opinionem, quam sic intellectam, veram censemus.

XXIII. Sententiam adfirmantem propugnant Turrecremata in can. Duo mala dist. xlii. qui citat Augustinum, & Gregorium, Hadrianus quodlib. 1. art. 3. Sotus de iust. & iur. Lib. VI. quæst. 1. art. 5. Tolerus Lib. V. cap. xxvi. Navarrus in Summ. cap. xvii. num. 263. Sylvester in verb. Usura VII. qu. 1. Angelus in verb. Usura 2. §. 2. Innocentius, Ioannes Andreas Ostiensis, Panormitanus, Caietanus in Sum. verb. Tyrannus, tamen oppositum docuerit in 2. 2. q. lxxviii. art. 4. Lessius Lib. II. cap. xlii. sub. 3. n. 19. Molina Tom. II. dist. cccxxxv.

n. 3. Vasquez opus. de scand. dub. 1. Bonacina disp. i. de rest. q. 11. punct. 7. num. 8. Castropalaus tract. vi. disp. vi. punct. 6. n. 6. Salmanticenses tract. xxi. cap. viii. punct. 5. §. 1. n. 58. & alii plures. Probatur. Nam licet nequeat peccans minus committere, ut gravius flagitium vitet, quia utrumque libere vitare potest; non ita tamen respectu consulentis res se habet: quoniam hic haud valet utrumque impedire; cum ab aliena voluntate id pendeat. Posito ergo quod iniquus homo constanti certa que deliberatione constituerit duo flagitia perpetrare, saluberrimum consilium erit eidem suadere ut, omisso graviore scelere, minori contentus sit. Nec tunc consulens malum, ut malum suadet, sed ut bonum: ablatio quippe maioris mali speciem boni præfert. Consultit ergo illud minus malum, ut est medium ad evitandum maius crimen. Nec obiectum, seu finis istius consilii est malum; sed bonum in privatione maioris mali situm. Res exemplo clarior fiet. Deliberavit grassator Antonium interimere, ut eum pecuniis spoliaret: consulit ut pecunias accipiat, & ab occisione absteineat. Paratus est occidere: rogas ut tantum percuciat. Cui tum damnum inferes? Non grassatori, quem a graviore scelere servas: non Antonio, cuius negotium utiliter agis: non denique Deo, cuius maiorem offensam impedis, impediturus etiam minorem, si posses. Axioma illud, *De duobus malis minus est eligendum*, etiam in malis culpæ locum habet, cum ambo mala sint necessaria, ut sunt respectu consulentis; secus vero respectu committentis, qui utrumque malum vitare potest.

XXIV. Obiicies. Non sunt facienda mala, ut veniant bona, ait Paulus ad Roman. iii. Accedit quod si licite minus malum posses consulere, ipse peragere idem malum posses: quod enim licet consulere, licitum quoque est executioni mandare. Resp. Verissimum est Pauli effatum, mala non esse facienda, ut bona inde succedant. At negatur, consulentem minus malum, malum patrare: quia, ut dictum est, non consulit malum, ut malum, sed ut instrumentum est minoris mali, quod speciem boni prodit. Nec sequitur, licere tibi agere minus malum quod consulis. Quia patratio mali actio tibi libera est, a qua abstinere vales; quemadmodum abstinere potest ille cui consilium datur, atque adeo peccat. Dum alteri consilium præbes de minori malo, ad quod paratus est, factum respicis necessarium tibi, tamen alteri

teri

teri liberum: idcirco ille peccat, secus tu. XXV. Hæc sunt utriusque sententiæ argumenta, & responsa. Ut verum fatear, tamen hæc secunda communior sit, attamen non leve mihi faceffit negotium. Nam minus malum etiam compare ad maius malum, rationem mali retinet. Porro quod sua natura malum est, sub quocumque respectu, & ratione malum extat. Quod autem sua natura malum est, nullo modo consulendum videtur. Cur omnes fatentur numquam licitum esse vel leve mendacium, ut universum hominum genus salvum fiat? nisi quod mendacium genere suo pravum est. Accedit quod maius malum aut solis precibus impediri potest, quin consilium adhibeatur; vel, si preces non sunt satis, profecto neque consilium. Quare, si viderem invasorem occisurum Antonium ad furandas pecunias, precarer ut absterneret ab homicidio, furtum silendo, illudque permittendo. Quod si preces non prodesse, nequaquam furtum consulere. Nec video quod in praxi istius consilii necessitate opus sit. Nam aggressor precibus placatus ab homicidio abstinens haud ignorat furtum. Quid ergo novi consilium tuum in mentem ingerit invasoris, quo ab homicidio distrahatur? Quare consilium istud, ad praxim quod attinet, & superfluum video, & periculi plenum. Si vero ad Metaphysicæ leges illud revocetur, qua ratione purgari crimine valeat, non ita facile mihi apparet ob rationem dictam, quod malum natura sua, malum semper, & in quocumque statu malum est. Videnturque verbis ludere qui dicunt malum illud non eligi sub ratione mali. Quoniam mentis cogitationes haud valent rerum immutare naturas. Si casus ergo accideret, ora ut peccator absterneat ab atrociori scelere, consilio de minori malo neglecto. Certius est te non posse consulere minus malum ei qui paratus non erat ad illud patrandum: puta, non licet consulere fornicationem ei qui paratus est committere adulterium, vel sodomiam: quia tunc istius minoris mali causa esses.

XXVI. Ultimo loco adicere lubet rationem ex divino regimine arcessitam. Deus, in cuius potestate sunt hominum voluntates, ordini a se præstituto nec latum unguem derogare vult, ut impiorum scelera impediatur. Lumina illis infundit, quibus mala agnoscant, gratiam donat, qua eadem vitent. Ceterum in manu consilii sui unquamque relinquit. An Deus consulit minus malum, ut maius declinetur? Quisni satis

nobis erit divinam hanc agendi rationem imitari? Flagitiorum malitiam, & horrorem scelestis hominibus pandamus. Precibus, consiliis, suasionibus, ut a criminibus desistant, curemus. Ceterum quid ultra pergemus? Ut quid consilia dabimus minorum criminum? Ubinam Deus id præcipit? Cur certas agendi vias, ac ordinem constitutum vitandi quocumque malum, quantumlibet leve, prætergrediemur? Dum furtum consulis, ut homicidium omittat grassator, amittit ne furtum, istud iniustitiæ malitiam? Immunis ne a peccato grassator evadit? Declinat ne inferni supplicia? Minime, inquis. Sub tui ergo consilii regimine grassator peccat. Neque ob hoc quod minus peccat, efficitur ut non peccet. Quid ergo obtrudis, te non consulere malum qua malum, sed ut bonum; si id quod consulis, reapse malum est? Malum est, inquis, peccanti, quod libere ab eo abstinere valeat. At mihi necessarium est, eo quod impedire nequeam. Fallacia est hæc manifesta. Consilium tuum tibi liberum est, non secus ac illi sua ipsius actio. Ergo si noxia est illius actio, quia libera; criminofum erit pariter consilium tuum super eadem prava actione, quia libere illud præstas. Quod ex Augustino, & Chrysostomo opponi solet, nullius momenti est. Cum enim dicit Augustinus relatus in cap. Si verius xxxiii. qu. 11. *Si facturus est quod non licet, faciat adulterium, & non faciat homicidium*, nullo modo consulit, sed tantum permittit, seu asserit minus malum perpetrare illum qui facit adulterium, quam qui hominem occidit. Eundem sensum habent quæ docet Chrysostomus hom. 11. ad popul. Antioch. ubi asserit levius peccatum esse iurare, interposita tantum propria persona, quam divino usurpato nomine.

XXVII. Quæst. VI. *Licitum ne sit suadere ei qui paratus est surripere pecunias a paupere, ut surripiat a divite, non designando divitis personam?* Resp. Adfirmant Thomas Sanchez Lib. VII. de matrim. disp. xi. n. 24. Molina tract. de iust. disp. cccxxxv. Si fermo sit de consilio, & suasionem, opinio hæc falsa est. Quoniam, dum consulis furandum potius a divite, quam a paupere, consilium tuum eo spectat ut pravam furis voluntatem ex graviore iniquitate pertrahat in minorem. Obiectum istius consilii non est bonum, sed pravum, furtum scilicet divitis. Tuo ergo consilio non aliud efficit, nisi mutare furis voluntatem, non in bonum, sed ex una maiori iniquitate in aliam minorem.

Et



Et si fur vi tui consilii a divite furriperet pecunias, restitutioni ipse obnoxius esses. Nec officit quod personam non designaveris. Satis fuit consulere ab aliquo divite furripiendas pecunias. Res ex se patet, quin necesse sit argumenta adducere.

XXVIII. Quæst. VII. *Licitum ne sit mercatori a feneratori pecunias petere ad mercaturam exercendam?* Resp. Dominicus Soto narrat *Lib. VI. de iust. & iur. g. 1. art. 5.* hanc quaestionem a mercatore Florentino D. Thomæ propositam fuisse: cui respondisse ferunt D. Thomam, peccatum esse, ut testatur idem Sotus: qui tamen addit non esse ex genere suo mortale, immo quandoque nullum.

XXIX. Ego cum Paulo Comitolo distinguam. Aut mercator necessitate pressus a feneratori pecunias poscit, quibus negotiationem exercere valeat ad se suamque familiam alendam: aut nulla egestate coactus, sed sola cupiditate divitias accumulandi. Si primum, nullo modo peccat omnibus fatentibus Theologis. Si secundo modo pecunias sub fenore petit, iuxta multorum gravem sententiam mortaliter delinquit. Non desunt alii qui non nisi levem agnoscant culpam; quæ opinio humanior est, dummodo tamen pecuniæ ab eo petantur qui fenus exercet, & illi semper animo, & voluntate incubat. Quoniam, si ab eo posceretur pecunia qui a fenore exercendo alienus esset, culpæ expers haud esset petens; dans vero, qui absque fenore pecuniam credere nolle, proculdubio flagitium grave perpetraret. Hoc siquidem patet ex iis quæ diximus supra. Illud addendum, quod fufius alibi explicabitur, quodque animadvertent prius Dominicus Soto, & Paulus Comitolus, fenus videlicet, quod divites nobiles cum mercatoribus exercent, universæ Reipublicæ perniciem invehere. Ingens hominum turba occurrit quæ nihil in bonis cum habeat, ut mechanicarum artium labori se subtrahat, a feneratoribus sub usuris pecuniam mutuatur: quam negotiationi exponit, & de repente campores, mercatoresque prodeuntes, lautioram vitam instituant, luxui, pompisque indulgent, ut divitum hominum sibi famam comparent. At inopinato nativam prodentes inopiam, fractaque creditoribus fide reclamant, se non esse solvendo, seque decoctos manifestant. Hi profecto tamquam publica pestis, inquit Sotus, essent arcendi, & veluti publici latrones coercendi. At subdo ego, non minori supplicio plectendos illos qui fenobrem artem profitentur. Istorum namque crudeli

fenore quot familias trucidatas, deletasque non videmus? inquit Comitolus. Quot commercia civitatibus pernecessaria partim concidunt, partim non imminuuntur, istorum usuris? Translato quippe iusto quaestu a mercatoribus, & opificibus ad usurarios istos, franguntur artificum studia, & industriae, artesque ipsæ, ex quibus publicum patrimonium hauritur, languescunt, & deficiunt; atque miseri opifices, qui laboribus, ac manupretii vitam sustinere deberent, molliuntur otio, atque desidia intabescunt inertissima. Verum de hoc fufius suo loco.

XXX. Quæst. VIII. *Quæ causa requiratur, ut quis deponere licite possit apud feneratori pecunias, dum prævidetur, eas ab illo mutatione fenobri distrabendas: & vinum apud tabernarium, qui creditur venditurus illud fore mixtum aqua?* Resp. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. VII. n. 36.* refert non paucos Theologos docentes nullam requiri causam in deponente pecunias apud feneratori eisdem ad usuras faciendas abusu- rum, eo quod eiusmodi pecuniarum depositio non sit usurarum causa, nisi valde remota. Verum probabilior est contraria opinio, quam defendunt laudatus Sanchez *loc. cit. Navarrus in man. cap. XIV. n. 40.* Molina *Tom. II. de iust. disp. cccxxxi. Valentia in 2. 2. disp. v. quæst. XXI. Rebellus Part. II. Lib. VIII. q. XVI. Castropalaus tract. VI. disp. VI. punct. 13.* Rationem assignavimus supra. Quando enim prævidetur malus usus alicuius mercis, peccat venditor, si nulla cogente causa illam vendit. Porro deponens pecunias apud usurarium, dum prævidet eas feneratori, duo crimina perpetrat: alterum, quo occasionem præbet feneratori usuras exercendi; alterum, quo in damnum mutuatarii influit. Quapropter non desunt Theologi qui hunc depositorem ad restitutionem obligent. Et quamvis opinio huiusmodi dura reputetur a Castropalao; ratio tamen non apparet ita evidens, ut absolute improbari debeat. Si enim qui enssem præbet volenti occidere inimicum, restitutioni damnorum obnoxius est; non apparet cur præbens materiam exercendi iniustitiam in tertium, exini a restitutione debeat. Et cum Castropalaus adfirmet, deponentem eiusmodi pecunias apud feneratori absque gravi causa graviter peccare; concedat oportet, nedum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam ipsum delinquere: materiam quippe iniustitiæ exercendæ præbet, atque adeo iniustitiam lædit. Qui porro iniustitiam lædit, damna quæ inde pro-

proficiuntur, resarcire astringitur. At cum in praxi vix id accidere possit, non est cur hac in re diutius sit immorandum. Quis enim est qui, nulla urgente gravi causa, feneratori proprias pecunias servandas præbeat? Causa depositionis apud nummularium vix alia esse potest, nisi pecuniæ securitas. Si enim nullum alium invenias cui conservandam secure pecuniam consignare possis; tum absque peccato feneratori præbere tibi licitum est; dummodo, quoad te spectat, usuram prohibeas, solamque pecuniæ securitatem animo intendas.

XXXI. Si vinum quod a te servandum tabernarius accepit, mixtum aqua vendat, si istius venditionis conscius sis, eamque pro virili haud impedias, peccas utique, & ad restitutionem damni teneris: quia tu illius ministerio vendis. Quod si vinum tuum vendis eiusmodi tabernariis, cum prævidentia quod mixtum aqua ab illis vendendum iterum sit, peccas pariter: quia, quoad vales, impedire teneris peccata proximi; & potissimum quæ in damnum tertii vergunt, quæque debitum restitutionis inferunt. Si vinum aliter vendere nequeas, cum hoc sit tibi non leve incommodum, te posse peccatum tabernarii permittere, vinumque illi vendere, docent Sanchez, & Castropalaus. At ego non adeo facile similes permitterem venditiones: quia non video cur venditor impedire nequeat hanc tabernariorum iniustitiam. Potest enim vel illos iudici deferre, vel illis etiam minori pretio vendere quorum sinceritatem minime suspectam habet. Quare vix contingere potest casus in quo nequeas eiusmodi fraudulentos tabernarios vitare, aliisque vendere vinum tuum. At quid, si casus reipsa occurrat? Dico, quod si absque gravissimo incommodo nequeas differre venditionem, sed necessitate urgente premaris; tunc, quemadmodum ab usurario pecunias petere, ita & iniquo tabernario vinum vendere vales. Sed, ut dixi, vix in praxi necessitas similis venditionis occurrere potest. Evenit enim quod spe maioris pretii, vel alterius lucri, aut commodi similibus cauponibus vinum vendas: & tanti vendere alii tabernariis cum nequeas, invenditum vinum effingis. Inferiori ergo pretio illis qui merum vinum potandum exhibent, vendito; & cum hi minus lucentur, minori quoque emunt pretio.

XXXII. Quæst. IX. *Utrum liceat invitare ad carnem eum qui solvere ieiunium paratus est?* Resp. Negat communis sententia: quia

invitatur ad actionem quæ, attenta lege prohibente, & spectatis circumstantiis, nequit a malitia separari. Peccatum autem est quempiam invitare ad actionem quæ omnibus inspectis obiective noxia est. Quare nec famuli dominis, nec caupones hospitibus carnes ministrare licite possunt ieiunii tempore: quia operam darent actionibus ex præcepto prohibente malis. Verum tamen est, posse, immo debere famulos, & caupones præsumere dominos, vel hospites aliqua iusta causa a legis onere exemptos, nisi contraria indicia occurrant.

XXXIII. Quæri hic etiam solet, licitum ne sit petere iuramentum ab eo qui paratus est falsum iurare; vel licitum sit inducere ad iurandum verum, quod iurans verum esse ignorat, & alia id genus? Sed omnia discussa reperies in *dissert. de iuramento.*

## CAPUT IX.

*De peccatis scandali quæ adversus castitatem tam a mulieribus, quam a viris perpetrantur.*

I. **I**mpeditam, ac perdifficilem materiam enucleandam suscipimus. Scandalum bellum suum in castitatis campo potissimum peragit. Hic suas exerit vires, copias omnes isthuc advocat, pugnas committit, atque animarum stragem inducit. In his castris fortes Israel prorunt, abiiciuntur clypei Saul, omnis armatura fortium succumbit. Isthic insidias suas veterator ille humani generis hostis innocentiae parat, stratagemata instruit, præstigia innumera, larvasque adhibet, quibus exitium quod intentat, oculis abscondat. Ut igitur, quoad fieri potest, illius artificia, fraudes, dolosque omnes retegam, in varios paragraphos caput istud tribuam. Quæ sit divini verbi, SS. Patrum, Theologorum, atque Casuistarum mens hoc de argumento, explicabo. Prolixus fortasse sermo erit; at recogites velim, libidinem peccatum esse ob quod maxima hominum pars periclitatur. Quid itaque utilius, quam ea omnia manifestare quæ ad hoc perpetrandum flagitium inducunt? Mulierum præstigia, quibus homines ad libidinem provocantur, captum superant humanum. Artes quas homines adhibent, ut mulieres seducant, non minoris sunt efficacitatis: quoniam vanitatem, ambitionem, avaritiam, superbiam, ceterasque impotentiores appetitiones irritant, permoventque.

## §. I.

## De licito mulierum ornatu.

**I. UT** extrema quæque vitentur, primum omnium constituo, ornatum moderatum licitum feminis esse. Ornatu, seu ornamentum describi potest, quod sit concinna vestium dispositio, & partium corporis cultus extrinsecus adiectus ad humanæ personæ gratiam augendam, aut ad deformitatem minuendam, vel occultandam. Ornatu vero (inquit Angelicus in I. ad Tim. II. lec. 2.) consistit in debita ordinatione, & dispositione. Moderatum ornamentum mulieribus Scriptura sancta ultro concedit. Nam servus Abraham suspendit inaures ad ornandam faciem Rebeckæ, & armillas posuit in manibus illius, vestes splendidas, vasaque aurea, & argentea eidem donavit: Gen. xxv. In ornamentum tabernaculi mulieres obtulerunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byssum, anulos, & dextralia, ut habetur Exodi xxxv. Noemi sancta mulier, imperante Ruth, lavit se, unxitque, seque cultioribus vestimentis induit: Ruth. III. Celebris illa Iudith, viduarum optima, lavit corpus suum, & unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis incunditatis sue, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se: Iudith x. Denique Apostolus Paulus moderatum ornatum mulieribus concedit. Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, & disceptatione: similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se: I. Timoth. II. Accedit omnium Patrum, & Theologorum auctoritas. D. Thomas 2. 2. quæst. clxix. art. 2. ad 4. perspicue hanc rem edisserit. Mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel aliquid superaddere, ut placeant viris. Rationum quoque momentis ex eodem Angelico petitis idem evincitur. Corporum ornamenta instituta sunt non modo ad naturam fovendam, protegendamque a frigore, æstuque, & ad verenda tegenda; verum etiam ad statum, ac sexuum distinctionem prodendam. Porro, sicut in physico corpore membrorum distinctio est, & dispositio cuique parti congrua; ita quoque corpus politicum sua habeat membra propriis distincta signis, & ornatibus opus est, ut ex

partium varietate, & optima dispositione universæ communitatis pulchritudo splendeat. Membra quæ altius eminent, præsententur tum in physico, tum in politico corpore, ornatiores sunt, & splendidiora ceteris inferioribus. Quia ratione viri nobiles, & magistratus cultioribus præ aliis utuntur vestibus, ut sui status, vel officii dignitatem manifestent, ut inquit Angelicus 2. 2. quæst. lcxix. art. 1. ad 2. Illi qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus quam ceteri induuntur, non propter sui gloriam, sed ad significandum excellentiam sui ministerii, vel cultus divini. Pretiosas vestes concedit Angelicus Sacerdotibus, dum altari inserviunt, ut dignitatis splendor quodammodo effulgeat. Ceterum cum non hostias, & sacrificia Deo immolant; sed Doctorum, Apostolorumque personam gerunt, ut populum verbo, & exemplo ad virtutem, ad penitentiam hortentur, humilioribus vestibus indui eos convenit, ut ipsemet Angelicus ibidem subdit. Præcipue autem competit vilibus vestimentis uti his qui alios verbo, & exemplo ad penitentiam hortantur, sicut fecerunt Propheta, de quibus Apostolus ibi loquitur. Unde quadam Glossa dicit Matth. III. Qui penitentiam prædicat, habitum penitentiae præterit. Istuc spectare debent Ecclesiastici illi qui vano sacræ dignitatis ostendendæ prætextu vestes nimium splendidas induunt, cincinnati incedunt, cultumque muliebrem potius quam virilem, nedum ecclesiasticum, ostentant.

II. Porro mulieres, præter recensitos titulos corpora tegendi, status, nobilitatisque distinguendæ intuitu, viris æque, ac feminis communes, possunt cultiorem adhibere ornatum, vel ut viris suis, quibus matrimonio iunctæ sunt, placeant; vel ut facilius ad nuptias contrahendas viros alliciant. Pulchritudo quippe mulierum prima dos est, & prærogativa qua altius assurgunt; quemadmodum viri robore, fortitudine, & gravitate resplendent. Propagatio humani generis finis est ob quem mulier effecta est: non litteris, non armorum peritia, non ingenii sublimitate, sed sola venustate se se distinguit, qua hominibus placere studeat, illorumque amorem excitare ad officium matrimoniale peragendum. Quæ doctrina est Apostoli Pauli I. ad Corinth. VII. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Sola autem pulchritudine, nido ornatu, atque suavi conversatione viros sibi devincere, illorumque in se corda inflam-

mare

mare possunt. Eiusmodi autem ornamenta etiam iis feminis permitti valent quæ matrimonia inire student; secus eis quæ neque nuptæ sunt, neque ad nuptias aspirant. Hæc omnia communia sunt: nec ullum est apud Theologos dissidium, dum sermo est de congruo mulierum ornatu.

## §. II.

Immoderatum mulierum ornamentum Scriptura sacra improbat, prohibetque.

**I. V**ehementes, & acerrimæ sunt Prophetarum declamationes in superfluum mulierum ornatu. Supplicia gravia minatur Isaias feminis superfluo ornatu contemptis, atque istius ornamentum vanitatem latius describit, & gravissimis flagitiis accenset, ob quæ affligendam Iudæorum nationem vaticinatur cap. III. Et dixit Dominus: Pro eo quod elevata sunt filie Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & liteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & thessura. Et erit pro suavi odore fector, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium. Nec verbum hic habetur de interiori cupiditate animas ad venerationem provocandi. Exterioris ornatus immodicam, criminofamque superfluitatem potissimum describit, improbatque, tamquam internæ libidinis luculentissimum argumentum. A compta muliere avertendos oculos admonet Ecclesiasticus cap. IX. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. . . Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Similia inculcat cap. XII. In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit vinea, & a muliere iniquitas viri. Melior est iniquitas viri quam mulier beneficiens: & mulier confundens in opprobrium. Salomon superfluum mulierum ornamentum meretricium appellat. Prov. VII. Et ecce occurrit illi mulier ornata

Conc. Theol. Tom. II.

meretricio preparata ad decipiendas animas, garrula & vaga. Item Lib. IV. Reg. cap. IX. divinus Auctor hæc scribit: Porro Iezabel, introitu eius audito, depinxit oculos suos sibi, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram. David quoque nimium feminarum ornatum carpit Psalm. cxliii. Filie eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Paucis istis verbis comparat regius Psaltes immodicum mulierum ornamentum templi Deo dicati splendori, ac si diceret: Quemadmodum splendido apparatu instruitur templum Domini, ut fideles alliciantur in Deum cultum; sic mulieres ut templum Veneris appareant, atque in sui amorem accendant amafios suos, anulis, monilibus, ac pretiosis vestibus se se induunt. Quæ sane exquisita ornamenta superbiæ, impudicitæque argumenta sunt, ut Regina Esther Deum alloquens testatur his verbis cap. XIV. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloria mea, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruata, & non portem in diebus silentii mei. Solum exteriorem ornatum nullo pravo interioris animi desiderio pollutum abominatur Eithier tamquam superbiæ signum. Quod confirmat Ezechiel Propheta cap. VII. Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt. Idemque repetit cap. XXIII. Circummisisti sibi oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. Tandem S. Petrus superfluum muliebrem ornatum his verbis perstringit Epist. I. cap. III. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumentum vestimentorum cultus. Similia docet Doctor Gentium Paulus I. ad Timoth. II. Volo similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se; non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes pietatem. Plura habet Angelicus in interpretatione istius textus D. Pauli lect. II. Duo sunt consideranda in ornatu mulierum, scilicet simplex ornatu, & fucatus. Simplex ornatu, puta in veste, & auro, & huiusmodi; quod potest fieri cum peccato tribus modis, scilicet prava intentione, ut si intendat commotionem concupiscentiæ, ostentationem, vel inanem gloriam. Prov. VII. Preparatu ad capiendas animas. Secundo, si fiat præter consuetudinem patriæ, quod sit diversimode: quod enim excedit modum consuetum patriæ, hoc ex levitate animi est. Tertio, si con-

I

si con-

si conditionem sui status excedit. Sed servata recta intentione, consuetudine patriæ, & conditione status, non est peccatum. De fucato autem semper est peccatum. Mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros, & viri nolunt decipi, ut fucata eis appareant. Sit ergo non talis ornatus, sed qualis decet mulieres promittentes pietatem. Exteriora enim opera hominis sunt quasi quedam professio interioris hominis, sicut Religiosi ad hoc habent habitum; & Clerici similiter. . . . Vel dico, quod debent se ornare non exterius, sed secundum quod decet eas promittentes, id est quæ promittere debent, pietatem per opera bona.

II. Hoc de argumento iterum sermo rediit infra cap. x. ubi maiori in lumine collocabo divinarum Scripturarum germana sententia. Nunc Patrum doctrina transcribenda est.

## §. III.

Sancti Patres communi assensu execrantur superfluum femininarum ornatum.

I. Integros libros ediderunt Patres adversus nimium femininarum cultum, & ornatum. Ut prolixitatem declinem, pauca tantum delibabo. Tertullianus Lib. de cultu femininarum cap. II. hæc scribit. Perfectæ autem, id est christiane pudicitia, appetitionem sui non tantum appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis. Primo quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatore libidinis scimus. Quid igitur excitas in te malum istud? Quid invitas cuius te prosteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnumquam (quod Deus a suis abigat) instando perficiunt, certe vel spiritum scandalo promovent. Debemus quidem ita sancte, & tota fidei substantia incedere, ut confusa, & secure simus de conscientia nostra, optantes perseverare id in nobis, non tamen presumptas. Nam qui presumit, minus iam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est: presumptio impedimentum timoris. . . . Quid autem alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Quam si Deus non ampliando legem, a facto stupri non discernat in poena, nescio an impune habeat quæ alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi: ut etsi a culpa vaces,

ab invidia non libereris. Ut cum in alicuius agro laurocinium gestum est, crimen quidem dominum non continget; dum rustamen ignominia notatur, ipse quoque in familia aspergitur. . . . Cum igitur & nostra, & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, iam non tantum conficta, & elaborata pulchritudinis suggestum recusandum a vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione, & incuria, ut perinde oculorum incurisibus molestum. Nam etsi accusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divinis plasticæ accessio, ut anima aliqua vestis bona; timendus tamen est propter iniuriam. & violentiam spectatorum, quam etiam patet fidei Abraham in uxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitur Saram, salutem contumelia redemit. Ipsa naturalis pulchritudo, inquit Tertullianus, igniculos accendit libidinis: quam proinde flammam non excitabit, si exterius ornatum adiciatur? Ipse natus decor negligendus, & dissimulandus propter iniuriam, & violentiam spectatorum: quanto magis itaque contemnendus est ornamentorum superfluis apparatus, & conquisitus pretiosarum vestium splendor? Hæc pompa (subdit Tertullianus cap. IX.) quam e proximo curent luxuria negotium, dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituunt. Adeo si desint, irritam, & ingrati reddunt, velut exarmatam, & naufragam. Contra si forma defecit, adminiculum nitoris quasi de suo gratiam supplet. Etates denique requietas iam, & in portum modestiæ subductas splendor, & dignitas cultus avocant, & severitatem appetitionibus inquietant, compensantibus scilicet habitus irritamentum pro frigore atatis.

II. Similia scribit Cyprianus Lib. de disciplina, & habitu Virginum, ubi lato calamo ostendit, exquisiti ornatus lenocinia, conquisitasque vestium sericarum formas, & colorum diversitatem impudicis, ac effrontibus, secus christianis castisque feminis, congruere. Ceterum, si tu te sumptuosius ornas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te inventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomera succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Conceptis verbis Cyprianus illorum hic reicit responsam, quo explicant S. Patrem improbare immodicos mulierum pompas ad lasciviam concitandam, secus ad mulie-

liebrem ornatum adhibitas. Quoniam absolute negat admittendam esse excusationem mulieris, quæ mentem pudicam, castamque ostentat, cum exterius nimium comptam, ornatamque publico aspectui se præbeat.

III. S. Augustinus Lib. III. de Doctr. christ. cap. XII. Sicut, inquit, tales, & manicatas unicas habere apud Romanos veteres flagitium erat. . . sic animadvertendum est, in cetero quoque usu rerum abesse oportere libidinem. Quæ non solum ipsa eorum inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines eius egressa, foeditatem suam, quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat. Clarius suam mentem declarat S. Doctr. epist. LXXII. nunc cccxlv. Nolo tamen de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque coniugati, neque coniugari cupientes cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis, nisi quod capillos nudare feminas (quas etiam velare caput Apostolus iubet) nec maritatus decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt femina ornari, secundum veniam, non secundum imperium. D. Ioannes Chrysostomus hom. XVII. in Matth. post relatum Isaïæ Prophetæ textum adversus nimium mulierum ornatum subdit: Audi cum eo etiam beatus Paulus multa illis præcepta ponentem, tum de auri, aut vestis ornatu, tum de intortis arte criminibus, tum de ipsis quoque deliciis, aliisque huiusmodi eas vehementius increpantem.

IV. Sanctus Gregorius Magnus hom. XI. in Evangelia præ ceteris clarius perstringit vanas mulierum pompas. Sunt nonnulli qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam querit, videlicet ut honorabilior ceteris videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosum queritur, res ipsa testatur quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non possit videri.

V. Validius ostendit Tertullianus mulieris ornatus finem esse aut vanam iactantiam, aut fomentum libidinis, aut superbientis animi fastum, Lib. de cult. fem. cap. XI.

Propter ipsum enim conventum, & mutuum videre, ac videri omnes pompa in publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non terrena. Aut imbecillis aliquis ex fratribus vistanus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Quodvis horum gravitatis, & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto. Ac si necessitas amicitiarum, officiorumque gentiliū vos vocat; cur non vestris armis indute proceditis, tanto magis, quanto ad extraneas fidei? ut sit inter ancillas diaboli, & Dei discrimen; ut exemplo sitis illis, ut adifcentur in vobis, ut (quomodo ait Apostolus) magnificetur Deus in corpore vestro. Magnificatur autem per pudicitiam, utique & per habitum pudicitie comperentem. Sed enim dicitur a quibusdam: Ne blasphemetur nomen in nobis, si quid de pristino habitu, & cultu detrahamus. Non auferamus ergo nobis & vitia pristina, simus & moribus isdem, si & superficie eadem: & tunc vere non blasphemabunt nationes. Grandis blasphemia, si qua dicatur: Ex quo facta est Christiana, pauperius incedit. Timebit pauperior videri, ex quo locupletior facta est; & sordidior, ex quo mundior? Secundum Gentiliū, an secundum Dei placitum incedere Christianos oportet?

## §. IV.

Peccant mulieres quæ fucis vultum adulterant, ut pulchritudinem, qua sunt destituta, ementiantur, aut ut habitum augeant.

I. Hæcenus immodicum, superfluumque ornatum muliebrem ex Scripturis, & Patribus damnatum ostendimus. Aliam in præsentiarum ornamentis, decorisque femine rationem sub examen vocamus, vultuum nempe fucos, & pigmenta. Quod inventum a dæmonibus ortum ducere, aperte docet Tertullianus Lib. de cult. fem. cap. V. ubi primum mulieres admonet, se haudquaquam suadere illis aut squalorem, aut sordidam vestimenti rationem, sed sobriū, moderatumque nitorem. Hæc utique (quæ nempe supra retuli) non ad crudam in totum, & feminam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur, nec de bono squaloris, & peccatoris suademus; sed de modo, & carne, & iustitia corporis excolendi. Deinceps hæc adiicit quæ sequuntur.

II. Non supergrediendum ultra quam sim-

plures, & sufficientes munditia concupiscunt, ultra quam Deo placet. In illum etiam delinquant quae cutem medicaminibus unguunt, genas robore maculant, oculos fuligine colliniunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, & reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim, cum emendant, cum adiciunt, utique ab adversario artifice fumentes additamenta ista, idest diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate huiusmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Divino operi sitane ingenia superducere, quam scelestum est! Servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuuntur: milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De adversario enim eius in cuius manu his, aliquid usui postulare, transgressio est. Christianus a malo illo adiuvabitur? Nescio an hoc ei nomen perseveret. Erit enim eius de cuius doctrinis instrui concupiscit. Quantum autem a nostris disciplinis, & professionibus aliena sunt, quam indigna nomine christiano faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri, quibus lingua non licet? Appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur? Adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiae sit? Edicite benedicta: quomodo precepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes?

Video quasdam & capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis suae, quod non Germanae, aut Gallae sint procreate: ita patriam capillo transferunt. . . . Crocum capiti suo mulier christiana ingerit, ut in aram. Quodcumque enim immundo spiritui excremari solet, id, nisi probis, & necessariis, & salubribus usibus adhibeatur, ad quod creatura Dei est prospecta, sacrificium videri potest. Sed enim Dominus ait: Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Haec quae revincunt Deum, Ecce, inquit, pro albo, vel atro flavum facimus gratia faciliorem; quamvis & atrum ex albo facere conantur, quas poenituit ad senectam usque vixisse. Proh temeritatem! Erubescit etas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia, in qua deliquimus, suspiratur, occasio gravitatis interpelatur. Absit a sapientia filia-bus stultitia tanta. Senectus, cum plus occultari student, plus detegetur. Haec est aternitas nostra de capitis inventure. . . . Quid enim tanta orandi capitis onerositas ad salutem subministrat? Quid criminibus vestris quiescere

non licet, modo subsistis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliae gestunt in cincinnis coercere, aliae ut vagi, & volucres elabuntur non bona simplicitate. Affigitis praeterea nescio quas enormitates sutillum, atque textilium callamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum. Mirum, quod contra Domini precepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adicere posse pronuntiatum est. Vos plane adicitis ad pondus colliridas quasdam, scutorum umbilicos cervicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis, & gehennae destinati, sancto, & christiano capiti supparetis. Immo hanc ornatus servitutem a libero capite propellite. Frustra laboratis ornata videri; frustra peritissimos quosque structores capillaturae adhibetis. Deus vos velari iubet: credo, ne quarundam capita videantur. Atque utinam miserrimus ego, in illo die christiana exultationis, vel inter calcanea vestra caput elevem, videre, an cum cerussa, & purpurisso, & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis. An taliter expectam Angeli in nebula sublevarunt obviam Christo. Si nunc bona, & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & sua loca agnoscent etc.

III. Non dissimilia docet S. Cyprianus Lib. de habitu virginum, ubi mulieres omnes nuptas, & innuptas arguit, quod suis vanitatibus, & pigmentis imaginem illam a Deo sibi impressam adulterare studeant. Dicit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et audeat quisquam mutare, & convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt, nescientes quod opus Dei est omne quod nascitur; diaboli, quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis qualitatem, amulo colore signasset, & signato iam, consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut iam formata, iam picta, quasi peritior reformaret: gratia prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbe temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, & incesta fucis lonocinantibus non sis, corruptis, violatisque quae Dei sunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas, quod patas comi, impugnatio est ista divini operis, provaricatio est veritatis. Momentis

tis Apostoli vox est: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Nam & pascha nostrum immolatum est Christus. Itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Num sinceritas perseverat, & veritas, quando quæ sincera sunt, polluantur colorum adulteriis, & adulterinis medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: Non potes facere capillum unum album, aut nigrum. Et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potius? Audaci conatu, & sacrilego contemptu crimes tuos inficis, malo presagio futurorum capillos iam tibi flammis auspicas, & peccas, proh nefas! capite, idest corporis parte meliore. Et cum scriptum sit de Domino: Caput autem eius, & capilli erant albi velut lana, aut nix: tu execraris canitiem, detestaris alborem, qui sit ad Domini caput similis? Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum resurrectionis dies advenerit, artifex tuus te non recognoscat, ad sua premia, & promissa venientem removeat, & excludat; increpans rigore censoris, & iudicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago nostra est? Cutem falso medicamine polluisi, crimem adultero colore mutasti: expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos, atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo paviter & arsura. Tandem S. Martyr solitam procacium mulierum excusationem placendi maritis repellit. Viderint quid sibi nupta per placendi studium de coniugum solatio blandiantur; quos, dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosa consensionis adiscunt.

IV. Verum D. Ambrosius Lib. I. de virg. cap. vi. magna eloquentiae ubertate, & vi argumentationis eiusmodi futilem uxorum pretextum exufflat, eumque in mulieres ipsas retorquet. Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut questis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hic amentia, effigiem mutare natura, picturam querere, & dum verentur maritale iudicium, prodere suum? Prior enim de se pronuntiat, quod cupit mutare quod nata est. Item dum aliis studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem, mulier, ve-

riorem requirimus deformitatis tuae quam te ipsam, quae videri times? Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur formosam te esse mentiris, nec tua conscientiae, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit; tu alteri vis placere? Et irasceris, si amet alienam, qui adulterare in te docetur? Mala magistra es iniuria tua. Lenocinari enim refugit etiam quae passa lenocinem est; ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat; tolerabilioraque prope modum in altero crimina sunt: ibi erant pudicitia, hic natura adulteratur.

V. Hanc eandem doctrinam confirmat D. Hieronymus epist. xxiii. ad Marcellam. Ille christianos oculos scandalizant potius quae purpurisso, & quibusdam fucis, ora, oculisque depingunt, quarum facies gypsea, & nimio candore deformes, idola mentiuntur; quibus si forte improvidis lacrymarum stylla eruperit, sulco defluit: quas nec numerus annorum potest docere, quod vetule sint, quae capillis alienis verticem struunt; & praevitam iuventutem in rugis anilibus poliunt: quae denique ante nepotum gregem trementes virguncula componuntur. Erubescat mulier christiana, si natura cogit decorem, si carnis curam facit ad concupiscentiam, in qua qui sunt, secundum Apostolum, Christo placere non possunt.

VI. Omissis plurimis aliis sanctorum Patrum textibus, lubet adicere dumtaxat paucos sancti Paulini versus, ex epithalamio in Iulianum, eiusque uxorem.

Absit ut idolici videatur filia templi,  
Gentis apostolicæ filia facta domo.  
Non fucis maleficta cutem, neque lumina nigro  
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.  
Purum naturæ decus aspernata superbo  
Crimine, divinum in se sibi damnat opus.  
Frustra hac se mulier iactaverit esse pudicam,  
Quæ se tam variis ornat adulteriis.  
Vos autem, iuvenes Christi, fugite omnia  
quorum

In damno pretium est, usus in interitu.  
Credite divinis verbis, de cultibus istis  
Pœnalem cupidis surgere materiam.

VII. D. Thomas 2. 2. quæst. clxix. art. 2. ad 2. docet, mulieres se fucantes semper peccare, non tamen mortaliter. Mulierum fucatio . . . non potest esse sine peccato . . . Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali; sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum. D. Bernardus Senensis cum Alexandro Alenti Tom. I. ser. xlvii. art. 1. docet, quod mulieres se

minio viventes, aut adulterinos crines portantes propter tria mortaliter peccant. . . . *Quærit enim Alexander de Ales in IV. dist. de Euchar. Sacram. utrum fucata, aut adulterinos crines, seu vivorum, seu mortuorum, ad ornatum sibi usurpantes, debeant accedere ad sacram communionem? Et respondet, quod tales mortaliter peccant, & indignas se efficiunt sacramentum. Et hoc esse dicit maxime propter tria, quæ inde sequuntur. Primo offensio Dei: secundo offensio proximi: tertio offensio sui. Hæc pauca delibasse ex Patribus sufficiat. Nonnulla alia infra dabimus, cum excusationes quas opponere recentiores solent, retundemus.*

## §. V.

*Iuniorum Casuistarum placita hoc de argumento.*

**I.** Nihil frequentius in ore habent non pauci docti iuniores conscientiarum arbitri quam casuistica Theologia scientiam indictam a Patribus, a semetipsis inventam, quæ temporum genio deserviat, inclamare. Contendunt isti morum regulas a Patribus minime pro dignitate, & necessitate traditas, quod hæc, si superis placet, sint temporum vicissitudini obnoxia. Percelebre effatum Reginaldi in præf. Cellotii Lib. VIII. de hier. cap. XVI. rescribendum est. *Querunt casus temporum Doctores temporum. Bellus erit ille Criticus, si ex S. Augustini doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa simoniam, irregularitates, interdicta, omnesque contractus ex Gregorii Nysseni, & Nazianzeni placitis componere. Quæ circa fidem emergunt difficultates, a veteribus haurienda; doctrina vero morum a recentioribus sumenda.* Verum sane adfirmant recentiores isti, si de eis laxitatis sermo sit quas ipsi invexerunt; falsum autem, si de regulis loquantur quæ ad componendos mores iuxta evangelicas leges, & ipsius naturæ præcepta necessaria sunt. Hoc compertum est ex iis quæ antiqui Patres tradiderunt, quæque supra transcripsimus de mulierum ornatu, quem moderatum permittunt, superfluum damnant, Scripturarum momentis, rationibusque adductis. Et ne gratis hæc asserere videamur, quæ docent hoc de argumento recentes Doctores, in medium adducenda sunt. Hinc enim palam fiet, & veteres sanctos Patres morum difficultates satis superque explicasse, & recentiores Patribus, & divinis Scripturis adversantia excogitasse.

**II.** P. Antoninus Diana Tom. VII. Teol. coord. resolut. 9. num. 16. relata doctrina P. Francisci Suarez damnantis immoderatum feminarum ornatum, hæc scribit: *Sed ego puto non peccare, etiamsi esset superfluum, & maximus; dummodo sit secundum morem patriæ.* Quam sit hæc opinio omnium Patrum doctrinæ repugnans, nemo non videt. Hæc profecto sunt casuum resolutiones quas Patres ignorarunt. Si ornatus superfluum, & maximus licitus est; nullum ergo ornatum detestantur Scripturæ, & Patres. Non sobrius, & moderatum: non superfluum, & maximum, iuxta Dianam. Ergo nullum. *Dummodo sit secundum morem patriæ.* Patriæ ergo consuetudo superfluitatem muliebris ornatus licitam efficere valet? Sed a superfluis cuiusque generis natura ipsa abhorret. An ne Patres in solum ornatum recentem inventum vocem exaltarunt? Omnibus compertum est, sanctos viros ea mulierum ornamenta damnasse quæ erant diuturna consuetudine, seu verius dicam, inveterato abusu firmata. Quin hanc pravam consuetudinem, qua se se tegere contendebant mulieres, ut nunc etiam contendunt, diris devoverunt.

**III.** P. Leonardus Lessius rem hanc latius expendit. Patrum, & Scripturarum momenta adversus feminarum ornamenta sibi opponit, hisque commentariis ea exponit. Apostolorum Petri, & Pauli, & Prophetarum mandata asserit vel non esse præcepta, aut fuisse præcepta illius temporis mulieribus accommodata, ut Ethnicos edificarent. Sic enim scribit Lib. IV. cap. IV. dub. 14. num. 114. *Scriptura ille vult continent exhortationem, cum nullum verbum preceptivum habeant, vel si continent preceptum, agitur de illis quæ se ornabant, ut aliis placerent, ut notat D. Thom. ex Gloss. vel certe propter adificationem Ethnicorum expediebat illo tempore præcipi.* Adeo a veritate abludivit huiusmodi commentarius, ut e contrario mulieres tunc temporis nimium suum ornatum excusarent, ne ansam Ethnicis blasphemandi nomen Dei præberent, si minus comptæ incederent. Audi illarum excusationem, quam refert Tertullianus Lib. de cult. fem. cap. XI. *Si necessitas amicitiarum, officiorumque gentiliū vos vocat; cur non vestris armis indute proceditis, tanto magis, quanto ad extraneas fidei? . . . Sed dicitur a quibusdam: Ne blasphemetur nomen Dei in nobis, si quid de pristino habitu, & cultu detrahamus. Quid responsum præbet Tertullianus? Non audivimus ergo nobis & vitia pristina: simus*

*& moribus ipsam, si & superfacie eadem. Tunc vere non blasphemabunt nationes. Non ergo ædificationem, sed scandalum potius concipiebant Ethnici ex humili christianarum mulierum ornatu. Nec propterea splendidiorem cultum feminis Tertullianus concedit; sed illas hoc effato ad incitas redigit: Secundum Gentilium, an secundum Dei placitum incedere Christianos oportet? Viden quomodo quærunt casus temporum Doctores temporum? Ceterum nec ego ita rigide interpretanda esse laudata Scripturæ verba contendo, ut quemlibet ornatum sub mortali prohibeant. Alioquin, ut optime advertit S. Antoninus II. Par. tit. IV. cap. V. §. 8. letaliter peccaret Regina, si vestem auro intextam, si gemmas, & monilia deferret; quod est absurdum. Verba ergo Apostoli, & aliarum Scripturarum sub culpa gravi, & severo mandato vetant ornatum superfluum, lascivum, notabiliter ad venerem allicientem. Consilii, & exhortationis titulo quamlibet pretiosam vestem dimittendam suadet. Extrema ergo vitanda, ut sunt hæc: *Nullum ornatum, tametsi superfluum, & ad libidinem incitantem, Apostolus vetat. Omnem ornatum vanum, & superfluum sub mortali Scripturæ sanctæ vetant.* Hæc duo extrema cavenda sunt, illudque ut certum tenendum, sub mortali prohiberi impudicam indumenti formam, ornatumque iuxta prudentum estimationem ad luxuriam graviter concitantem. E contrario pro vero habendum est, ornatum muliebrem, leviter superfluum, & vanum, culpam venialem non excedere. Quando postea leviter, vel graviter ad libidinem provocet, vix definiri, ut alias diximus, potest. Infra tamen regulas dabimus. Consule D. Antoninum loc. cit. ubi in utramque partem disputat, & vix definire audeat, sicut nec ego generalem regulam designare intendo.*

**IV.** Non minus animadversione digna sunt quæ docet P. Lessius sigillatim de immodesto mulierum ornamento. Contendit ille tunc solummodo. ( quantum quidem exemplo quod affert, colligi potest ) feminas grave scandali peccatum perpetrare, cum vestes adeo subtiles, & pellucentes gestant, ut pudenda minime occultent. *Tertio ratione scandali, ut si quis uteretur veste adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non satis tegerentur.* loc. cit. num. 112. Quænam vel ex prostitutis mulierculis tam proiectæ pudicitia, ut pudenda non occultet? Quisnam Patrum sanctorum in suis

adversus muliebrem cultum declamationibus tantæ impudentiæ meminit, vel feminis impropere? Capitis nuditatem, crinium artificiosam dispositionem, vestium, margaritarum, anulorumque pretiosum apparatus in illis redarguunt. Pudendorum manifestationem nemo unus redarguit, quod ipsa horrorem ingerat. Vultus quoque fucos acerrime detestantur Patres; sed Auditor iste nil mali in fucatis mulieribus agnoscat loc. cit. n. 3. *Denique pingere faciem, eique varios colores inducere, non est per se malum, sed indifferens: similiter per hoc intendere pulchritudinem, artificio iuvare, ac exornare opus nature. Ergo nihil hic mali, nisi ratione excessus in affectu, & usu rei indifferentis.* Confer hanc cum Patrum, quam supra dedimus, doctrinam, ut colligas, quam sint antiqui Doctoribus recentiorum temporum Theologi repugnantes. Mulieres vultum pingentes Dei imaginem adulterare, falsam pulchritudinem ementiri, divino artificio manus inferre, aliæque flagitia perpetrare, Patres docent. Probabilissimus e contrario eiusmodi lenocinia, & sensuum præstigia nil mali continere, atque inter adiaphora reponenda, universo reclamante Patrum choro, defendunt.

## §. VI.

*Quandonam mulierum ornatus superfluus censendus mortalis sit, aut venialis.*

**I.** Hactenus ex Scriptura divina, & Patribus ostensum est, feminis licitum esse ornatum moderatum, illicitumque superfluum. In præsentia videndum, in quo hæc superfluitas sita sit; & quandonam venialis tantum sit excessus, quando vero graviter culpabilis. Extrema declinanda sunt tum severitatis, tum laxitatis. Quæ certa sunt, servari omnino debent; quæ benignam patiuntur interpretationem, suavius exponenda. Superfluum, immoderatumque ornatum malum esse certum est. Evidens ergo, aberrare a vero recentiores Casuistas non paucos, qui hæc superflua ornamenta, ut malitiæ expertia propugnant. Hæc adeo sunt comperita & explorata, ut disputationi locus non sit. Id quod maximum facescit negotium, est indicare, in quo ornamenti excessus situs sit, & quando venialis, quando vero mortalis reputari debeat. Regulæ generales certæ designari vix, ac ne vix quidem possunt, ob circumstantiarum diversitatem.

**II.** Ut autem in materia adeo involuta, I † & per

& perdifficili extrema devitemus, illud semper memoria repetendum est, ornatum scilicet muliebrem licitum esse, suaque natura indifferentem. Quod autem absolute malum non est, illius excessus, vel defectus nunquam est mortalis, usquedum intra sui generis limites consistit; sed venialis tantum, ut optime Caietanus 2. 2. *quest. clix. art. 2.* ostendit. Idque patet in quolibet rei indifferentis usu, ut in appetitu honorum, divitiarum, cibi, & potus. In his enim excessus, omni circumstantia extranea præcisa, non est mortalis, sed venialis, eo quod superfluitas sit rei quæ natura sua mala non est; sicuti non esse curam proprii corporis, pulchritudinem, muliebremque ornatum, offensum est. Quare mulieres quæ, ut viris suis placeant, in pretiosioribus vestibus, anulis, monilibusque excedunt, non nisi venialiter delinquant, re absolute spectata intra genus ornamenti. Idem dicendum de puellis nuptias anhelantibus; immo de mulieribus generatim quæ ob inanem quamdam iactantiam, vel ut inter ceteras pulchræ appareant, non nisi venialiter illas delinquere dicendum videtur, docentque communiter Theologi.

III. Verum hic ansam errandi non pauci Theologi recentiores arripunt. Vix enim gravis culpæ damnant in praxi muliebris ornamenti excessum, eo quod absolute, & in sua metaphysica notione spectatum mortalem malitiam non involvere dictum est. Ne hac illusionem decipiamur, animadvertendum, quod plurimæ, & frequentissimæ occurrunt circumstantiæ, vi quarum excessus istius ornamenti graviter criminofus evadit. Prima est pravus finis provocandi ad venerem. Secunda effectus qui inde passim sequuntur, iniustitiæ nimirum, furta, solutionis debitorum ommissio, mercedis retentio, elemosynarum neglectus, patrimonii cum filiorum damno dilapidatio. Tertia affectus impotens, atque ita paratus, ut nihil curet vel ipsum peccatum, dummodo suam expleat, satietque cupiditatem. Postrema, & omnium frequentissima, est scandalum proximi, qui ob inverecundum, fulgidumque ornatum ad libidinem illicitur. Hæ circumstantiæ aut separatim, aut coniunctim passim occurrunt. Idcirco mulieres, quæ nulla cohibita modestiæ, verecundiæ, ac temperantiæ lege, hodiernæ consuetudini, quæ vulgo *Moda* nuncupatur, sese dedunt, quæque nullum non movent lapidem, ut suo vano genio satisfaciunt, vix culpam gravem evadunt, ut infra dicemus.

IV. Ut tamen pressius, quoad fieri potest,

difficultatem dispiciamus, distinguenda sunt superfluitatis genera. Nam superfluitas in uno genere erit venialis, in alio mortalis. Si excessus sit in vestibus, in anulis, in gemmis, monilibusque nimium pretiosis, præcisa circumstantia expensarum, quæ proprium statum, & conditionem excedant; culpa non erit nisi venialis. Si vero superfluitas sit in ornatu inverecundo, & exquisito, nimirumque ad venerem incitante; culpa poterit esse mortalis. Vestis pretiosior ex holoserico, auroque intexta, sed gravioris formæ, colorisque subobscuri; minus ad malum provocat, quam vestis lanea, sed colore vividiore, rubro nempe tinctæ, & alia candida, & subalba distincta, & cincinniore forma disposita. Facilius est in secundo quam in primo genere excessus gravem inferens culpam. Sed neutrius generis letalis malitiæ certa figura potest. Ut capite ultimo dicturi sumus, ex feminarum statu, conscientia, morum vel integritate, vel pravitate, aliisque circumstantiis culpa gravis, vel levis colligi potest. Interim quæ hac de re docet divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, transcribam.

„ Quantum ad ipsum ornatum in se duo pos-  
„ sunt ibi vitia inveniri; scilicet superfluitas  
„ expensæ, quæ pertinet ad prodigalitatem;  
„ & incitativum, seu excitativum libidinis,  
„ ad quod illud inducit. Et quantum ad su-  
„ perfluitatem, quum non omnis prodigali-  
„ tas sit mortale, sed aliquando, & frequen-  
„ tius veniale; ideo isto respectu non pote-  
„ rit illud indicari mortale, nisi fuerit valde  
„ evidens, & enormis excessus. . . . Quan-  
„ tum autem sit ille excessus quoad super-  
„ fluitatem, seu prodigalitatem, ornatu,  
„ quod faciat mortale, fateor me nescire  
„ dare regulam generalem, nec de facili pos-  
„ se dari; nec reperio aliquem dedisse. Un-  
„ de prudentiæ, & arbitrio boni viri relin-  
„ quendum est. In quantum vero ipse ornatu  
„ mulieris est provocativus ad lasciviam, vi-  
„ detur ibi distinguendum de occasione data  
„ sufficienter, vel accepta. . . . Poterit autem  
„ esse tantus excessus, quod erit ibi occasio  
„ etiam data ex parte mulieris se ornantis.  
„ Qualis autem sit ille excessus, ut mortale  
„ valeat indicari, ad arbitrium boni viri vi-  
„ detur dimittendum. Boni viri dico, non  
„ solum in conscientia, sed in sufficienti pe-  
„ ritia circa huiusmodi. Sed ex his quæ no-  
„ tat Alexander de Ales in suo II. non de  
„ facili debent huiusmodi mulieres de mortali  
„ condemnari. “

§. VII.

§. VII.

*Mulieres superfluo ornatu culta indicia produunt impudicitie.*

I. Regula quam ex D. Antonino modo retuli, omnino subscribo, non esse videlicet mulieres ob ornamenti excessum illico, præcipitque iudicio gravis noxæ damnandas. Sed neque nimia facilitate afferendum est, illas vanis onustas pompis evangelicam cæli viam premere. Tametsi ornatu iste, etiam superfluo, non sit genere suo mortalis culpa, ut iam dictum est; ob ea nihilominus quæ frequentissime infert damna, gravem sæpe contrahit malitiam, ut sequenti paragrafo ostendam. Nunc communi Patrum confessione palam faciam, mulieres immodico superfluoque ornatu comptas, quæque, nulla habita modestiæ evangelicæ ratione, impotenti sollicitudine recentes exterioris vestitus formas, & consuetudines affectant, validissima præferre impudicitie argumenta.

II. Patriarcha Chrysolomus sua solita eloquentia assertionem nostram confirmat hom. VIII. in I. ad Timoth. II. *Per exteriorem cultum, & habitum plures pestes se trahunt amatorum greges; atque hinc plurimæ pessima sapientis suspitione non carent; nihilque profusus eiusmodi lucentur ornatu, immo & plurimis ex ea opinione nocuerunt. Nam quemadmodum impudica, etiam si pudica videatur, nihil ex huiusmodi opinione lucratur, quum Iudex ille noster occulta omnia tunc in medium producturus sit; ita ne pudica quidem, si per habitum studeat adulterii opinione notari, quicquam ex pudicitie opinione lucrata est. Plurimos enim & ipsa ex hac opinione violavit. Verum quid agam, inquit, si alius de me pessime suspicetur? Tu huius suspitioni per habitum, per incesum, atque aspectum, & omnem corporis motum fomenta ministras. Similia scribit D. Gregorius Nazianzenus in tract. advers. mulier. se ornantes. Hæc artificia non pudicitie sunt, sed lascivie, ac libidinis. . . . Ferunt insolentem pavonem, cum curvato collo, pennisque gemmantibus circumlucum efficit, feminas clangore suo ad venerem incitare. Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam fingas quam ut nitidorum, & fallacium virorum oculos ad te convertas.*

III. Tertullianus Lib. de cult. femin. cap. IX. *Hæ pompe quam de proximo curent luxurie negotium, & obstrepant pudicitie discipli-*

*nis, dignoscere in facili est, quod gratiam deorum cultus societate prostituunt. Subdit Iulianus cap. XII. Lenocinia formæ nunquam non prostituta corpori coniuncta, & debita etiam Scriptura suggerunt. Illa civitas valida quæ super septem montes, & plurimas aquas præsidet, quum prostituta a Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi sua comparata est? Sedet certe in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioso: quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta, & prostituta describi. Thamar illa, quia se expinxerat, & ornaverat, idcirco Iudæ suspitione visa est quæstui sedere; adeo, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuarium mentiente, fecit ut quæstuarium, & voluit, & compellavit, & pactus est. Unde addiscimus adversus congressum etiam, & suspiciones impudicas providendum omni modo esse. Quid enim castæ mentis integritas in alterius suspitione maculatur? Quid speratur in me quod averfor? Cur non mores meos habitus pronuntiat?*

IV. Tandem cap. XIII. excusationem illarum reiicit mulierum quæ interiorem iactant castitatem inter pomparum illecebras intaminatam. *Aliqua forsitan dicit: Non est mihi necessarium hominibus probari: nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspexit cordis est. Scimus omnes, quum tamen quid idem per Apostolum dixerit, recordemur. Probum vestrum coram hominibus appareat. Ad quid, nisi ut malitia ad vos accessum omnino non habeat, & ut malis & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est Luceant opera vestra? Aut quid nos Dominus lucem terre vocavit; quid civitatis supra montem constitutæ comparavit; si non relucemus inter tenebras, & extamus inter demersos? . . . Pudicitie christiane satis non est esse, verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, ut emanet ab animo in habitum, & eructet a conscientia in superficiem, ut & foris inspicat, quasi suppellectilem suam, ut conveniat fidei contemendæ in perpetuum. Discutientis enim sunt delicia, quarum mollitiæ, & fluxu fidei virtus effeminari potest. Ceterum nescio an manus spathali circumdari solita, in duritia catenæ stupefcere sustineat. Nescio an crus de periscelio in nervum se patiat aritari. Timeo cervicem, ne margaritarum, & smaragdorū laqueis occupata locum spathæ non det. Quare, benedicta, meditemur duriora, & non sentiamus. . . . Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israelis denotantur. Odisse debetis quod Iudeos*

deos perdidit, quod, derelinquentes Deum, adoraverunt. Iam tunc aurum ignis est esca. Ceterum tempora Christianorum semper, & nunc vel maxime, non auro, sed ferro transfuguntur: sola martyriorum preparantur. . . . Prociite vos iam medicamentis, & ornamentis extructe Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicte oculos verecundia, & os taciturnitate, inferentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus iugum Christi. Caput maritis subiciite, & satis ornata eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, bysso sanctitatis, purpura pudicitia. Taliter pigmentata Deum habebitis amatorem.

V. Clemens Alexandrinus Lib. III. paedag. cap. III. inquit: Sicut nota iniusta fugitivum, ita etiam floridi colores adulteram indicant. D. Cyprianus Lib. de habit. virg. Excusari non potes, quasi casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus. Audiamus & Hieronymum epist. ad Demetriadem: Crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes, ut sub nomine virginis vendibilis pereant. S. Bernardinus Senensis Tom. I. serm. XLIV. art. I. cap. II. post allatum hunc evangelicam textum, Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala, Matth. XII. sic persequitur. Secundum enim quod vanum, & carnale est cor, extra in corporis amictu profert thesaurus vanitatis. Nam plerumque homines astruunt de signis signata, de circulo tabernam, & de signo furis aestimant furem. Meretricius habitus signum est meretricii actus; sicut habitus monialis monalem ostendit; & sic de aliis. Contemplantur hominem, sive mulierem ab extra; & satis clare intelliges quid communiter sit ab intra, teste Ecclesiastico, qui XIX. cap. ait: Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis indicant de illo.

VI. Adductis Patribus, ceteris plurimis omissis, addo celeberrimum Iuriconsultum Andream Tiraquellum, qui part. III. n. 26. in tertiam legem connubialem hæc scribit. Nec mulieres tantum impudicæ, sed pudicissimæ quoque eo affectu maxime premuntur, ita ut ob id nonnumquam in suspensionem impudicitia veniant. Legimus enim Claudiam Vestalem, quam semper habita esset impudica ob nimios corporis cultus, quam ex libris Sibyllinis Idæa Mater esset accita, & in vado Tiberini fluminis navis, in qua veleretur, hæ-

sisset, nec ullo modo, aut ulla vi commoveretur, Deam submissis genibus orasse, ut si se castam indicasset, suum cingulum sequeretur: ita navem quæ ab omni iuventute non valuit commoveri, ab una illa muliere fuisse commotam; quod a Lactantio scriptum est Lib. II. qui est de origine erroris, & nonnihil etiam tradit Livius Lib. IX. belli Punici secundi, & Plinius Lib. VII. cap. xxxv. & alter Plinius iunior in Lib. virorum illustrium, ex quo & illud est Ovidii Lib. IV. Fastorum de eadem. Casta quidem; sed non & credita. Rumor iniquus

Laserat, & falsi criminis acta rea est. Cultus, & ornatis varie prodisse capillis. Obsuit, ad rigidos promptaque lingua sonos. Livius Lib. ab Urbe condita IV. memorie prodidit, Posthumam, & ipsam virginem, de incestu causam dixisse, crimini obnoxiam ob suspensionem ob cultum amantorem, tandem absolutam: sed eam tamen Pontifex maximus sancte potius quam scite Deam colere iussit. Vel ipsi ergo Ethnicis argumentum visum est impudicitia: quæ sitis mulierum ornatus, nimiusque cultus. Videant recentiores Casuistæ, utrum etiam Paganis impingere valeant Rigoristarum notam, quod damnent ceu libidinis signa eas vanitates quas ipsi ut innoxias defendunt.

VII. Tandem D. Bernardinus Senensis excusationem sibi obiicit satis familiarem, qua mulieres vanitatibus suis præsidium quaerunt. Reponunt enim, se D. Pauli monitis parere, cum non ob alium se finem ornent, nisi ut viris suis placeant. Utique Apostolus docet, mulieres nuptas eo studia sua collineare, ut placeant viris suis. Sed numquid suadet ut virorum amorem, & affectum sibi concilient vultuum pigmentis, ornatu superfluo, gemmarum, monilium, margaritarum pretiositate; si hæc omnia immo ille prohibet? Sed audiamus Senensem Seraphicum loc. cit. serm. XLIV. art. 2. cap. I. Sunt & alia plures, quæ ad excusandas excusationes in peccatis dicunt se hoc agere, ut placeant viris suis, ne in alia detestabilia ruant, ut quasi quodam rete, vanitate utantur ad proprios retinendos viros, ne ab aliis cupiditatibus captantur. Sed, queso, responde mihi, o mulier, habitaculum vanitatis: quare hoc rete tibi expandis, ubi non est virtus? Cur potius te exornas, cum in publicum prodis, quam cum a viro tuo in secreto thalamo de propinquo videris? Ibi quasi quoddam Regina compares; hic vero quasi quoddam carnis monstrum appares. Ibi nequaquam licet velle alteri viro placere; hic

hic vero licitum est cum moderamine honestatis ob legitimam causam mariti gratiam quaerere. Sed similis es quibusdam quæ dum se fingunt silvestres columbas, & aves capere vellet, domesticis, ut eas capiant, insidias ponunt. . . . Sunt etiam alia plures, quæ dicunt: Sic vultu, sic precipit contum meus: parere necesse est. Quibus rationibus responderetur, quod si hoc placet, o mulier, viro tuo; non placet tamen hoc Domino tuo. Audi beatum Petrum, qui Act. v. dicit: Oportet magis placere Deo quam hominibus. Sed audi & tu, vir vanus, & excors: si vis coniugem tuam non esse meretricem, cur vis illam meretricem videri? Si forte autem illam amittere cupis, placeat Deo tuo quod iam illam non amiseris; cum certum sit quod ex hoc illius, & tuam, & aliorum multorum animas perdis, sicut Ezech. cap. XIII. scriptum est: Vident vana, & deviant, scilicet a tramite honestatis.

VIII. Hunc eundem prætextum prius evulserat Tertullianus Lib. de cultu fem. cap. IV. Quasi gentilibus dicam gentilis, & communis præcepto alloquens vos: solis maritis vestris placere debetis. Intantum autem placebitis eis, inquantum alteri placere non curaveritis. Securus estote benedicta. Uxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit, cum electa est, seu moribus, seu forma commendata. Ne quæ vestrum putent, si temperaverint a compositione sui, odium & aversionem maritorum prosecutionis. Omnis maritus castitatis exactor est. Formam vero fidelis non expectat: quia non istidem bonis quæ gentiles putant, capimur. Infidelis contra, etiam suspectam habet, vel propter illam sceleratam in nos opinionem gentilium. Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si fidei, non exigit; si gentili, simplicem non credit. Quid gestis aut suspecto, aut non desideranti placere?

## §. VIII.

Immodicus mulierum ornatus sæpe letalis est ob superfluam, prodigamque divitiarum assumptionem. Hinc non familie modo, verum etiam civitates, & regna ad egestatem rediguntur.

I. Familiarum patrimonia aut imminui, aut penitus in fumum abire ob muliebres pompas, lamentantur omnes. Statuum gradus confundi, rerum, & personarum ordinem perverti, iacere artes, languere mercaturam, nobilium dignitatem ad extremam sæpe redigi egestatem propter immodicas in adornandis feminis impensas, experientia te-

statur, voxque communis inclamat. Quod porro altius animum exulcerat, lacrymaque exprimit, est vix reperiri qui reipsa, dum iudicium peculiare super vano muliebri ornatu ferendum est, letalis culpæ mulieres damnet. Omnes vel benigniores Probabilitate graviter peccare mulieres docent, cum impendio magis excedunt in ornatu quam ferat familiaris status. Hic autem excessus gravis, nedum levis, in omnium oculos se se ingerit. Nihil vero fecius quot sunt vel Casuistarum, vel Confessariorum, qui aut mortalis noxæ damnent, aut divinæ reconciliationis indignam aliquam vel vanissimam mulierem iudicent, propter manifestam, evidentemque ornamentorum superfluitatem? Quare verendum summopere est ne simul cum nimium cultis feminis æternas daturi sint poenas Theologorum, & Confessariorum non pauci, ut capite ultimo cum D. Bernardino Senensi ostendemus. Ne tamen gratis hæc a me dici quisquam suspicetur, nonnulla ex præfato Seraphico Bernardino isthuc transcribere libet.

II. Innumera sunt mala, non modo spiritualia de quibus infra, sed temporalia etiam, quæ superfluas consequi pompas docet S. Bernardinus. Ex pluribus pauca feligam. Tom. I. serm. XLVI. art. 2. cap. IV. inquit: Quare nocent pauperibus devoratis, quibus illa quæ expenduntur in pompis, & iocalibus, atque vanitatibus suis, restitui deberent. Devoravit enim illos pater suus, sive maritus per usum, rapinas, furta, simonias, aut per quascumque concussiones. Pereunt illi fame, frigore, & nuditate; nobilesque puella expoliatorum clausa, & inupte retinentur in domo, laceratis vestibus, vix carnes operientes, verecunde & timide vir coram aliquo comparentes. Parvuli panem petunt, nec est qui tribuat illis. Infirmi iacent in lecto parentes eorum, aut in carcere cruciantur, nec de propria substantia sua subvenitur illis. Et tu vanitatis insatiabilis lupa sanguinem pauperum cum cauda per terram trahis, fastuosas pompas iactanter ostentas, aliasque magnas, & sanguine plenas fastidiosas vanitates dilatas, ostendens quanta velocitate ad infernum volas.

III. Præter furta, rapinas, usuras, simonias, pauperumque defraudationes, quæ a parentibus, maritumque vanarum mulierum perpetrari non raro solent, recenset deinceps Senensis Seraphicus ibidem art. 3. cap. III. vel ipsas a maioribus partas, vel iure acquirendas divitias, quæ in femineum luxum prodiguntur. Tertio ex vanitatibus veniunt mala tem-

-temporalia. Nam qui diligenter advertit, ex multitudinis expensarum quæ in vanitatibus fiunt, primo cessant iusta lucra; secundo crescunt temporalia damna; tertio cogunt ad hæc prædicta continuanda. Primo quidem cessant iusta lucra. Nam pecunia quæ expenditur in superfluis indumentis, in monilibus, in anulis, in coronis, in lapidibus pretiosis, atque in superfluis aliis ornamentis, mortua perseverat, quæ quidem potest esse lucrosa in mercaturis, in possessionibus, in animalibus, in artibus, & in aliis quibuscumque lucrosis; & sic per consequens ad temporalem utilitatem civitatis, & totius patriæ redundaret. Secundo crescunt temporalia damna. Nam pretium quod in talibus vanitatibus possidetur, communiter semper diminuitur.

IV. Alia non minora mala, quæ ex mulierum fastu proficiscuntur. D. Bernardinus exaggerat, sunt domesticæ tranquillitatis perturbatio, perpetua familiarum iurgia, uxorum dissidium, atque ardens inter easdem mulieres amulatio, & similtas. Quolibet enim mulier (inquit ibidem art. 2. cap. III.) ad vanitatem est naturaliter prona, similisque omni: quia, si se precipitat una, aliam in idem ruere necesse est. Hæc invidia mota, licet generis sit minoris, huic se in ornatu æquiparare contendit. Quæ equalis est divitiis, aut genere, si non superat istam in vanitatibus, numquam mente quiescit; nec unquam in pace maritum permittit. Alia autem nobilioribus orta natalibus, sublimis divitiis, mente inflata, corpore elata, si cunctas non superat in immensum, magnam iniuriam se æstimat facere Creatori, inventiones, & vanitates reperit novas. Maritus quandoque plusquam inanis, & vacuus, illi in omnibus favet: deprecari, si opus est, desiderat cunctos, ut satisfaciat ei. Si casu maritus talibus vanitatibus vel propter indigentiam, seu propter avaritiam, aut propter conscientiam non assentit, non satisfacit, omnino non favet; o intolerabile bellum! o diurna, nocturnaque insuperabilis pugna! o lacrymæ omni tristitia satiata! Lugens itaque lamentationibus plena est. Heu me infelicem! Nuptiæ tradita sum: maledicta hora. Illa oratio procedit in publico; talis de ignobili genere honoratur ab omnibus. Ego misella, heu, heu, despicior in consortio feminarum. Denique tot molestiis maritus devictus, & tædio, si debet illi satisfacere, non tantum ex suis, sed etiam ex visceribus Iesu Christi est necesse illis condescendere postulatis: mutuo accipere, sub usuris debita subire gravia. Si

demum mulier his molestiis obtinere non potest, cuncta bona mariti decimat, de omnibus quæ sunt in domo furatur, cumulatque denarios, ut satisfaciat vano desiderio suo, mendacique parentum, & suo operit furtum. Sed, quod dolorosius est, quandoque obtinent ab amatis quod inficiatur a maritis. Ecce quot malorum inter coniuges talis immoderata vanitas occasio est. Tanta igitur ad vanitates in mulieribus pronitas est, & ad hoc etiam diabolus operatur, ut, si una sola in quadam magna civitate sit vana, omnes per illam trahantur ad immoderantiam vanitatum.

V. Non modo familiarum, verum etiam civitatum, & regnorum clades, profligationes, extremamque ruinam ex immoderato pomparum, luxus, muliebrisque ornamentu abutu proficisci ostendit Seraphicus Senensis. Adeo quippe effrenis, & impotens est ambitionis æstus, & exquisiti ornatus appetitio, ut quemadmodum ex lignorum combustione fortior erumpit flamma, sic ex pretioso ornatu exquisitioris luxus fames acuitur. Hæc est cuiusque humanæ appetitionis natura, numquam expleri, sed augeri potius actibus suis. Experimentiam quotidianam testor omnibus compertam. In dies vestium formæ mutantur, recentes appetuntur, indutæ fastidio sunt, & ad alterius figuræ inventionem studium conferuntur artificum. Ut quanta sit cæcitas Italarum in vestium luxu, pompisque ostentandis, perspectum habeas, isthuc animum intende. Singulis fere mensibus ex Transalpinis, potissimum ex Gallia, muliebre idolum recentis vestium forma instructum in præcipuas Italiæ civitates adventit. Ad hoc exemplar continuo artifices vestium formas, ac universi ornamentu rationem exigunt. Quin non modo peregrinum vestimenti morem, & figuram Itali æmulantur; verum ad ultimum propriorum artificum, mercatorumque, atque adeo civitatum exterminium, aliarum quoque regionum manupretia, pannos, serica, telas, textilia, pinnata, pileos, calceos, verbo dicam, cuiusque rei vestitiaræ merces cariore pretio comparant. Propriarum civitatum opificia vilia, obscura, impolita, incompta; peregrina vero exquisita omnia, elegantia, & splendida. Hæc luxus, pomparumque transalpina idola Italarum æraria exhauriunt, aurum, argentumque nostrum, atque divitias omnes vorant, & deglutiant. Utinam saltem pompatica hæc pestis divitum, nobiliumque scriinia evacuet, ut propria nationis artifices, mercatoresque ditaret! Ad bonum quod attinet publicum, perinde res

se se

se se haberet. Quod enim hæc, vel illa familia divitias possideat; nihil deperit, vel accrescit principatui. Privatorum tantummodo fortunas labefactaret ornamentorum abusus; si quæque natio, quemadmodum suæ terræ fructibus alitur, sic propriorum artificum opificiis indueretur; excessus indumentorum ex una in alteram familiam pecunias transferret. Verum ad extremam patriæ nostræ cladem Angli, Batavi, Gallique superstitiosi vestitus exemplaria ad nos transfugerunt, & ab eisdem pretio summo selectiora ornamenta comparantur. Qui hæc agunt, naturæ, patriæ, principatui, sibi quæmetipsum bellum inferant. Suæ nationis homines ceu hebetes, stupidosque traducunt, ac si ignorarent hi elegantem vestitus formam delineare. Naturæ ordinem pervertunt, cum exteros patriis artificibus præferunt; istosque in extremam coniciunt miseriam, ut illos ditent. Principatui sunt infensi, quod publicum patrimonium minuant, dum subditorum inopiam inducunt. Sibi ipsi tandem ruinam parant nimio luxu indulgentes, peregrinasque pompas captantes. Quæ ergo gravissima crimina non perpetrant illi qui in causa sunt ne Principum leges quæ has peregrinas merces prohibent, executioni demandentur, qui remoram iniiciunt, aut negligunt earumdem promovere observantiam, vel transgressores impunitos dimittunt? Illi sunt patriæ proditores, pauperum artificum, mercatorumque immanes, truculentique oppressores, ac inferno in antecessum mancipati, eo quod fieri nequeat ut hi infinita, quæ aut culpabili dissimulatione, aut cooperatione invehunt, damna resarciant, compensentque. Civitates ob vanitatis abusum exterminandas fore vaticinatur ipsemet Propheta Regius: *Accipient in vanitate civitates tuas: Psalm. cxxxviii.*

VI. Hæc, & alia longe plura proficisci mala ex nimio luxu, fastuque docet S. Bernardinus loc. cit. serm. xlv. art. 2. cap. II. *Ex talium vanitatum igitur usu mentes civium inanes, & vana, virtutibus vacua, replentur vitiis, & superbis, partialitatibus, ambitionibus, ac multiplicibus sceleribus imbuuntur. Cumque Dominus ad tempus tales vanas civitates, & patrias sustulerit patienter, & per predicatores suos correxerit clementer, & sapienter, in exterminium pestium, & bellorum, & diversarum afflictionum in potestate demonum tradet illas, iuxta Psalmographi Psalm. cxxxviii. Accipient in vanitate civitates suas, non meas. Meas quidem per*

*donorum multiplicationem; sed suas demum per ingratitude, & vanitatum abusionem.*

### §. IX.

*Immodicus mulierum ornatus notabiliter ad venerem illiciens, crimen letale est.*

I. Paragrapho superiori ostensum est, muliebrem ornatum frequentur esse grave flagitium, quod propriæ fortunæ gradum excedat, & ob gravia quæ inde sequuntur incommoda. In præsentia, missa consideratione gravis, vel levis valoris, hoc in disputationem vocamus, sitne mortalis excessus feminei ornamenti, si notabiliter ad libidinem incitet. Hanc quæstionem fuso calamo versat P. Albertus de Albertis de orn. mul. disp. I. cap. VII. sententiamque propositam efficaciter propugnat.

II. Caietanus præ omnibus recentioribus subtilius rem hanc discutit 2. 2. q. clxix. art. 2. ad quintum dubium. Sed quia morum regulas interdum a praxi, & circumstantiis plus iusto seiungit, & ad sola Metaphysicæ principia revocat, quemadmodum hic præstitit; occasionem præbet laxius quam par sit illius doctrinam interpretandi. Et quia ipse solus omnes quæ favere mulieribus possunt rationes, in medium affert; easdem transcribere iuvat, ne quidquam dissimulare eorum videamur quæ patrocinari feminis valent.

III. Hæc porro sunt rationum momenta quæ Caietanus promit 2. 2. q. clxix. art. 2. „ Quoniam ars imitatur naturam, & mulier „ pulchra suapte natura est provocativa ad „ sui concupiscentiam, seu lasciviam, pro „ quanto scilicet facit ad mulieris pulchritudinem „ apparentem. Verum quia natura „ superat artem, & multo magis mulieris „ pulchritudo naturalis quam artificialis provocativa „ est ad concupiscentiam mulieris; „ ideo sicut inculpabilis est omnis pulchritudo „ naturalis mulieris; ita inculpabilis „ secundum se est omnis pulchritudo artificialis; „ ita quod neutri secundum se imputandum „ est ad culpam, quod provocativa „ est ad concupiscentiam mulieris. Et propterea „ in littera utrumque explicatur, & „ quod ornatus muliebris est provocativus „ virorum ad lasciviam, & quod esse „ provocativum non imputatur ornatui ad culpam, „ nisi ex alia culpa, puta ex intentione „ provocandi.

„ Ad primum igitur dubium dicitur, quod „ esse



esse provocativum ad concupiscentiam quandoque est nomen vitii, quandoque est nomen conditionis naturalis. Mulier namque pulchra, est naturaliter provocativa ad concupiscentiam sui; & impudica, est vitiose provocativa ad concupiscentiam sui. Et quia ornatus muliebris secundum se non est provocativus ad lasciviam, nisi sicut pulchritudo, ideo non est in specie vitii provocativi ad concupiscentiam secundum se, sicut nec pulchritudo naturalis; sed ex intentione utentis ornatu, seu pulchritudine, ad provocandum. Et propterea nullus ornatus muliebris ex hac ratione, quia provocativus est ad lasciviam, est secundum se peccatum mortale.

Ad obiectionem autem in oppositum, quod huiusmodi excessus, cum novitate præteritum, est contra dilectionem proximi, quia coguntur alii ad huiusmodi sumptus: responderetur, quod quum quilibet sequens malum exemplum novitatis, seu excessus, voluntarie inferat sibi ipsi hoc damnum novi sumptus, & hoc sit præter intentionem primi ornantis se novo excessu ut sic, nulla iniustitia committitur contra proximum, nullus actus sit contra caritatem proximi per se loquendo. Graviter tamen peccant primi utentes novitatibus occasionaliter damnosis proximo, præferentes suæ vanitatis affectum proximorum necessitati. Quia tamen excusare se possunt dicendo: Non imitetur nos qui non potest, quin non vult: faciat unusquisque sumptus iuxta suas facultates, & non sit stultus: ideo nec contra caritatem, nec contra iustitiam actus iste est; valde tamen reprehensibilis propter multas deformitates, & graves quas habet, dum & consuetudo violatur, & occasio damni datur, & inanis gloria, ac stultitia non sine scandalo committitur.

Ad quintum dubium de imputatione ad culpam dicitur, quod quum unumquodque secundum propriam causam iudicandum sit, & non secundum occasionem; propria autem causa sit voluntas concupiscentis viri; mulier autem ornans se vane, nec per se, nec per accidens volens se concupisci, non causa, sed occasio tantum sit ruinæ alterius; non est mulieri imputandum casus viri concupiscentis. Et quamvis det mulier operam rei illicitæ, ex eius tamen opere non causatur ruina alterius, sed ex mala voluntate virorum: & propterea eventus iste remotus, & non intentus, non est ei imputandus, sicut nec

pulcherrimæ mulieri vane egredienti domo imputandum est peccatum concupiscentium eam, quam non concupiscerent, si domi fuisset. Et scias, quod hæc omnia sunt præ dicta, ut toties expressum est, intelliguntur de ornatu secundum se.

IV. Universa ergo Caietani doctrina hæc est. Pulchritudo feminea naturalis, tamen si ad venerem incitans, non est cupabilis: ergo idem de ornatu dicendum est. Procuratio ad venerem quandoque vitii, quandoque personæ nomen est. Porro quia ornatus muliebris eodem provocat modo ad libidinem quo pulchritudo, idcirco hæc provocatio non est in specie vitii reponenda. Insuper eiusmodi ornamentorum excessus neque est contra caritatem, neque contra iustitiam. Denique, cum causa ruinæ concupiscentis feminam sit amatoris viri voluntas, non ornatus mulieris; ideo ornatus iste, tamen si superfluous, non causa, sed occasio dumtaxat est spiritualis lapsus. Quæ omnia intelligenda sunt, inquit Caietanus, secundum se, nimirum præcise pravo sine iactantiæ, superbiæ, libidinis, seu alterius vitii. Rationes Caietani adoptarunt Auctores citandi.

V. Sententiam itaque Caietani amplectuntur Lessius *Lib. IV. cap. iv. dub. 14.* Layman *Theol. Moral. Lib. II. tract. III. cap. XIII.* Navarrus *in Sum. cap. XXIII. n. 29.* Castropalaus *tract. VI. dis. VI. punct. 7.* Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. VI. num. 17.* Diana *tract. v. resol. 9.* alique recentes Probabilistæ. Laudatus P. Albertus de Albertis *de orn. mul. dis. I. cap. VII. §. 3.* contendit neminem Theologorum nostræ adversari sententiæ; eo quod, inquit, de ornatu leviter tantum ad venerem incitante loquuntur. Utinam hoc verum haberet! Ceterum Caietanus non modo de levi, sed de notabili quoque excessu ad libidinem provocante loquitur. Quod ipse asserit muliebrem ornatum provocare ad lasciviam, ex textibus proxime adductis compertum est. Quod autem comprehendat excessum etiam notabilem, ex sequentibus eiusdem verbis palam fiet. Hæc enim habet *loc. cit. ad quartum dubium*.

Et licet superfluitas ornatus in pretiosis, respectu personæ sit vitiosa, si desit tamen contemptus, & malus mortaliter finis, & lex, hoc est loquendo de ipsa superfluitate secundum se, non est peccatum mortale, etiam si notabilis sit excessus; quamvis ignorantibus quidam aliter crediderint, minus penetrantes naturam peccati mortalis. Nam ad peccatum mortale exigitur quod

## §. X.

Patrum, & Theologorum auctoritate ornatus muliebris nimium superfluus letali culpa minime caret.

quod sit contra caritatem; & non sufficit quod sit contra aliquam virtutem. Maximus namque excessus contra liberalitatem non est peccatum mortale. . . . Notabilis quoque excessus in mentiendo non est peccatum mortale, nisi ad perniciem, quæ contra Deum, aut proximum est, ducat. Et iam dictum est ab Auctore, quod fucatio quantacumque non est peccatum mortale, nisi per contemptum, vel lasciviam; & non est dictum de fucatione parva, sed absolute. Constat autem quod inter ornatus mulierum fucatio pessimum videtur habere locum: & si ipsa absolute, ac per hoc quantacumque sit, non est secundum se peccatum mortale, sed solum propter lasciviam, vel contemptum; confestim quens est ut male intellexerint dicentes, quod secundum Doctores communiter superfluous notabiliter ornatus est peccatum mortale. Oppositum siquidem hinc habes. Et ratione probatur: quia non est actus iste contra Deum, ut patet; nec contra proximum, cum non sit ad damnum alterius, sed ad propriam vanitatem; nec contra seipsum, quoniam in nullo lædit seipsum.

VI. Caietanus ergo duo defendit, & quod ornatus muliebris ad lasciviam incitet, & quod excessus etiam notabilis istius ornamentum sit culpæ letalis expers. Neque sermonem habet de solo excessu gravi, qui ex nimio præteritii valore confurgit; sed superfluum ornatum defendit, qui suapte natura, quemadmodum pulchritudo naturalis feminea, ad venerem calcaria adiicit. Hac itaque via nequit in nostram sententiam Caietanus pertrahi. Hanc solam illius doctrina excipere interpretationem valet, quod ille spectat ornatum secundum se ab omni circumstantia secretum, a prava nimirum intentione, a salutis proximi contemptu, & ab animarum inde profuente iactura. Quam explanationem, & limitationem utique ille ipse inculcat, & repetit. Hæc est unica via, ut ego quidem autumo, qua bono in sensu intelligi Caietani doctrina potest. Lessius, qui totam Caietani doctrinam excrispsit, minus caute loquitur: & ceteri posteriores Theologi qui eandem doctrinam adoptarunt, laxius illam amplificaverunt. Quare, ut mea præsertim opinio, operam ludent videtur P. Albertus de Albertis, dum præfatos Auctores in suam concedere opinionem evincere studet. Verum de his plusquam satis.

I. UT clarius sententia nostra innotescat, iterum in memoriam revocanda est superflui muliebris ornamentum notio, quam ex D. Ioanne Chrysostomo in dialogo ad Basilium tradit Dionysius Carthusianus in Directorio vitæ nobilium art. 13. Ornatus superfluus consistit in exquisicione vestimentorum, in compositione capillorum, in depictione, colorationeque vultus, & colli, & in appositione gemmarum, vel aureorum, argenteorumque, aut consimilium ornamentorum. Ut alias dictum, & dicendum sæpius est, certa, & generalis regula istius superfluitatis figi minime potest. Siquidem quandoque, & non raro, vultus pictura, vel gemmarum splendor immodicus, & notabiliter ad venerem provocans ornatus, eiusmodi est. Quare præcisa notio non nisi prudentium iudicio, & ex pluribus circumstantiis colligi valet.

II. Patrum auctoritates supra dedimus. Lubet tamen nonnullas alias adicere. Tertullianus omnium primus rationem a naturali pulchritudine arcessitam, quam Caietanus in patrocinium muliebris ornatus asserit, sub examen inducit, illamque reicit *Lib. de cult. femin. cap. II.* Hic enim non modo ex inculcata pulchritudine vultus non infert expertem criminis ascititium ornatum; verum e contrario, neglectu ornatus dissimulanda naturam venustatem docet. Cum igitur & nostra, & aliorum causa versetur in studio periculossissimi decoris, iam non tantum conficta, & elaborata pulchritudinis suggestum recusandum a vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione, & incuria, ut proinde oculorum incuribus molestum. Nam, etsi accusandus decor non est ut felicitas corporis, ut diviniæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana; timendus tamen est vel propter iniuriam, & violentiam spectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris suæ specie pertinuit, & sororem mentis Saram, salutem contumelia redemit. His paucis verbis Tertullianus omnia quæ recentiores ex Caietano (forsitan haud intellecto) obtrudunt in defensionem muliebris ornamentum, perstringit. Primo ornatum femineum ex veste pretiosa, turgenti pectore, cincinnato capite, gemmis ac monilibus qua-

fitum, suggestum, seu thronum elaboratae libidinis appellat. Deinceps addit, quod licet acculiandus decor naturalis non sit, neque corporis felicitas, neque plasticae divinae accessio culpanda; attamen quodam incuriae, & dissimulationis studio, sine tegenda, dissimulanda, negligendaque est, & speciositatis splendor modesto, verecundoque ornatu temperandus, ne spectatorum concitet animos, oculorumque aciem acuat. En quantum ratiocinium Tertulliani, rationi, & Scripturis omnino consonum, distet a recentiorum metaphysica argumentatione, naturae, & Evangelio, ut mea praefert opinio, repugnante. Pergit porro Tertullianus suam confirmare rationem, simulque ea confutare quae recentiores opponunt. Ostendit ideo mulieres se se ornare, ut placeant, ut appetantur; quamquam voce negent quod factum mentuntur. Tentationes quas excitant, scandala quae ingerunt, describit, atque altissimum caritatis mandatum easdem transgredi evincit cap. I. & II. Quota denique est quae nec placere quidem extraneis concupiscat, quae non velit idcirco se expingere, ut neget appetitum? Quamquam & hoc gentili pudicitiae familiare sit non delinquere, attamen velle; vel etiam nolle, attamen non denegare. . . . Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatore libidinis scimus. Quid igitur in te excitas malum istud? Quid invidias cuius te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quae nonnumquam (quod Deus a suis abigat) instando perficiunt, certe vel spiritum scandalo permovent. . . . Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupivit, & facta tu es gladius illi. . . . Expingamus nos, ut alteri pereant: ubi est ergo: Diliges proximum tuum sicut te ipsum? Nolite vestra tantum curare, sed & alterius.

III. Ex alio triplici principio, videlicet ambitionis, prostitutionis, & prodigalitatis, Tertullianus execratur muliebrem ornatum, quem a cultu distinguit Lib. de habitu muliebri cap. IV. Habitus feminae duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli, cutis, & earum partium corporis quae oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. Subdit cap. IX. Brevissimis loculis patrimonium grande profertur.

Uno limo decies sestertium inseritur. Salsus, & insulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes kalendarium expandunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Haec sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno muliebri corpusculo banulare.

IV. Tandem Tertullianus quasi divinator eorum quae in mulierum favorem excogitantur Probabilistae aliqui, ea omnia sibi obicit, illosque ceu periculosa doctrinae magistratibus deridendos propinat. Praetextum illum placendi mariti suis, iterum ut futile commentum repellit, ac si quaeritis extrinsecus artificii indigerent vel mulieres, ut alliceant, cum nativa venustate angelos, seu filios hominum decepterint; vel viri, ut alliceantur, cum naturali impetu in mulieres rapiantur. Inquit enim Lib. cit. cap. II. Haec qualia sint, interim iam ex doctorum suorum qualitate, & conditione pronuntiaripotest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatore, nihil ad timorem Dei disertores spiritus aut monstrare potuerunt, aut praestare. Si doctrinae dicende sunt; mali magistri male docuerint necesse est. Si mercedem pro libidine; nullius rei turpis merces decora est. Quid autem tanti fuit ista monstrare, sive conferre? Utrum ne mulieres sine materis splendoris, & sine ingenii decoris placere non possent hominibus, quae adhuc inculte, & incomposita, & (ut ita dixerim) crude, ac rudes angelos moverant? An ne sordidi, & per gratuitum usum contumeliosi amatores viderentur, si nihil feminis in conubium alleclis contulissent? Sed, missis rationum momentis, acutissime Tertulliani ratiociniis, lubet rem hanc praeclearo illo epiphonemate concludere, quo ille suum laudatum Librum auspiciatur. Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in caelis, nulla omnino vestrum, sorores dilectissime, ex quo Deum virum cognovisset, & de sua, idest feminae conditione, didicisset, latiore habitum, ne dicam gloriosiore, appetisset, ut non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Evam lugentem, & poenitentem, quo plenius id quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, & invidiam perditionis humanae) omnis satisfactionis habitu expiaret. In doloribus & anxietatibus paries mulier. . . . Et Evam te esse nescis? Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc saeculo: vivat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, illius resignatrix, tu es divina legis prima desertrix, tu es quae eum suavisisti quem diabolus aggre-

gredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile elisisti. Propter tuum meritum, idest mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas?

V. Pauca ex aliis Patribus adiciere praestat. Sanctissimus Martyr Cyprianus Lib. de discipl. & habit. virg. Si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te inventus illicias, & suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & veluti gladium te, & venenum videntibus praebes; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus; nec computari iam potes inter puellas, & virgines Christi, quae sic vivis, ut possis adamari. Locupletem te dicis & divitem. Sed iactare divitias suas virginem non decet. . . . Divitem te sentiant pauperes, locupletem te sentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fenera, Christum ciba. Hinc sane liquet quam arbitraria sit P. Lessii, aliorumque Theologorum distinctio, quae (dicunt Cyprianum damnare peccati mulieres quae eo animo se se ornant, ut ad libidinem viros concitent. Quippe luculentissime sanctus Martyr hoc praevent, reiicitque commentum his verbis. Etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & veluti gladium te, & venenum videntibus praebes; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.

VI. S. Chrysostronus mulieres nimium comptas scortis comparat, a quibus vix distingui illas posse ostendit, improbataque excusationem placendi viris suis. Sic enim scribit Tom. V. ult. edit. in Psalm. XLVIII. pag. 513. Ubinam sunt hodierna mulieres? Comparemus illas cum Sara. Num talia mandata excipiunt talia opera? Profer mibi ornatus cupidae mulieris. Manum, eamque extrinsecus inauratam vides, intus autem quasi obsessam. Quot, quae, pauperum praedam manus tua gestat? Profer manum tuam, ostende illam. Quo induitur? rapina. . . . Quid facis? Te comis & ornas mulier? Cui vis placere? Viro ne tuo? Malum studium, si viro sic placitura es; si sic studes ipsi placere. Quomodo igitur placebo? Continentia. Sed qua ratione placebo? Modestia philosophica, mansuetudine, caritate, concordia, consensu. Haec omnia ornamenta tua, mulier. Haec virtutes tuae concordiam pariunt; illi vero orna-

tus, ut placeas, non efficiunt, verum id praestant ut viro oneri sis. . . . Ut autem discas te viro non placere, domi illa deponis, & in Ecclesia illis circumornaris. Si ut viro placeres; domi illa gestares. Verum, ut dixi, in Ecclesiam ingrederis auratis manibus, & collo. Si venerit Paulus, terribilis simul ille, & amabilis, terribilis peccatoribus, amabilis pie viventibus, clamabit, & sic dicit: Mulieres oportet ornare se non auro, & margaritis, & veste pretiosa. . . . Quid tibi utilitatis affert aurum, o mulier? . . . Cur vestes sericas, & equos habes aureis frenis, mulsasque ornatu decoratas? Mula infra ornatur, aurum in tegumento tenetur. Pecunias mule rationis expertes circumterunt, quae aurea frenas habent; mula rationis expertes ornantur; & pauper fame confectus praeforibus tuis sedet, Christusque fame necatur. O summam dementiae! Quae defensio?

VII. In alio vero sermone eiusdem Tom. V. edit. Paris. 1588. acrius declamat in hunc meliebrem luxum tamquam meretricibus, fecus castis feminis consentaneum. Unde enim, dic mihi, poterimus postea talem virginem ordine illarum, & societate eximere, quando & ipsa idem facit quod illa? Quando scilicet, ut adolescentum corda advolet, superba incedit, & intemperans eadem pharmaca terit? Quando eosdem letales succos miscet, eundemque parat pulverem? Sed non dicit: Heus, adesto, amore implicemur: nec dicit: Aspersi cubitum meum myrrha, aloë, & cinnamomo. Utinam accubitum, & lectum, & vestes, & corpus: illa enim domi escam occultant, tu ubique laqueum circumfers, & expandis voluptatis alas obambulans in foro. Sed non dixisti, nec contulisti verba illa meretricia: Heus, amore involvamur. Non locuta es lingua, sed locuta es gressu: non locuta es voce, sed locuta es oculis clarius quam voce. An ideo excusatam te putas, quod non vocaveris, non obtuleris te ipsam? Neque sic a peccato liberaris. Est enim & haec quaedam fornicationis species. Pura mansisti ab iniuria corporis quidem, sed non animae, & completum ate peccatum, etiam si non per coitum, sed per aspectum. Cuius enim gratia vocas praetereuntes? Cur accendis ignem? Quomodo te puram putas a peccato, cum totum illud opus operata sis?

VIII. Hieronymus epist. ad Eustochium: Si vir, vel mulier se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit; etsi nullum insequatur damnatum, iudicium tamen patietur aeternum: quia venenum attulit, si fuisset qui bibe-

liberet. Plurima quæ ex Nazianzeno, Basilio, Athanasio, Clemente, aliisque Patribus afferre possem, missa facio.

IX. Theologorum qui nostræ suffragantur sententiæ, agmen ducit D. Thomas 2. 2. quæst. clix. art. 2. *Si hac intentione se ornet, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.* Non semper est mortalis, inquit, eiusmodi superfluis ornatus, ut omnes fatentur; sed quandoque venialis; quod confirmatur ex doctrina quam de scandalo tradit idem Angelicus 2. 2. quæst. xliii. art. 4. *Scandalum autem actuum, si sit per accidens, potest esse quandoque quidem peccatum veniale, puta quum aliquis vel actum venialis peccati, vel actum qui non est secundum se peccatum, sed habet aliquam speciem mali, cum aliqua levi indiscretione committit. Quandoque vero est peccatum mortale, sive quando committit actum peccati mortalis, sive quando contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda non prætendat aliquis facere quod sibi liberit.* Porro mulieres lenocinante ornatu comptas proximi salutem contemnere planum est. Hunc liquidem ornatum libidinem accendere compertum est vel ipsis mulieribus. Hoc autem spirituale proximi malum flocci faciunt, ut suæ indulgeant vanitati.

X. Quare Sylvester hanc propugnat sententiam, in verb. *Ornatus* quæst. iii. *Quando in ornatu superfluo est peccatum mortale, vel veniale? Dico de mente S. Thomæ, quantum ex doctrina eius colligitur. Quod si consideretur in se quantum ad factum ipsum, est mortale dupliciter, scilicet si considerata circumstantia personæ, officii, loci, temporis, & huiusmodi, sit excessus, vel defectus notabilis, qui certa regula determinari non potest; vel si ex hoc detur proximo scandalum, vel occasio peccati mortalis, quod est, quando excessus notabilis est arbitrio boni viri, & non generali regula determinabilis. Si vero excessus non sit multus, erit occasio accepta, & peccatum veniale.*

XI. Perdoctus P. Albertus de Albertis loc. cit. plurium Theologorum, & Summitarum textus transferibit in confirmationem nostræ sententiæ. Brevitatis gratia nomina tantam, & loca hic ego recensero. Alexander Aletius II. *Par. quæst. cli. memb. 2. & part. iv. de manduc. Euchar. c. xi. art. 2. §. 4.*

*q. ultim. Nicolaus de Ausmo in supplemento Pisanella verb. Ornatus vers. 5. D. Bernardinus Senensis Tom. I. serm. xlv. & seq. D. Antoninus II. Par. tit. iv. cap. v. §. 7. & citat Petrum de Tarantasia. Baptista de Salis in summa verb. Ornatus conclus. 3. Baptista Trovama in summa Rossella verb. Ornatus conclus. 3. num. 3. Angelus in summa verb. Ornatus num. 10. Iacobus Ungarellus in commentariis super eadem summa num. 1. verbo Et uxor viro. Ioannes Tabiena in summa verb. Ornatus num. 3. Ioannes Maior in IV. dist. xv. quæst. xv. Alexander Anglus in summa par. vi. cap. ii. num. 15. Nicolaus Aurificus in summa tit. iii. cap. xiv. art. ii. Magister Ioannes Herolt cognomento Discipulus ser. cxli. de septem peccatis mortal. Ioannes Azorius part. iii. Inst. Lib. iii. cap. xxx. Franciscus Suarez disput. x. de carit. sect. iii. num. 10. Iacobus Gordonius Tom. I. Theol. Moral. Lib. vi. q. xvi. cap. v. §. 2. quæst. iii. Iacobus Grano in 2. 2. D. Thom. contr. iii. tract. xliii. disp. v. sect. 5. Augustinus Martinus in tract. de superfluo ornatu mulier. cap. vi. Bernardinus Bustus par. ii. Rosar. ser. xxviii. par. iii. Andreas Gelsominus in Thesaur. celesti devotionis B. Virg. cap. xii. Plurimos alios laudat P. Albertus de Albertis, nempe Artesanum, Ioannem de Friburgo, Ulrium, Lessium, Fillucium, Viguerium, Graffium, Baldellum, Laymanum, Hieronymum Soprano, quos omnes favere suæ sententiæ asserit; cuius rei veritas penes ipsum sit. Quia enim ad hos fontes digitum non intendi, ideo factum istud in medio relinquo.*

XII. Tres dumtaxat celeberrimos, sanctosque Theologos adicere omnibus laudatis mihi liceat, Dionysium Carthusianum, D. Carolum Borromæum, B. Henricum Susonem, quorum verba etiam transcribam. Dionysius Carthusianus in Tom. opus. in directorio vite nobilium quatuor integris articulis nempe 13. 14. 15. 16. omni argumentorum genere nostram confirmat sententiam. Paucam transcribam ex art. 14. cuius hic est titulus: *Quod in prefato ornatu superfluo, & vestitu pompatico scandalizativo consistat mortale peccatum.* Hoc porro pacto suam sententiam evincit. *Sancti Patres, & gloriosi, illuminatissimique Doctores contra ornatum superfluum, & exquisitum, curiosum, superfluumque vestitum tam rigore non scriberent, nisi in eis mortalem culpam existere iudicassent. Venialia quippe peccata talem reprehensionem, & condemnationem non pro-*

*merentur. Hinc quidam Nobilis scribit in suo tractatu: Mulieres inaniter ornantes plus sibi nocent quam aliis, quia mortaliter peccant, etiam si non alluciant alios. . . Præterea, si mulier nec appetat virum, nec appeti cupiat, indiscrete tamen, & inordinate ornatum suum, pulchritudinem ostendat; laqueum alii iniiciendo, mortaliter peccat; quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est: Qui laqueum alteri ponit, peribit in illo: & qui fodit foveam, incidet in eam. . . Denique Apostolus iubet: Mulier debet habere velamen super caput suum propter Angelos, id est Sacerdotes, & Clericos, spiritualesque viros, ne cadant peream. Præcedenti quoque articulo ex verbis sanctorum Cypriani, Hieronymi, Chrysostomi, atque Ambrosii est probatum, quod mulieres, & virgines se ita ornantes, & ostendentes præbent viris, & juvenibus peccandi fomenta, incitamenta libidinis, & veluti gladium, ac venenum intuentibus se exponunt. Insuper Hieronymus ait: Nititur, ornatus, & species muliebris ignis est iuvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicium. Quomodo potest sua peccata deflere quæ cutem nudat, & sulcos in faciem ducit? Ornatus iste non decor Dei, sed velamen est Antichristi. Quæ fiducia vultus ad calum erigit, quos Conditor non agnoscat?*

XIII. D. Carolus Borromæus in Monitis ad Confessarios hæc scribit italico sermone. *Pecca anco mortalmente la persona nel modo dell' ornarsi, quantunque la spesa non passi lo stato, e facoltà sua; come se l'ornato è induttivo da se a lascivia, o veramente per comune interpretazione degli uomini, ovvero, se quantunque non sia induttivo da se, nondimeno s'accorge, o dubita probabilmente che per occasione di tal modo d'ornamento non ufato comunemente dalle persone probate del suo stato, qualche persona particolare si muova ad amarla inonestamente, o si nutrisca in questo peccato, e tuttavia fa niuna, o poca stima della salute spirituale del suo prossimo, quale vede rovinare in questo suo straordinario ornato, e persevera pure in esso.*

Duo hic docet Sanctus Carolus. Primum quod ornatus superfluis, qui natura sua, aut communi hominum iudicio ad lasciviam provocat, letali noxa pollutus sit. Alterum, quod licet ex se ornatus iste immodicus ad venerem non extimulet, si tamen mulier probabiliter prævideat, aut dubitet ex eodem aliquem determinatum virum turpi amore atti-

ci, & nihilominus illum gestare pergit, eam mortaliter delinquere docet S. Archipræsul.

XIV. B. Henricus Suso Montensis, evangelicæ poenitentiae prodigium, ac divinæ sapientiæ splendore mirandum in modum illustratus, uberrimæque celestium charismatum copia instructus, in suo tractatu, quem peculiari Dei revelatione composuit, quemque inscripsit *Colloquia spiritualia IESUM inter & F. HENRICUM SUSONEM, cap. x.* hæc scribit lingua vernacula. *„ Delle donne superbe, ed impudiche, della loro dannazione cap. x. CHRISTUS. „ Inducit Christum sic loquentem. „ Ma vedi in oltre do ve sono no cadute le donne, e quanto dal sesso femminile rimanga in questi tempi disprezzato, e calpeffato l'onore, ed il timore di Dio: perchè si trovano nel mondo tante femmine le quali hanno perduta ogni vergogna, e sono più impudiche, e stacciate degli uomini. Io non parlo delle donne oneste, pie, e religiose, ma di quelle che sono donate al mondo, e con le parole, e con i fatti, e con le vesti, e con i costumi consumano il tempo, il cuore, ed i sensi negli amori delle creature, e vogliono piacere più agli uomini che a Dio. Queste sono spelonche di ladroni, e voragini d'inferno. Dio dissimula i lor peccati, e le sostiene con gran pazienza; ma ad ogni modo non giova: e pure vogliono essere tenute matrone oneste, e da bene, e puzzano più a Dio che le meretrici pubbliche: poichè queste almeno tremano, e vivono con timore, e gran sospetto della loro salute; ma quelle camminano sicure con temerità senza faccia, e senza fronte, perdute per la loro sfrenata, e tacita disonestà in una obblivione miserabile di Dio e dell'anime loro. Onde sono più care a' diavoli che le meretrici: perchè comparando nelle vesti superbe, nel passo, ne' gesti, nelle parole, negli occhi sempre impudiche, e disoneste, incitano, e muovono più gli uomini alla libidine, che non fanno le donne pubbliche; e così i diavoli guadagnano più da loro che dalle altre. Credimi che nell'animo ogni giorno commettono cento peccati mortali, e non ne conoscono pure un solo; ma si tengono onorate, e da bene. E pure quanti giovani, e quanti secolari vedendole comparire tante belle, e tanto libere, e disoneste, le desiderano con animo deliberato: il che spesso intervieni, ancorchè non le possano ottenere. Ma di tutti i lor consensu, e peccati inter-*

ni, e mortali sono ree, e partecipi queste donne: perchè con l' abito lascivo, e con l' andare disonesto, e con l'occhio impudico danno cagione a chi le vede di bramarle e di peccare: anzi se l' uomo con l' occasione di vederle nelle strade, nelle piazze e nelle Chiese si sente infiammato, e talmente provocato a libidine, che per sfogarsi vada alle meretrici, di tutti i suoi peccati sono ree queste misere; sebbene non lo credono, e non lo vogliono intendere. Ma sappi, che nella morte i diavoli pongono loro avanti agli occhi le superbie loro, le compiacenze, le vanità indegne, e tutti questi peccati, che non hanno mai intesi; e così sicuramente le conducono a disperazione, ed alla morte eterna. Nè vagliono a loro salute i sacramenti delle Pasque, nè i viatici sacri: perchè in vita prendono il sacramento con animo di comparire come prima nelle vesti, e ne' costumi; e nella morte non si ricordano de' loro peccati, nè meno gli fanno: onde mi ricevono in un cuore fardido e puzzolente: e meglio farebbe per loro ricevere nel petto cento mila diavoli che Dio vivo, e tremendo in peccato mortale. Ma guai a' Confessori, che non illuminano queste donne misere, e infelicitime.

XV. Labet integrum textum latine reddere ad omnium intellectum. Sic ergo Christus ipse sui servi ore loquitur. Sed insuper recogita, quo sint prolapsa mulieres, & quam a femineo sexu his temporibus timor, ac honor Dei contemnatur, atque pessumdetur. Quippe tot in mundo reperiuntur mulieres, quae pudore omni exuta, praeviribus impudicae sunt, & effrontes. Mulieres honestas, pias, ac religiosas non alloquor; sed illas quae mundo dedita, verbis, factis, vestibus, moribusque tempus terunt, corda, & sensus hominum amoribus immolant, plisque viris quam Deo placere student. Haec sunt latronum spelunca, voragineque infernales. Illarum flagitia Deus dissimulat, magnaue illas patientia sustinet absque ullo profectu. Ipsae interim honestae, morataeque matronae haberi volunt; & tamen foetidius Deo olent quam publica scorta. Quoniam haec saepius saltem tremunt, atque in timore, & tremore vitam agunt, suaeque salutis angore percelluntur. Verum illae fronte fracta, magnaue temeritate perditionis viam securae obambulant, atque

impotenti, & tacita inhonestate captae, in tremenda Dei, suarumque animarum caritate ducunt dies suos. Quare scariores daemonibus sunt quam meretrices. Quippe superbis induta vestibus prodeuntes, gestu, incessu, verbis, oculis semper impudicae, & inhonestae plus incitant, & movent homines ad venerem quam feminae prostituta. Qua ratione plures illarum quam istarum lenocinio animas lucrentur diabolici. Credas mihi velim, centum letalia crimina animo in dies singulos ab his perpetrari. Nec propterea vel unum dignoscunt; sed pudicas, beneque smoratas se se reputant. Et tamen quot iuvenes, quot viri illarum pulchritudine, ac tam liberae impudicitiae prospectu obsecrati deliberato animo easdem concupiscunt? quod saepius accidit, etiam si asequi illas nequeant. Quapropter omnium istarum lenocinium, ac letalium criminum reae sunt, & participes feminae istae. Quoniam lasciva veste, incessu impudenti, oculisque impudicis peccandi occasionem videntibus praebent, & animum easdem percipiendi. Quin si homo has mulieres vanas in plateis, & in templis spectans, ita ad libidinem accendatur, ut ignem extincturus prostituta petat, omnibus his flagitiis obnoxiae sunt misellae istae: quamvis credere hoc, neque intelligere velint. Scito, morte instante, daemonem in illarum mentis oculos superbiarum, delectationum, indignarumque vanitatum, & aliorum scelerum, quae nunquam agnoverunt, spectra ingerere, ut securius in desperationem, & aeternae mortis abyssum illas detrudat. Nec earum saluti prolunt paschalia sacramenta, nec sacra viatica, eo quod in vita sacramenta suscipiunt animo perseverandi in luxus, pomparum, pravaeque consuetudinum abusu. Nec in mortis extremo peccatorum, quae propria malitia ignorant, recordantur. Idcirco me in corde fardido, putidoque recipiunt; meliusque illis fore centum millia daemoniorum quam Deum vivum tremendumque in peccatis mortali crimine pollutum admittere. *SED VAE CONFESSARIIS, qui has miseras, infelicitissimasque mulieres illuminare negligunt.*

XVI. En doctrina, quam viri Dei caelesti sapientia illustrati, seu quam Christus ipse sanctorum ore nobis revelat. Facebant ergo metaphysicarum speculationum nugae, ac inanitates distinctiunculae quorundam Casuistarum praecul abeant, ut sapientiarum Scripturarum pra-

praepositiones, atque Ecclesiae Doctorum, quos Deus constituit regere populum suum, sententiae sint regulae conscientiarum nostrarum. Verum, ne solis auctoritatum momentis causam nostram defendere videamur, ad rationes quibus innitur, explicandas accedamus.

## §. XI.

*Eadem sententia rationibus evincitur.*

I. **E**X his quae hactenus ex Scripturis, & Patribus adducta sunt, rationum momenta luculentissima in assertionis nostrae confirmationem elicere & explicare lubet. Quorum primum sit. Superfluum muliebrem ornatum naturali, divinoque praepcepto vetitum esse, certum, atque compertum est. Quae propositio ex documentis, quae ex eisdem Scripturis, & Patribus adduximus, patet, potissimum ex illis Apostoli verbis, *sic, & volo*; quae verba sane praecipientia sunt. Porro qualibet praepcepta, quae rem gradus excipientem vetant, in materia levi leviter, in gravi graviter obligant. Mortalis itaque erit ornatus notabiliter superfluous. Leonardi Lessii responsa, quae a Caietano exscriptis, iam supra reiecta sunt, seu Patribus omnibus, ipsique communi sensui adversa. Nec P. Lessius, sive recentiorum quisquam quid rationis efferunt, cur exhortationis loco haberi Apostoli verba debeant: vel quod propter Ethnicorum aedificationem immoderatus ornatus vetitus sit. Confirmatur luculentius producta ratio. Quaesitum, ac oppido ad venerem allicientem ornatum severe prohiberi, bono communi, ac optimo Republicae regimini congruit. Quippe haec prohibitio ex una parte multa de medio incommoda, & gravissima damna tollit; ex altera nihil damni infert. Ergo ita gravis haec prohibitio est, ut illius transgressio mortalis sit. Negent, si valent, recentiores Casuistae, muliebris ornamenti patroni, malorum stragem quam haec immodica ornamenta inducunt. Negabunt ne quaeque fere Respublicas eiusmodi immodicas pompas, tamquam divitiarum, & pudicitiae pestem vetasse? Qua itaque ratione inficias ibunt, superfluum notabiliter istarum pomparum abusum esse letale peccatum?

II. Accedit quod quaesitis ornamentorum lenociniis mulieres provocant spectatores ad libidinem, ut sapientes omnes Ethnici, ne dum Christiani, docent. Cum enim ipsa

muliebris pulchritudo, licet neglecta, & incompta, turpiculas flammam excitet: quae faces, quae incendia non accendit, si concinno ornatu adiecto, & pigmentis delibuta infirmorum hominum oculis se se conspicendam, spectandamque offerat? Quare Patres omnes clamant muliebria ornamenta esse juvenum laqueos, animarum perniciem, castitatis scopulos. Porro qui praebet alicui occasionem peccandi mortaliter, ipse prius letale flagitium perpetrare non dubitatur. Sic igitur mulieres speciosa pulchritudinis forma, & exterioris cultus illecebris reapse virorum corda emolliunt, & ad libidinem concitant; consequitur ornatum hunc graviter criminofum esse. Prima propositio pluribus iam momentis manifesta est. Secunda primam consequitur. Distinctiunculae, & metaphysicae subtilitates quae opponi solent, quaeque in morum regulis designandis ineptae sunt, & fatiles, iam supra ex ipso Tertuliano reiectae fuerunt. Adde postremo loco Christianorum quemlibet caritatis lege debere se se ab ipsis operibus indifferentibus, & etiam ex consilio bonis, abstinere, quoties absque suo incommodo id praestare valeat, ut proximi spirituale damnum declinet. Porro mulieres absque ullo incommodo, immo cum maximo emolumento superfluum ornatum dimittere possunt. Ergo gravi inficiuntur flagitio, si ab hoc immodico corporis cultu sibi temperare nolint.

III. Nec est quod reponas, latere mulierem, aliquem determinatum Christianum offendiculum passurum ex suo nimio cultu, sique vultus candida forma. Quoniam, ut criminis particeps fiat, satis est illius ornatum, quem nulla urgente causa ostentat in publicum, suapte natura ad luxuriam pellicere aliquem indeterminatum virum. Quoties exquisitus cultus naturali pulchritudini adiectus notabiliter ad venerem intligat, nihil refert quod in hoc, aut illo viro flammam excitet: nihil refert quod mulier ignoret aliquem determinatum hominem luxuriae igne perurendum fore in illius contemplatione. Nec altera excusatio prodest, nempe ex malitia viri, non ex cultu feminae, venerem incitari. Quoniam, dum ornatus immodicus est, graviterque provocans ad libidinem, tunc in utroque ex malitia peccatum reputatur: in viro, quod oculos defigat in talem mulierem; in muliere, quod tales ad capiendas hominum animas pareat insidias. Miror Casuistas nonnullos obtrudentes, onus valde grave feminis esse hauc

superflui cultus moderationem : quippe mille scrupulis torquerentur, inquit illi, si ad regulam aliquam in suo ornatu servandam astringerentur. At, repono ego, numquam feminas ex observantia divini, naturalisque mandati, quo astringuntur modeste, & iuxta pudoris, ac verecundiae regulas se se induere, tot scrupulis angi, quot sollicitudinibus, anxietatibus, & molestiis vexantur, ut nimio se se vestitu ornent. Quae cura, quae, in flectendis crinibus, in cincinnis vertendis, torquendisque? Quae servitus in vestitum dispositione, in laterum compressione? Quis labor in vultus expolitione, in universo capite examinando, formandoque? Quae denique molestia, quam longa, quam assidua, quam repetita in auribus, brachiis, manibusque onerandis gemmarum, monilium, anulorumque pondere? Qui sumptus? quae industria? quot artes, ut conquirantur pecuniae? Quae iurgia, quae dissidia diurna, nocturna que cum genitoribus, cum maritis, cum domesticis omnibus? Quot furta, quot adulteria, quot fraudes, quot rapinae, quot gemitus, quot singultus, quot fremitus? Quae emulationes inter ipsas mulieres, quarum quaelibet vexillum vanae stultitiae explicat, quaelibet ambitionis palmam alteri praeferre studet? Hi sunt confictus, haec crudelia bella, quae vanarum muliercularum corda, animosque discerpunt. In his praeliis, futilibusque occupationibus tempus terunt, patrimonia prodigunt, atque semetipsas excruciant. Haec vero omnia levia sunt, si cum iis conferantur malis quae hoc ipso effuso luxu sibi mulieres comparant. Medicamina quae ad crines dealbandos, rufandos, adulterandosque adhibent, frequenter illos evellunt, remanentque illorum capita ut pepones decalvata, quemadmodum minatur Isaias Propheeta. Quin vel ipse Ovidius *Lib. I. am. eleg. 14.* in puellam quae nimio studio comam venustabat, his carminibus ludit.

*Dicebam: Desiste tuos medicare capillos: Tingere quam possis, iam tibi nulla coma est.*

Sed quid, inquit P. Albertus de Albertis *disp. 1. cap. VIII. §. 12.* capillorum iacturam dumtaxat commemoro? Ipsam vitam, qua nil carius, nihil pretiosius in hac mortalitate habetur, haec fucata ornamenta aut decurtant, aut tollunt: sanitatem vero frequentissime inficiunt, naturamque pulchritudinem deturpant. Galeni auctoritatem in hanc rem affert laudatus P. Albertus. Ille enim *Lib. I. de medicam. compos. cap. XIX.*

& Aetius *Lib. II. Tetrabibl. ser. II. cap. LVIII.* testantur se plures agnovisse mulieres, ob cosmetica unguenta ad venustandam comam adhibita, obque alia pharmaca, quae extremo frigore capiti insudantur, morte immatura sublatae. Sed missa antiquorum auctoritate, nonne ipsi conspiciamus harum feminarum plurimas ob adhibitos fucos, stibia, idque genus similia, variis saepe consistari morbis? Rugata illa rum frons, crispatae genae, atri dentes, nigra labia, halitus gravis, ac foetidus, pelles laxae, vultus antea tam exquisitae levigatus, pudore obsitus, rugisque sulcatus, ceteraque huiusmodi nonne omnium oculis patent? Supputent nunc recentiores Casuistae immodici feminei cultus incommoda quae recensuimus. Dicant, levia ne sint haec. Negent, si valent, centuplo graviora haec esse praeter illis quae secum deserunt cultus modestus, ac sobrius. Quid scrupulis affliguntur mulieres, si intra confinia temperati ornamentum se continere iubentur? Ne ergo scrupulis agitentur, laxandae illis erunt in aliis quoque rebus sobrietatis regulae? Non amplius cibi, potus, somnique limites praescribendi erunt, ne scrupulis crucientur animae istae? Quid rationi infestius?

IV. Reponent forsitan, superfluum ornatum non vacare veniali culpa; sed letalis illum damnare criminis maximo esse se minis incommodo. Verum, si mulieres nequirent absque gravi incommodo ab ornatu superfluo se se cohibere; nullum, nec veniale, crimen perpetrarent, illum usurpantes: quippe nemo tenetur cum maximo sui detrimento, nec sub veniali noxa, proximo subtrahere omnem peccandi occasionem. Qua ratione ut quis gravissimo se se subducatur incommodo, potest ab usurario pecunias mutuo accipere sub usura. Pari igitur iure mulieres poterunt effuso luxu comatae incedere, etiam si praevideant prolapsuros homines in flagitia, propterea quod nequeant a eiusmodi ornatu ad venerem incitante, absque gravi incommodo se se abstinere? Hoc certe nemo dixerit. Nec est quod opponas, venialem culpam superflui cultus feminei, non ex provocatione ad venerem proficisci, sed ex nimio sumptu, ex prodigalitate, ex vanitate, & ex aliis circumstantiis intemperantiae, & excessus in illo genere. Non est, inquam, quod hoc opponas: quoniam immodica comestura, vel nimius potus, ex quo praevideatur pollutio oritura, non modo contrahit malitiam oppositam sobrietati servanda in cibo, potuque, verum etiam

malitiam mollitiei. Ergo etiam ornatus muliebris, suapte natura ad venerem provocans, non malitia tantum prodigalitate, superbiae, & vanitatis inficitur, sed scandali quoque culpa polluitur. Porro hoc incommodum, si adesset, etiam in sententia adversariorum, non eximeret saltem a culpa veniali nimii sumptus, vanitatis, & superbiae. Ceterum, quam commentitius sit praetextus istius gravis incommodi quod mulieres subirent, si a superfluo ornatu abstinerent, evidentius ostendo. Iure naturali, divinoque vetitus est superfluus, & immodicus ornatu: ergo nullum ius ad eundem mulieres habent, ut late ostendit praefatus P. Albertus de Albertis. Si nullo potiuntur iure ad eundem immodicum ornatum, nullum subeunt in eiusdem privatione incommodum, vi cuius excutare quoquo modo praefati ornatu usum valeant. Hac de causa, quia mendacium natura sua vetitum est, nemo ad illud adhibendum ius habet; neque perpetua illius abstinentia incommodum tale adfert, quod illius usum licitum constituat.

V. Accedit, si Respublicae, si Episcopi sub poena gravioris culpae immodicum ornatum prohibeant, peccarent sane mulieres omnium Theologorum consensu, si, spreto legibus, superfluo cultu uterentur. Et tamen si gravi incommodo abstinentia a tali ornatu eisdem esset, legum observationi minime essent obnoxiae. Quid quod non modo incommodo non est effusi luxu privatio, sed maxima affert commoda, ut supra indicavimus? Experimento compertum est, mulieres honesto, verecundo, gravique ornatu comptas plures ab omnibus fieri, universamque existimationem, & obsequium illis deferri. Contra vero mulieres fucatae, luxui, pompisque vanis deditae, mentis vacuae, familiarum pestis, castitatis fyrtes, animarum laquei reputantur.

VI. Obiicies 1. Pulchritudo naturalis mulierum efficacius permovet ad libidinem quam ornatus adiectus. Illam publico aspectui exhibere culpa caret. Idem ergo de ornatu dicendum. Resp. Nimium fallax est consequentia haec. Necessaria est nativa venustas, quam praepotens naturae effectus indidit ob iustos, sanctosque fines. Quapropter peccata quae inde derivantur, nequeunt in mulierem regeri. Accedit quod pulchritudo res indifferens est, nulla lege prohibita. Et tamen, ut ex Tertulliano vidimus supra, dissimulatione quadam tegenda interdum est. At immodicus ornatu voluntarius est, lege divina, & na-

turali prohibitus. Nulla ergo potest ratione de crimine purgari, & quidem mortali, quando superfluus luxus graviter ad libidinem provocat.

VII. Obiicies 2. Ruina proximi veneri consentientis ex aspectu mulieris compta, ex viri malitia, non ex ornatu mulieris oritur. Viri quippe lapsus praeter intentionem mulieris se se ornantis est; atque adeo illius ornatu, non causa, sed occasio tantum est alterius ruinae. Quare vis efficax periculi tota nascitur ex temeritate eorum qui experti periculum in aspectu mulieris nimium cultae, in eamdem nihilominus desigere oculos volunt. Sublata itaque prava intentione mulieris, illius ornatu quamlibet superfluo non erit letalis. Resp. Haec sunt potissima adversariorum principia, quae huic argumento aptata improbabilia profus sunt, & falsa. Et primum ad pravam intentionem mulieris quod attinet, perperam opponitur. Haec prava, & directa intentio mulieris provocandi spectatores ad libidinem, nullum habet in istorum corda pertingit. Intra mulieris animi sistit gradum, nec ultra pergit; nec ornatu efficacius incitantem ad luxuriam constituit. Nulla inter Theologos quaestio unquam fuit; sed convenit penes omnes, mulierem quae expresso animo alios ad venerem incitandi se se ornat, mortaliter delinquere. Verum iterum repero, hanc directam pravamque intentionem extraneam omnino esse disputationi nostrae. Duplex supra distinximus scandalum. Directum alterum, quod pravo, & expresso seducendi proximum animo perficitur; indirectum alterum, quod in ipso exteriori actu, seu ornamento situm est. Si hoc sua natura ad libidinem provocat, futilis est directa mulieris intentio. Haec mulierem solum laedit, & inquinat. Exterior vero cultus, & venustas spectatorum oculos inficit, polluitque animos. Iam ex D. Thoma, communique Theologorum consensu probavimus, scandali activi indirecti reum esse quemcumque qui suo dicto, vel facto alios ad peccandum inducit; quamvis hoc praeter illius intentionem contingat. Ut quid ergo opponitur lapsus spectatorum praeter mulieris vanae intentionem accidere, si eius superfluus cultus, & immodicum ornamentum reapse ad luxuriam incitat? In quolibet scandalo indirecto peccati causa voluntas est ipsius peccantis. Propterea ne scandalum praebens immunitus a culpa est? Sed, inquit, mulier superfluo ornatu in-

cedens neque per se, neque per accidens causa est alienae culpae; sed occasio dumtaxat. Verum habet. Quin etiam vel ipsa mulier directa intentione se ornans, ut alios seducat, occasio, non causa est alterius ruinae; si presse loqui velimus: quippe ex hac expressa intentione interna dictum, vel factum nihil maioris efficaciam in aliorum animos habet, ut dictum est alias. Falsum itaque est quod cum aliis Caietanus asserit, nempe mulierem ornatum notabiliter superfluo comptam neque per se, neque per accidens velle ab aliis concupisci, vel alios ad libidinem concitare; sed tantum velle illum ornatum, ut suae satisfaciatur voluntati. Siquidem qua voluntate mulier superfluum ornatum, sua natura ad libidinem provocantem, ostentat, eadem pariter spectatorum ruinam spiritualem velle convincitur. Quod porro muliebris ornatus notabiliter superfluus incitet ad libidinem, iam supra ex Scripturis, & Patribus ostensum est. Immo potissima ratio, cur Scripturae, & Patres tam vehementer invehantur in muliebrum cultum, non est vel vanitas, vel ambitio, vel nimius sumptus; sed est spiritualis hominum ruina, lapsus spectatorum, ex istius ornamenti aspectu proficiens. Quippe vix fieri potest quin homines saeculi oculos concitant in mulieres nimium comptas. Ex tali vero aspectu grave oriri periculum, nemo qui Scripturis sanctis, rationi, & experimento renuntiare nolit, negare auit. Neque repone potest, remotum hoc periculum esse, minime proximum. Quoniam periculis remotis plenus est orbis; nec peculiari aliquo mandato eiusmodi pericula remota vetantur. Nimius vero feminarum cultus severe in Scripturis prohibetur. Quare, nisi experientia comperta esset tanti periculi efficaciam, sola divina prohibitio eiusdem periculi vim palam faceret. Plura habet Caietanus cit. 2. 2. *quest. clxix. art. 2.* Primum per ipsum letaliter delinquant primi qui immodicum cultum, vanamque vestium consuetudinem invehant. *Graviter tamen peccant primi (inquit) utentes novitatibus occasionaliter damnae proximo, preferentes suae vanitatis affectum proximorum necessitati. Quia tamen excusare se possunt, dicendo: Non imitetur nos qui non potest, qui non vult: faciat unusquisque sumptus iuxta suas facultates, & non sit stultus: ideo nec contra caritatem, nec contra iustitiam actus iste est; valde tamen reprehensibilis propter multas deformitates, & graves quas habet, dum & consue-*

*tudo violatur, & occasio damni datur, & inanis gloria, ac stultitia non sine scandalo committitur.* Ex his clare habetur, aquam habuisse tanto viro haec pertractanti. Fateatur graviter peccare illos qui primum immodici ornamenti morem invehant: e vestigio addit eosdem nec caritatem, nec iustitiam laedere, quia excusare se possunt dicentes: *Non imitetur nos qui non potest &c.* Si hac ratio consisteret, omnes a reatu scandali indirecti se liberare quirent. Quapropter iterum haec retractat, subdens: *Valde tamen reprehensibilis est &c.* Pugnantia loquitur, quia nemo quidquam potest adversus veritatem.

VIII. Obiicies 3. Muliebris cultus, quamvis immodicus & superfluus, vim obtinet consuetudinis; a qua si recederent feminae, deriderentur. Consueti autem minus movent. Resp. Adversus praecipuum naturale, divinumque, cuiusmodi est hoc quod mulieribus superfluum cultus formam prohibet, nulla praevalet consuetudo. Consueti minus movent. Verum habet. Ergo non movent? Si familiaris consuetudo adimeret effuso mulierum luxui, vanisque illarum illecebris vim permovendi ad venerem, superflua fuissent divina mandata. Quamvis assuetudo quidquam efficacitatis ad excitandam luxuriam detrahat muliebri ornamento, minime tamen tollit quin adhuc notabiliter permoveat concupiscentiam. Assueti homines erant in aspectu eiusmodi ornatus tempore Apostolorum Petri, & Pauli. Propterea ne a prohibitione praefati ornatus Apostoli abstinuerunt? Numquid Patres non repulere hanc assuetudinis excusationem? Concupiscentia adeo fera est, indomitaque, ut nulla assuetudine mansuescat, sed infrenatior, effrenatiorque ex mulierum comptarum aspectu evadat. Hinc vires recipit, & latentem ignem foras emittit. Nuge sunt, & palmari experientiae adversi praetextus isti, videlicet quod homines soliti videre mulieres comptas, minus libidinis igne urantur. Quid ergo consuetudinem obrudis? Quaedam sunt quae familiaritate, & usu non modo vires amittunt, sed roborantur; minusque freno cohiberi valent. Accedit quod muliebris ornatus nunquam in eorum statu permaneat. Ne enim virorum fastidio, & satiati sit continuata eiusdem feminae ornamenti visio, quotannis mulieres novam excogitant indumenti rationem. Ex Anglia, Galliaque recenti forma induta idola, seu exemplaria vanitatis, ambitionis, & impudicitiae per universam tere diva-

## §. XII.

*Peccant ne letaliter mulieres quae nudato pectore incedunt?*

divagantur Europam. Italia nostra praeteris hoc stultitiae fermento laborat, iugoque vestimenti ad arbitrium, geniumque transalpino se subdit; ac si adeo hebetes Itali essent, ut nescirent concinnam vestitus formam delineare. Et sic famam, gloriam, pecuniamque una prodigunt. Ad alium autem cavillum, quo se excusare contendunt mulieres, aientes, se deridendas exponere, nisi ornatum suum ad moris obtinentis exemplar conformet, obvia responsio est. A quibus, quaso, iridebuntur? A probis, moralisque? Non sane. Ab improbis ergo? Quid te hoc in eventu Evangelium docet? Quid Paulus? *Si hominibus placerem, servus Christi non essem. Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo.* Sed audi Dionysium Carthusianum in Direct. nobil. art. 13. *Si autem aliqua nobilis femina, aut illustris virgo ab aliis diffametur, iridetur, adversaque patitur, quia non vult se illis conformare in vanitatibus, atque superbis; debet hoc propter Deum libenter, & cum gaudio sustinere, & recordari quod ait Salvator: Beati qui persecutionem &c.*

IX. Obiicies 4. Mulieres venialem ad summum contrahunt culpam superflue se ornantes. Porro ornatus, veniali tantum malitia pollutus, non potest fieri mortalis; cum peccatum veniale nequeat fieri mortale. Tenetur mulier sub letali culpa omittere ornatum suum, venialiter dumtaxat regulas sobrietatis praetergredientem? Iugum durum nimis esset, asperumque. Resp. Sophismata haec sunt, geraque nullius sane momenti. Veniale dum placet, dum ruinam proximi infert, dum declinari absque ullo incommodo, immo cum magno emolumento potest, fieri mortale fatentur omnes, & habetur in cap. *Unum orarium* dist. xxv. §. *Criminis. Nullum esse adeo veniale, ibi dicitur, quin fiat criminale, dum placet.* Consule D. Antonium II. Par. tit. iv. cap. v. §. 7. ceterosque Theologos. Quare, licet excessus ornamenti absolute spectatus venialis tantummodo esset, attentis tamen circumstantiis omnibus, & maxime scandali inde proficientis, mortalis est. Alias excusationes placendi maritis, illosque ab adultério abducendi, sponsalia, & conubia inveniendi, ceteraque id genus effugia, ex his quae haecenus diximus, labefactata omnia remanent.

I. **C**onvenit inter Theologos omnes nuditatem mamillarum, si sit praeter consuetudinem patriae, esse letalem. Omnes damnant mortalis flagitii mulieres illas quae in aliquam civitatem abusum hunc inveherent. Dissident vero consuetudine invecata. Recentiores non pauci innoxiam a gravi culpa defendunt hanc pectoris nuditatem, si sit secundum morem patriae, nimirum si abusus per civitatem serpit. Hanc opinionem defendunt Caietanus 2. 2. *quest. clxix. art. 2. & in sum. verb. Ornatus.* Sanchez Tom. III. *de matrim. Lib. IX. disp. xlvi. num. 26.* Azorius par. II. *Lib. XII. cap. xviii. quest. xiii.* Layman Tom. III. *Lib. II. cap. III. num. II. quest. xiii.* Trullench. *Lib. I. cap. vi. dub. 5. n. 21.* Bonacina *de matrim. quest. iv. punct. 9.* Diana coord. Tom. VII. *tract. v. ref. II.* Salmanticenses *tract. XXI. cap. viii. punct. 5. §. 2. num. 61.* Tamburinus in *Decal. Lib. VII. cap. viii. §. 8.* Sporer in *Decal. tract. v. cap. I. sect. II. num. 39.* Martinus VVigandt *tract. v. exam. I. num. 17.* Laudati Salmanticenses haec scribunt. „ At vero si „ hic ornatus non sit iuxta morem patriae, „ absque dubio erit letale eo uti: unde si „ aliqua femina nunc in Hispania, ubi e „ xemplo nostrae catholicissimae Reginae fe „ liciter regnantis penitus hic pestiferus or „ natus eradicatus est, iterum eo uterentur; „ proculdubio graviter peccarent: quia info „ lita magis novent, & excitant. Quare „ diligenter a Confessariis, Praedicatoribus, „ animarumque Pastoribus opera danda est „ ut huiusmodi scollatura nullatenus intro „ ducatur: & si ad hoc opus fuerit, sub mor „ tali tenentur absolutionem sacramentalem „ negare, & a sacra synaxi eas repellere. „ Haecenus illi. Si pestifera absolute est con „ suetudo isthaec, qui fieri valet ut licita quan „ doque evadat?

II. Relata sententia omni caret, ut ego quidem arbitror, probabilitate, utpote ratione, & auctoritate destituta. Si enim a praefatis Theologis perconteris, qua Scripturarum, qua Patrum, qua antiquorum Theologorum, qua Synodorum auctoritate talem consuetudinem permittant feminis; silent omnino, & obmutescunt. Ratiunculas vero a deo

adeo exiles, futesque obtrudunt, ut nulla adiecta oppugnatione evanescent. Quare contraria sententia mihi certa, nedum probabilior est. Eam propugnant Scripturae, Patres, Theologi, Concilia. Præter Theologos supra laudatos, qui superfluum cultum muliebrem improbant, sequentes damnant feminei pectoris nuditatem. Angelus de Clavasio *sum. Ang. verb. Ornatus num. 3. Pifella verb. Ornat. num. 3. Rosella verb. Ornat. n. 13. Andreas Duvalius in 2. 2. tract. de carit. quest. XIX. art. 5. Bernardinus de Bullo part. II. Rosarii serm. XXVIII. part. III. Augustinus Mazzinus Lib. de Ornat. superfl. cap. XXIII. Hieronymus Sopranis Comm. in David digress. I. disp. III. cap. §. 1. Albertus de Albertis in Paradox. disp. II. cap. 1. Constantinus Roncaglia tract. VI. cap. VI. quest. v. resp. 2. Henricus a S. Ignatio Lib. VI. cap. XLVII. Natalis ab Alexandro Lib. IV. artic. v. regul. VIII.*

III. Antequam istius sententiæ rationes promo, nonnulla ex Patribus delibare lubet, præter ea quæ latius supra adducta sunt. Tertullianus *Lib. de virg. velat. cap. XVI.* non modo diris devovet hanc muliebrem nuditatem; sed morem, consuetudinemque, quam in eiusdem patrocinium iactant recentiores, omni argumentorum genere convellit, exploditque his verbis. *Consistit defensio nostra opinionis, secundum Scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Scriptura legem condit, natura censeatur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel qui diversa sententia color est? Dei est Scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina: quidquid contrarium est istis, Dei non est. Si Scriptura incerta est, natura manifesta est, & de eius testimonio Scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina, quid magis Deo ratum sit, ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominibus placendi. Oro te sive mater, sive soror, sive filia virgo. . . . vela caput: si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres. Omnes in te atates periclitantur: indue armaturam pudoris, circumdumvallura verecundia, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. . . . Sed & vos admonemus alterius pudicitia mulieres quæ in nuptias incidistis, ne sic a disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, ut quia reicere illam non potestis, alio modo destruat, ne-*

*que tecta, neque nuda incedentes. Mitris enim, & lanis quadam non velant caput, sed conligant, a fronte quidem protecta, qua proprie caput est, renodant. Alia modice linteo, credo, ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur. . . . Sciant quia totum caput mulier est. Limites, & fines eius eo usque porriguntur unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsa enim sunt quas obteatas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet: velamen nigrum illarum est. Iudicabunt vos Arabie feminae ethnica, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contenta sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere. Marvelt femina videre quam videri. Quas propterea infelicissimas ait Romana quadam Regina, quod adamare magis quam adamari possint; cum sint vel ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices: quia facilius adamari, quam adamare femina possunt.*

IV. Clemens Alexandrinus *Lib. II. paedag. cap. II.* Nullo modo permittendum est mulieribus ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur. *Hæc quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Similia scribit D. Hieronymus epist. ad Demetriad. *Illæ (mulier) tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit esse pulchra, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum non pectus, & colla denudat, nec pallio revoluta cervicem aperit.*

V. Scripturæ, Patresque omnes ipsum caput, & fere cuiuslibet feminei corporis partem operiendam inquam, omnemque improbant nuditatem. Vix in exposita ubera invehunt, quod tum temporis adeo effrontes, impudentesque mulieres non essent. Quare si nativam faciei venustatem negligi, si caput, crinesque velari iubent, si stibia, vultumque fucatum damnant; quæ iacula in exerta, ac turgentia ubera non intorquebunt? Quod istius impudentiæ vix Patres meminerint, cum leviora tam acriter infestati sunt, argumento est, abusum hunc illorum tempore minime serpsisse.

VI. Ceterum, ut a confutatione eorum quæ pro diversa opinione obtruduntur, initium sumam, feminei pectoris nuditas non ad honestam pudicæ mulieris venustatem pertinet, ut Caietano duce, recentiores contendunt; sed ad libidinis illicium, & præstigia

me-

meretricia. Effrontium quippe scortorum mos semper fuit turgentibus mamillis exerere, & spectatoribus tamquam accendendæ luxuriæ escam obicere. Contra vero virginum, pudicarumque matronarum consuetudo est, pectus totum obtegere, mamillasque procaci obtutui subducere. Olim sub tunica, & pectorali fascia, quam strophium vocabant, pectus & mamillas coercebant, ut inquit sapius laudatus P. Albertus de Albertis, qui has refert auctoritates. *Strophium*, ait Nonnius, fascia brevis est, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum. Idque indicat Isaias cap. III. *Erit pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Item Ieremias: *Numquid obliviscetur virgo ornamentis suis, aut sparsa fascia pectoralis sue?* Istius fasciæ usus erat, subdit digress. I. disp. III. cap. I. §. I. *ut nuda pectoris verecunde tegerentur, & etiam ne papillæ nimis turgerent: illis ob id impudicæ non usæ, quibus nulla cura pudoris. Hinc sine fascia, aut zona mulier pro impudica, vel certe non virgine habetur, quod nullum certius argumentum impudicitia sit in femina quam impudentia. Impudentia autem nulla maior in illa quam mamillas exertas ostendere, nec inde pudore suffundi in quotidiano cultu.*

VII. Si mamillarum ostensio ornatus esset nativæ venustatis, numquid Scripturæ, Pontifices, & Respublicæ ipsæ, gravissimis constitutis pœnis, accessum nudato pectore ad sacra mysteria mulieribus inhiherent, quemadmodum reapse inhihent, ut infra videbimus? Nec minus festivum est quod adiciunt, feminas pectus retegere, ut maritis placeant. Habitu ne meretricio uxores incedere debent, ut maritorum amorem foveant? An ne Christiani mariti id exigere iure valent? An ne reipsa id exigunt? Quid quod numquam maiori artificio inverecondæ hæc mulieres ubera efferunt, floribus circumdant, ornantque, quam dum maritorum aspectui subductæ in publicum prodeunt, aliorumque virorum oculos subeunt? Quod vero opponit Caietanus 2. 2. *quest. CLXIX. art. 2.* uxores hac pectorali nuditate viros suos divertere a maioribus criminibus, plane comenditum est, & a S. Ioanne Chrysolomoe sic exploditur hom. XXVIII. in epist. ad Hebræos. *Credo mihi mulier, etiam si multum sit vir ille inferiora sapiens, hæc illum magis illicent, hæc est mansuetudo, pudicitia, habitus sine typho, sine multis expensis, viliis, & humilis. Impudicum quippe virum, etiamsi multa exogites ornamenta, non ob-*

*timebis. Et hoc norunt, quotquot huiusmodi viros habuere. Quantumlibet enim tu studeas adornari, ille, si incontinens est, ad alteram pergit. Nec quod adicit Caietanus, & post eum recentiores, quidquam accessit negotii, videlicet tactum magis quam visum movere; & tamen promiscua oscula viros inter & mulieres alicubi vi consuetudinis esse permessa. Primum falsa est proposito absolute posita. Nam per ipsum Caietanum omnesque recentiores, voluntaria visio pudendorum, illorumque ostensio absolute letalis est; magisque permovet quam tactus manus, qui absolute innocens est. Comparatio ergo respectu eiusdem partis corporis fieri oportet. Tactus uberum iuxta omnes letalis est: ergo & nuditas. Tactus frontis, vultus, manuum absolute non reputatur mortalis; ideo nec nuditas, nec visio. Verum, quidquid de hoc sit, nego ex more illo promiscui osculi elici posse honestatem resecti feminei pectoris. In iis quippe regnis transalpinis, ubi promiscua oscula vigere ferunt, impudentius quoque bacchari libidinem, & grassari cuiusque luxuriæ monstra testantur. Castiores ne Galli, apud quos osculorum usum obtinere aiunt, præ aliis nationibus, a quibus mos iste exulat? Abusus hic tolerantia permixtus, etiam in præfatis regionibus a Concionatoribus, virisque apostolicis improbat. Permitteres ne venustam mulierem quæsito ornatu comptam, nudo pectore, ceterisque præstigiis obarmatam, mutuis osculis virum compecti? Si omnia exteriora ornamenta, gestus, incessus, castitatem redolent; oscula reciproca possent christianæ pacis, & dilectionis argumenta reputari. Ceterum, cum eiusmodi amplexus inter ipsos & ipsas peragantur qui quoquo versum luxuriæ scintillas iaculantur, illorum impudicitiam evincunt vestes, cincini, fuci, stibia, nuda ubera, & in viris ipsis effeminatissimis cultus plusquam muliebris. Ex abusu ergo osculorum, alicubi permixto, pessime inferre audent alium abusum, nimirum pectoris nuditatem. Quid quod Caietanus ipse (ut erat vir, mea quidem sententia, summe doctus, unaque pius; tamen interdum metaphysicis notionibus in morum regulis figendis plus iusto adductus) e vestigio subdit: *Ubi tamen consuetudo non est, inhibendum esset, & cito extirpanda, ne cresceret: quoniam conditio ista, quæ est esse provocativum ad lasciviam, regulanda sic est, ne animi invicem mollescant.* Patetur Caietanus illecebram hanc feminei*

pe-

pectoris nuditatem irritare venerem, concupiscentiam provocare, remollescere ex hoc aspectu iuvenes animos: ac propterea ne introducatur consuetudo, curandum esse; investam vero confectum evellendam asserit, ne latius emittat radices. Nemo non videt hæc minime coherere posse cum primis. Si exposita ubera partem efficerent nativæ pulchritudinis, quemadmodum istius ostensio consuetudinem reprobendam haudquaquam inducit, ita nec illorum nuditas. Sed hæc, Caietano iudice, ab usum extirpandum invehit: ergo male arguit ille ex licita ostensione naturalis pulchritudinis licitam mammillarum nuditatem.

VIII. Paucis omnia perstringo in maiorem nostræ sententiæ confirmationem. Ille muliebris ornatus iure naturali, ac divino vetitus asseritur qui luxuriæ illicitum est. At nuda ubera, ornamentorum præstigiis micantia, limites moderati ornatus transfiliunt; procacem evincunt impudentiam, atque adeo impudicitiam feminarum quæ eadem exerta propalam deferunt; venerem provocant virorum, qui in eadem oculos vel nolentes coniciunt. Ergo flagitiosa est nuditas isthæc. Nec reponas, investita consuetudine, vim alliciendi viros amittere, quia usitata minus, & insolita fortius permovent. Apage nugas istas. Si usus tollit vim movendi, aufert quoque pulchritudinis leporem, & elegantiam: quia nova, & insolita magis placent. Cur ergo asseris nuda hæc ubera venustatem augere? Cur subdis maritos magis allicere, si ob oculos continentereadem habent? Accedit quod iuvenes, florente ætate, & dum ferventius ardet libidinis flamma, huic aspectui non sunt assueti. Nova illis est nuditas hæc, atque in eandem defigunt oculos, & impotenti concupiscentia rapiuntur. Ad summum senes facti, ex continentis eiusmodi aspectu dici possent assueti, minusque moveri; fecus, usque dum florent ætate. Criminosa ergo, scelerumque plena est consuetudo hæc. Quod urgentius evincitur. Consuetudo quæque rationi conformis sit oportet, bonoque communi consentanea. Quæ enim vel rationi, vel bono communi repugnant, omnium Theologorum consensu exitialis est, & reprobanda. Sed consuetudo nudandi ubera muliebria malorum occasio est plurimorum, bonoque communi repugnat. Nullum e contrario bonum adfert, nec spirituale, cum iuvenes maxime ad venerem provocet; nec temporaneum, ob sumptus maximos in or-

natu, vestibus vanis, ceterisque pompis quæ propudiosam nuditatem comitari debent. Ipsi denique feminis hæc nuditas incommoda est. Hiemali tempore subiectas vestibus prunas continenter mulieres habent: vix quadrantem abesse valent ab igne: & delicatissimam pectoris partem rigidissimo frigori nudam exponunt in publicum prodeuntes. Verum, si in flagitiorum poenitentiam imponas eisdem, ut templum nudis pedibus adeant, crudelis sævitie te damnant. Ut vanitati, & ambitioni, ne dicam dæmoni, sacrificia litent, omnia valent: frigoris rigorem floccifaciunt, delicatiora corporis membra flexant, latera vi maxima comprimunt, & stringunt, ut ubera magis turgiant, ac totius corporis structura elegantior, venustiorque appareat. Contra vero delicatula sunt, & perinfirmæ, quoties ieiuniis, disciplina, ciliciis, aliisque christianæ poenitentia operibus eluenda sunt flagitia vel gravissima. Consuetudo ergo nudandi mamillas perniciofa est, rationi, verbo divino, Patribus, gravioribusque Theologis contraria. Non itaque consuetudo, sed abusus, & corruptela enormis dicenda est. Ubi serpit, & bacchatur, illinc pro viribus extirpanda est: ubi non viget, summo studio curandum ne illuc introducatur. Momenta quibus adversa sententia nititur, commentitia omnino sunt, vana, & falsa. Placet excubare quæ de sanctoribus istius opinionis exarata reliquit P. Albertus de Albertis *disp. II. cap. I. §. 3. n. 43.* „Auctores quippe „ primæ opinionis animadvertentes femineæ „ pectoris nuditatem per varios populos in- „ veterata consuetudine sparsam, ut hos a „ damnationis periculo, in quo, ea opi- „ nione tamquam improbabili reiecta, om- „ nino iacebant, revocarent, non dederunt „ sane operam ut talem corruptelam ex fa- „ cræ Scripturæ, veterum Patrum, & ra- „ tionum præscripto, ut par erat, redar- „ guerent, simulque evellere conarentur; „ sed e contrario prorsus, ut huiusmodi cor- „ ruptelam honestarent, pia affectione, & „ intentione ducti, divinam Scripturam, „ antiquos Patres, gravesque rationes per- „ blande mitigare, ac in eiusdem consuetu- „ dinis patrocinium traducere non segniter „ studuerunt. Quod quam aperte, & sto- „ machabunde a D. Hieronymo, a D. „ Augustino improbetur, iam supra in ipso- „ met præludio observavi. Nihilominus ii- „ dem Doctores, emicantibus veritatis ra- „ diis percussi, conscientiaque ista, & vi-

„ etti,

„ etti, manus ei tandem herbamque porre- „ xerunt, & sine fuce, & fallacia confessi „ sunt, eandem ipsam nuditatis femineæ „ pectoralis consuetudinem, quam tueban- „ tur, tamquam libidinis illicitum, hoc est „ velut manifestam corruptelam, esse extir- „ pandam: hac confessione dilucide testa- „ ti, talem consuetudinem esse flagitiosam, „ ac turpem, neque feminis pectus nu- „ dantibus ullum excusationis scutum præ- „ bere; sed, ut compertam impudicitia tes- „ seram, ipsam habent, quemadmodum Do- „ ctiores secundæ sententiæ illam nuncupant, „ ita etiam certum damnationis præludium „ iisdem conflare, ut ex dictis abunde satis „ iam liquet.

IX. Plura alia prælo forent argumenta; sed vel adversariorum confessione introdu- ctio istius consuetudinis, seu corruptelæ, grave crimen est; investita vero extirpanda. Secum ipsi pugnant, dum morem hunc evellendum statuunt, unaque innocuum docent. Scripturæ, Patres, Theologi declamarunt contra nimium cultum, ac nuditatem feminarum quæ inveteratæ consuetudinis scuto se se tegebant, ut potissimum ex Tertulliano habetur. Hæc quippe scribit de vel. virg. cap. III. *Exurge igitur veritas, & quasi de patientia erumpe: nullam volo consuetudinem defendas: nam iam & illa consuetudo sub qua te fruebaris, expugnatur. Te esse demonstra quæ virgines tegit. Ipsa Scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non novit: si enim nosset, numquam esset.* Non tempus expedit ergo ultra terere in re abunde comperta.

## C A P U T X.

*De feminis quæ se conspiciendas offerunt viris a quibus turpiter adamari prævident. Nonnulla præmittuntur de scandalo Pharisæorum, & pusillorum.*

I. Hæcenus disputatum est de honesto, & superfluo feminarum ornatu, quatenus decens, & honestus, aut superfluus, & inhonestus est. Honesto decentique ornato comptas mulieres publicum subire conspectum licite posse, Scripturarum testimoniis ostensum est. Iudith vidua castissima induit se ornamentis lætitiæ, mitram capiti imposuit. Esther mulier sancta splendido comitatu, fulgidoque vestitu ante Assueri thronum constitit. Ioseph quoque vestem induit polymitam. Hæc, & alia

exempla ex Scriptura suppetunt, quæ tamen erronea interpretatione a quibusdam detorquentur ad recentes vanissimas muliercularum pompas honestandas: quod quantum a veritate, & Scripturarum scopo abludat, ex iis quæ diximus, patet. In veteri testamento sanctissimas feminas comptas, pretiosisque vestibus indutas scimus. Quomodo ergo Apostolus vetat ne pretiosa veste mulieres utantur? Dicendum ne erit cum Lessio, Caietano, & aliis, verba Apostoli pro illis dumtaxat temporibus intelligenda esse? Minime gentium, ut supra observatum est: sed sano in sensu verba Apostoli interpretanda sunt. Ut ea quæ supra dicta sunt, luculentius explicentur, duplex distinguendus muliebris ornatus est: alter pretiosus, & splendidus, qui spectatorum obsequium, & existimationem sibi conciliat; alter qui immodestiam, impudentiam, & lasciviam indicia præfert. Secundus, non primus, ab Apostolo prohibetur. Fatemur itaque in muliebri, ac virili vestitu quædam vi præcepti prohiberi: quædam ad maiorem modestiam, pudoremque consuli. Exhortandæ mulieres sunt, ne auro, argentoque intextas vestes deferant; ut gemmas, & anulos, maritali excepto, dimittant. Verum hanc vestitus modestam formam nec nos præcipimus, nec Apostolus præcipit. Consulere, & exhortari possumus, & pro tempore debemus; secus imperare, & iubere: quia nec id Apostolus iubet. Alioqui principes femineæ, Regineque, quæ aurata indumenta gerunt, lethaliter delinquent: quod absolum est. Apostolus sub præcepto vetat ornatum inverecundum, immoderatum, superfluum, quod ex pluribus confurgit; videlicet ex capitis nuditate, vultus fuce, vestitu aut status conditionem excedente, aut forma minus pudica, denique ex pluribus circumstantiis quæ iuxta prudentum existimationem dedecent christianam modestiam, verecundiam, & gravitatem. Opportuna est D. Antonini doctrina II. Part. titul. IV. cap. V. §. 8. *Ad secundum, scilicet de doctrina Apostolorum, ad hoc respondetur, quod non omne quod est contra doctrinam Apostolorum, est mortale, aut indispensabile; sed solum quantum ad ea quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores necessarios ad salutem. Nam sicut in lege antiqua circa moralia, & evangelica, & canonica lege quædam ponuntur præcepta, quorum transgressio est mortale, quædam mandatorie inducunt transgressorem ad veniale, quædam consultorie ad nullum omittunt.*



rentem talia ligantia peccatum, sed ad maius promoventia bonum; ita & in doctrina apostolica. Quando autem intelligatur in talibus Scripturis esse præceptum, & mandatum ex modo loquendi, & de veritate sermonis ipsarum Scripturarum, non potest clare regula haberi, sed secundum materiam subiectam, & declarationes sanctorum. De huiusmodi dictum est supra in capitulo de inobedientia. Talis autem ornatus ab Apostolis non prohibetur præceptorie, nisi in eo casu quum fieret ad lasciviam, & iactantiam, ut dicit Thomas; sed mandatorie, vel exhortatorie: quod patet ex evidenti ratione: quia si præceptorie diceretur, & universaliter, sequeretur hoc inconveniens quod quæcumque portaret vestem auro intextam, aut argento, etiam si Regina, mortaliter peccaret; quod est absurdum dicere.

II. Ex his ergo colligas velim summa prudentia opus esse in figenda regula honesti, vel inhonesti muliebris ornamenta, letalis, aut venialis culpæ. Ex modo loquendi Scripturarum, & ex subiecta materia, sanctorumque declarationibus definiendum id est. Statuendum est adversus Lessum, aliosque, Apostolum vi præcepti vetare ornamentum immoderatum, superfluum, ac ad lasciviam notabiliter incitantem. Id & subiecta materies, & declarationes sanctorum, ut cum D. Antonino loquar, perspicue ostendunt. Ceterum verissimum quoque est, ornatum & quantum ad formam modestiorem plus solito, & quantum ad colorem minus vividum, ac micantem, & quantum ad valorem vilio-rem, ad consilium, exhortationemque revocari. In ipsa quoque vestium, & ornamentorum superfluitate levis culpa reperiri valet ob parvitatem materiæ, rectamque intentionem. Hæc dicta sint ad maiorem eorum quæ supra diximus, claritatem. Nunc ad ea quæ instant, accedendum.

III. Scandalum Pharisaicorum ex malitia, pusillorum ex ignorantia, & infirmitate, ut alias diximus, proficiscitur. Sed explicandum incumbit primum, quid exprimat ex malitia delinquere. Hoc luculenter de more explicat D. Thomas 1.2. quæst. lxxviii. art. 1. ad 3. Dicendum, quod malitia, ex qua aliquis dicitur peccare, potest intelligi malitia habitualis, secundum quod habitus malus a Philosopho Lib. V. Ethic. cap. 1, nominatur malitia; sicut habitus bonus vocatur virtus: & secundum hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Potest etiam intelligi malitia actualis; sive

ipsa mali electio malitia nominetur, & sic dicitur aliquis ex malitia peccare, in quantum ex mali electione peccat; sive etiam malitia dicatur aliqua præcedens culpa, ex qua oritur subsequens culpa; sicut cum aliquis impugnat fraternam gratiam ex invidia: & tunc idem non est causa sui ipsius; sed actus interior est causa actus exterioris. Multifariam peccatum ex malitia contingit. Primum ex pravo habitu. Secundo ex electione mali, seu, ex certa scientia absque passione, & absque exteriori obiecto alliciente. Deinde cum flagitium ex alio oritur flagitio. Quot modis ex malitia delinquitur, totidem scandalum ex malitia perpetratur. Si preesse igitur loqui velimus, scandalum sex malitia illud est quod neque ab ignorantia, neque ab infirmitate, neque ab ulla occasione, vel passione, sed ab interiori perversitate, certaque sententia gignitur, vocaturque scandalum pharisaicum, seu scandalum acceptum, tamen non datum. Nolum tamen eiusmodi sic intelligas, quasi qui peccat ex passione, non peccet simul ex malitia; sed hoc in sensu, quod scandalum pharisaicum ex certa malitia est, eo quod animus ex prava dispositione paratus sit ad peccatum. E contrario qui ex impetu passionis labitur, peccat utique & hic ex malitia, quia cohibere appetitiones suas deberet; attamen, nisi exteriori obiecto passio alliceretur, minime homo peccaret; & ideo ex passione peccare dicitur. Quibus prælatis, id quod proposuimus, explicandum est.

IV. Quæst. I. Peccat ne mulier quæ, si in publicum exeat, a determinato viro, puta Paulo, prævidet se turpiter amandam? Resp. Si mulier, nulla iusta vel necessitatis, vel utilitatis causa, domo egrediatur, prævideatque se turpiter amandam, iuxta communem Doctorum sententiam mortaliter peccat. Neque inter iustas exeundi causas reputari valet propriæ libertatis usus. Nimis quippe laxa est quorundam opinio asserentium causam iustam exeundi esse ut mulier suæ satisfaciatur voluntati: voluntas quippe nostra legibus caritatis subiecta est. Caritas autem iubet vitare spirituales proximi iacturam, cum absque detrimento notabili id præstari potest. Nec loco detrimenti notabilis haberi potest propriæ libertatis impedimentum. Quare alia causa præter exercitium libertatis assignanda est. Causa autem legitima esse potest vel necessitas eundi ad Ecclesiam, invitendi amicas urbanitatis gratia, vel utilitas peragendi negotia propria.

Qua-

Quare nimis laxa mihi videtur doctrina quam ex Diana aliisque recentioribus referunt Salmanticenses tract. xxi. cap. viii. punct. 5. num. 60, ubi hæc scribunt. „ Ut licite mulier possit se hominum conspectui offerre, „ necesse est aliquam intervenire utilitatem, „ saltem non se privandi propria Libertate, „ & iure exeundi domo, vel standi ad fenestram. Ceterum, quia istæ causæ, & „ utilitates semper verificantur; semper etiam ei erit licitum offerre se decenter „ ornata hominum conspectui. Immo addunt citati Auctores, quod si ornatus esset „ superfluus, non peccaret mortaliter, sed „ venialiter: quia tot sunt mulieres superflue se ornantes, ut vix de ulla possit affirmari occasione peccandi hominibus tribuere. Videatur etiam Diana. „ Duo ex hac doctrina colligimus. Alterum est, quod ad libitum mulier se se offerre licite possit hominum obtutui, ut suæ libertatis iura facta tecta custodiat. Alterum vero, quod etiam superfluo ornatu compta, facisque picta valeat in publicum prodire, quin letaliter delinquat, sed venialiter tantum. Cur? quia tot sunt feminæ superflue se se ornantes, ut vix de aliqua adfirmare possimus, occasionem peccandi hominibus tribuere. Si hæc tibi non arridet ratio, consule Dianam, inquitur. Nonne egregia ratio, & momentosa auctoritas? Quia plurimæ sunt mulieres ornamentorum illecebris, & lenociniis obarmatæ ad expugnandam hominum castitatem, nulla earum delinquendi præbet occasionem? Ex peccantium ergo multitudine innocentiam arguis? D. Antoninus oppositum docet II. Part. tit. vii. cap. iv. Mortale autem (scandali peccatum est) quum committit actum peccati mortalis manifestum, sive etiam quia contemnit salutem proximi, ut & pro ea conservanda non præmittat aliquis facere quod sibi libuerit, quantumcumque quis scandalizetur; & tunc etiam committendo quod esset de se veniale, vel haberet speciem mali, estimando quod aliquis ex tali actu eius rueret in aliquod mortale, & sine sui periculo, vel detrimento posset illud dimittere, & non faceret, quia non curat de salute proximi, dummodo suæ voluntati satisfaciatur; esset ei mortale, quia contra caritatem, qua quis tenetur providere salutem proximi: sicut si mulier perpendens, vel estimans ex signis aliquem rabi ad concupiscentiam sui extra matrimonium, offerat se indifferenter aspectui illius, non intendens ex hoc illum inducere ad concupiscentiam suam, sed

nec etiam de hoc curans, sed volens satisfacere voluntati suæ, seu levitati in discurrendo per loca, vel morando ad ostium domus, vel fenestras ex quadam curiositate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine; mortale esset. Secus autem, si hoc non estimaret, vel non bene posset illa dimittere, ut quia oportet ire ad Ecclesiam, vel ad alia loca, & aliquando cum vicinis morari in via, ne reddat se aliis onerosam, & de eo displicentiam habeant.

V. Quæst. II. Mulier pervertitur ad Ecclesiam, vel ad aliud peragendum negotium, prævidet se libidinose amandam, tenetur ne omittere Missam, & negotium, ut scandalum vitet? Resp. Distinguendum est scandalum pusillorum a scandalum Pharisaicorum. Item animadvertendum, num mulier prævideat se concupiscendam ab aliquo determinato amasio, vel aliquibus indeterminate. Convenit penes omnes, mulierem teneri pro aliqua vice vel ommittere, vel differre iter ad Ecclesiam, aut aliud adire, si potest, templum, suumque differre, si absque notabili detrimento valet, negotium, ut pusillorum scandalum vitet. Quia præceptum vitandi scandali prævalet, ut alias dictum est, præcepto audiendi Missam. Ceterum raro hoc in praxi contingit: quia raro contingit quod scandalum virorum adamantium libidinose mulieres sit scandalum pusillorum, ex infirmitate nempe vel ignorantia proficiscens. Quandoquidem, si mulier hunc venereum amorem prævidet, indicia istius amoris præcesserunt, ex quibus illa infert, se iterum concupiscendam fore. Paratus itaque animo est vir ille ad mulierem concupiscendam, atque adeo non ob ignorantiam, vel fragilitatem, sed ob suam habitualeni malitiam in eandem rapitur; quod ad scandalum pharisaicum spectat.

VI. Porro communissima Theologorum sententia est, non astringi mulierem ob tale scandalum negligere sua negotia, sive temporalia invitendi amicas urbanitatis gratia, vel res alias tractandi, sive spiritualia, audiendi Missam, visitandi Ecclesiam, aliaque id genus pia opera. Hæc quippe actiones aut honestæ sunt, aut indifferentes, quæ iusta urgente causa prætermitti ob scandalum pharisaicum minime debent. Gradus vero necessitatis, & utilitatis necessariæ, ut iusta sit causa contemnendi scandalum pharisaicum, ignotus nobis est. Ex pluribus circumstantiis colligi id potest. Criminis malitia cum necessitatis, vel utilitatis causa comparari debet.

bet. Pravitas quoque, & dispositio peccantis præ oculis habeatur oportet. Nam licet scandalum quoque pusillorum ex malitia sit, ut alias diximus (ablata enim malitia non esset peccatum) tamen talis malitia est quod vir non peccaret, nisi occasio occurreret talem aspiciendi feminam; quod proprie scandalum pusillorum constituit. E contrario qui more Pharisæorum peccant, paratum habent animum prave affectum erga quamcumque mulierem; ideo ex certa malitia peccant.

VII. Dico igitur, non teneri mulierem omittere Misam, Ecclesie visitationem, neque sua temporalia negotia, ut scandalum pharisaicum declinet. Et hæc est communis sententia. Et quod ad spiritualia opera attinet, nemo est qui dissentiat. De temporalium omissione nonnulla difficultas urget. Opponi solet caritatis ordo, quo spiritualis proximi salus præferenda est temporaneo bono. Qua ergo ratione asseritur, mulierem exire licite domo posse ad invisendas amicas, ad sua negotia peragenda, dum ex tali egressu salus proximi periclitatur? Pervertitur tunc caritatis ordo, cum temporalia spiritualibus præferantur.

VIII. Eruditus Petrus Ballarinus *Prælec. v. ad Tom. II. D. Antonini*, ut ab hoc nodo se expediat, concedit ob solum temporale bonum contemnendum non esse pharisaicum scandalum. Sed addit spirituale bonum & in hoc, & in similibus casibus occurrere. Si enim licitum non esset, urgente necessitate, ab usurario parato mutuum petere, neque licitum foret mulieri in publicum ob scandalum pharisaicum prodire: tanta est hominum infirmitas ut ipsi peccaremus, si libertas consulendi necessitatibus, commodique propriis adempta nobis esset. Porro hoc malum spirituale ex infirmitate nobis impendens fatius est impedire quam flagitium illorum qui ex malitia peccaturi prævidentur.

IX. Hæc doctrina aut communi Theologorum sententiæ accedit, aut, si quid aliud ingerit, difficultate non caret. Nam scandalum pharisaicum contemnendum dicimus, ut publicis rerum ordo servetur. Fac hominem veneris ardore perustum quotidie expectare mulierem domo egredientem, ut in illius obtutu se complacet. Si hæc misella clausa domi veluti in perpetuo carcere morari deberet, ut hoc pharisaicum scandalum declinaret; iam perturbatus esset publici commercii ordo, adempta libertas cuique a natura concessa. Hic libidine æstuans sua continuata malitia non modo adversus castitatem

delinqueret, verum etiam communia invaderet libertatis iura, atque bono communi, & civili societati infestus foret. Quæ de causa mulier domi se continens, ut istius libidinis lapsum vitaret, eiusdem malitiam adversus communem libertatem foveret, & sic delinqueret, sive stare, sive prodiret. Idcirco permittendum est prius malum, nempe scandalum, ut auferatur secundum, scilicet libertatis privatio, ut sic mulieres sua frui libertate valeant, causa honesta impellente. Si eiusmodi spiritualia incommoda in his contemnendis Pharisæorum scandalis occurrant, nulla urget difficultas. At non apparet quod reapse semper impendant. Nam plures sunt homines qui etiamsi mutuum ab usurario non acciperent, non propterea peccarent: quod idem de mulieribus domi degentibus dicendum est. Quod si latam esse legem quis contendat, qua ob vitanda peccata quæ homines infirmi committerent, nisi licitum illis esset & domo exire, & mutuum petere, premente necessitate, permittum sit re ipsa & domo egredi, & mutuum accipere; nemo est qui talem legem repudiet.

X. Ex his colligitur, convenire inter Theologos, curandum non esse scandalum pharisaicum iusta, ac rationabili causa urgente. Quod autem id liceat vel ob solum temporalem utilitatem, communeque bonum temporale, vel quod, si hoc bonum temporale negligatur, impendeat spirituale damnum; ad praxim quod spectat, parum refert. Nobis standum esse videtur communi doctrinæ, omnium fere Theologorum auctoritate firmatæ, nimirum urgente iusta temporali causa, curandum non esse pharisaicum scandalum. Ordo quippe caritatis iubet ut auxilium feramus proximo, dum indiget, & dum id præstare valeamus absque nostro notabili detrimento. Quod detrimento, ut dictum est, ex comparatione cum criminis qualitate, aliisque circumstantiis pensandum est. Porro, cum ex una parte nobis damnum temporale impendet; & cum ex altera proximus necessitatem non patitur (quippe sua prava voluntate persistit in malitia sua) non est negligendum bonum nostrum, tametsi temporale, ut illius scandalum evitemus. In actionibus itaque quæ mediam naturam habent, spectanda est causa honesta ob quam fiunt, ut sciamus, omittendæ ne sint, an secus, ob scandalum pharisaicum. Caritatis ordo absolute spiritualia temporalibus præfert, secus in omni circumstantia; potissimum cum proximus fracta fronte & contumaci li-

ber-

bertate temporali bono insidias fruit. Alioquin nec defendenda essent adversus invasores communia bona, nec Principes regna, & provincias custodire possent, ut homicidia, aliaque mala vitarent. Mitto recensere innumeras rerum perversiones quæ profuerent, si in omni eventu necessum esset spiritualia temporaneis antepone. Standum ergo communi doctrinæ est.

XI. Quæst. III. *Peccat ne mulier in publicum sine ulla rationabili causa prodians, si prævideat se impudice amandam ab aliquibus indefinite, & vage acceptis, dummodo ipsa nullam pravam intentionem habeat?* Resp. Dum mulier prævidet a determinata persona, puta a Francisco, se concupiscendam, graviter eam delinquere, si illius aspectui se se offerat absque rationabili causa, probatum est supra. Quæstio præsens est, utrum quoque peccet, si præsciat se ab aliquibus indefinite tantum concupiscendam? Quod duplici modo accidere valet, ut optime advertit P. Albertus de Albertis in suis *paradox. dif. i. cap. v. §. 4. num. 36. & seq.* Primum puella formosa prudenter existimare potest, humana infirmitate spectata, se ab aliquibus male concupiscendam absque ulla determinatione personæ, loci, vel temporis. Certum est ad hoc vitandum periculum eam non altringi. Secundo hæc eadem puella prævidet se forde concupiscendam hodie in tali convivio, in tali conversatione ab aliquo aditantium; quamvis ignoret quis illorum determinate impudicus amator futurus sit. Hoc solum ex circumstantiis compertum illi est, puta quia sunt iuvenes veneri dediti, hominesque erga mulieres petulci. Rursus a convivio, & congressu mulier formosa absque ulla inurbanitatis nota, & absque omni incommodo abesse potest. Quæritur, utrum sub gravi culpa abstinere debeat? Præfatus P. Albertus de Albertis *loc. cit.* docet adfirmativam partem sic circumscriptam a nemine negari rationabiliter posse. Quod & ipse verum reputo, hisque rationibus evinco. Quilibet declinare astringitur proximum periculum peccati letalis, non modo determinati, sed etiam generatim accepti. Omnes quippe fatentur mulierem peccare letaliter, si absque rationabili causa se offerat aspiciendam viro determinato, puta Titio, gnara turpiter ab eodem amandam. Quid ni ergo peccabit, si pluribus se se præbeat, quos novit in eandem culpam lapsuros, tametsi neminem designare sciat? Nonne mortaliter delinquit ille qui ad bibendum plures invitavit, dum præcitat ali-

Conc. Theol. Tom. II.

quos indefinite fore inebriandos, ut communiter fatentur vel ipsi benigniores Probabilistæ? Qui publice coram aliis mortaliter peccat, conscius dictum, factumve suum quibusdam occasione futurum delinquendi, quamvis ignoret quisnam determinate offendiculum passurus sit; scandali, necessario in confessione exprimendi, reus habetur, ut communis opinio docet. Ergo etiam gravem scandali noxam illa mulier contrahet quæ absque ulla honesta causa suo indifferenti facto occasionem delinquendi hominibus indefinite, ac generatim præbet. Quod enim in convivio, aut conversatione formosa mulier prævideat, obsceno amore sui flagraturum Petrum determinate, vel plures viros indefinite, ad scandalum quod attinet, perinde est. Fatentur omnes in primo casu mulierem peccare, si absque convenienti causa se Petri aspectui offerat: ergo idem dicant pariter in secundo necesse est. Siquidem idem influxus omnino in proximi infirmitatem, atque adeo in eiusdem peccatum est, sive cognitio mulieris sit de homine libidinoso determinato, sive de quibusdam indefinite. Dictum namque, & factum, seu interventus mulieris in convivium, aut congressum, in quo obscene se diligendam probabiliter, certoque credit, est id quod proximo ruinæ occasionem præbet. Cognitio mulieris interior est, quæ foras non erumpit, nec ad peccandum impellit. Exterior apparitio, & deliberata sui oblatio publico obtutu causa viris est venereo flagrandi amore. Optime hac de re *Lactantius Lib. III. divin. institut. cap. v. Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est: quia facta cernuntur, animus non videtur.* Ornata pulchritudo, non animus movet. Pro hac sententia P. de Albertis laudat S. Thomam, Ioannem de Friburgo, Ulrichum, Alenssem, S. Antoninum, S. Carolum Borromæum, Dionysium Carthusianum, Sylvestrum, Astellanum, S. Bernardinum, Trovamala, Tabienam, Alexandrum Anglum, Ioannem Herolt cognomento Discipulum, Suarez, Nicolaum Auriscum, Baptistam de Salis, Iacobum Ungarellum, Filiucium, Baldellum, Tiraguelum, Cardinalem de Lugo, aliosque, quorum verba refert, additque triginta insuper Doctores a Ioanne Sanchez pro hac sententia laudari.

XII. Nihil aliud adversus præfatum opinionem opponi solet præter ius propriæ libertatis, quæ læderetur, si abstinere mulieres deberent a conviviis, a spectaculis, publicisque congressibus, in quibus prævident ab

I

ali-

aliquibus se fore amandas. Verum nec iuxta principia Probabilitatum hæc obiectio urget. Fatentur enim vel ipsi Probabilitæ, quocumque sicuti, quando lex certa non est quæ libertatem restringat, possessio stat pro libertate; ita quando lex clara, & perspicua est, possessio stat pro lege adversus libertatem, quæ legis observationi subici debet. At lex naturalis, & divina caritatis de vitando scandalo, etiam indirecto, de peccato ex infirmitate proficiscente cavendo occasionis subtractione, comperta, & explorata est, & legitima possessione gaudet. Nemo igitur solius libertatis prætextu huic legi se subducere iure valet; sed necessaria est gravis causa, seu incommodum distinctum a detrimento solius libertatis. Idque confirmat P. Albertus de Albertis *loc. cit. num. 113.* quod secundum Probabilitas in dubio proprio, hoc est negativo, melior est conditio possidentis in omni profusa materia. Sed præceptum caritatis de vitando scandalo, passivo ex infirmitate, vel ignorantia profuente, dum commode potest, est in legitima possessione obligandi libertatem. Ergo ius tuendæ libertatis pariter opponitur, ut hinc inferatur liberum esse feminis publicis adire congressus, in quibus se conspiciendas præbeant iis a quibus indefinite se fecere amandas prævident. Et sane, si ius tuendæ libertatis satis esset ad abolendam legem de vitando pusillorum scandalo indirecto; actum, conclamationumque esset de omni præcepto. Nullum enim reperitur præceptum quod libertati contrarium non sit, & onerosum; eamque non limitet, & coerceat. Hoc nemo asserere ausit. Ergo prætextus tuendæ propriæ libertatis ineptus est ad inferendam immunem a scandali reatu mulierem quæ nulla ducta rationabili causa se spectandam præbet illi quos veneris igne arduos ex sui conspectu probabiliter cognoscit. At quid requiritur, inquit, ut mulier probabiliter iudicet se impudice amandam fore? Nam homines communiter mulieres deperunt. Semper ne iudicare mulieres debent se impudice amandas fore? Ex circumstantiis hoc eruere valent. Si congressus, & convivia sint iuvenum, hominumque impudicitis deditorum, idque ipsis constat; tum, causa congrua subblata, abstinere ab eiusmodi conviviis, atque hominum frequentia debent.

XIII. Quærit. IV. *Peccant ne mulieres quæ pulchros suos sibi inservire permittunt, & illorum familiari colloquio fruuntur, dum ex pluribus indiciis probabiliter colligunt veneris amore erga se deslagare?* Resp. Letaliter de-

linquere mulieres istas, tametsi earum mens & animus a libidine alienus sit, nemo est qui vel indubium revocare valeat, ut ex iis quæ dicta sunt, compertum est. Quare mulieres quæ hodiernum vivendi morem perfectas, suos venustulos servulos (verius dixerim vilia mancipia) habent, eorumque fruuntur servitute in incessu, in ascensu, & descensu, & fere semper ad latera assidentes habent, absolutionis sacramentalis indignæ omnino sunt eo quod obfirmato animo persistant in habitudine peccandi. Putant se a scandalo immunes, quod ipsæ nulla se sentiant venerea intentione pollutas. Quæ excusatio, ut alias diximus, inutilis est. Continenter peccant, quod eiusmodi bellulos amantios excipiant absque ulla rationabili causa in propriam domum, & eorumdem perofficiosa obsequia illecebris, & lenociniis pensant, & continuam libidinis negotiationem peragunt.

## CAPUT XI.

*Utrum expediat permittere meretrices, licitumque sit domos eisdem locare.*

Quærit. I. *Licita ne est scortorum publica permissio?* Resp. Communior est Theologorum, & Casuistarum sententia, quæ licite permitti scorta defendit. Hoc permissio, maiora impediti mala ipsi contendunt. Sed nemo adhuc, mea quidem sententia, quidquam solidi adduxit, ut assertionem evinceret; quin potius pro certo habent quod probandum incumbit. Rationes quæ contrariam opinionem suadent, validæ mihi sunt, & efficaces. Easdem in medium asserere volo: quod tamen dum præsto, Principum permissionem damnare nequaquam mihi animus est; sed dumtaxat prudentum iudicio submittere quæ veritati magis ego arbitror consentanea. Certum enim est numquam Principes, quorum est bonum publicum curare, permissiones meretrices fore, si crederent maiora hinc consequi mala. Nostra ergo interest palam facere scortorum permissionem non minui, sed augeri mala nostra.

II. Primum, Deus qui sua infinita sapientia omnia comprehendit, Iudæis lupanaria omnia in civitatibus eorum vetuit. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. Non offeres mercedem prostibuli.* Deut. XXIII. vers. 27. Quare Origenes *Lib. IV. contra Celsum* scribit, nullas fuisse meretrices inventutis pestes in eorum Republica. Bonifacius quoque apud P. de Albertis ani-

mad-

madverit, non quomodocumque scorta vendita esse; sed ita dumtaxat, ut quasi auctoritate publica constituerentur, vel certe permitterentur. Cornelius a Lapide interpretatur, Deum prohibuisse ne lege Magistratum publica lupanaria permitterentur. Denique Philo Iudæus *Libro de speciali lege* testatur, capitale fuisse crimen apud Hebræos corpore questum facere. Hæc tamen intelligenda videntur de meretricibus Israeliticis, & publica auctoritate permissis. Ceterum ex textu inferre minime possumus, nulla apud Iudæos extitisse lupanaria, aut meretrices alienigenas lege Moylis fuisse interdixtas. Quin oppositum ex Scriptorum colligitur. Duas enim meretrices ante Salomonis tribunal litem intendisse in III. *Regum* III. clare asseritur. Lex ergo Moylis vetat ne publica sanctione lupanaria permittantur. Scorta quæ apud Iudæos extitisse legitimus, non publica auctoritate, sed contra legis præscriptum inventa fuere.

III. Ex præfata lege sic liceat arguere. Nisi ex meretricum prostibulis plus mali quam boni emergeret, numquam Deus Iudæis inhibuisset illas permittere. Quod sic evincitur. Id quod plus mali quam boni parit, rationi repugnat, suæque natura malum est. E contrario autem permissio minoris mali ad maius vitandum bona est, & nature congruit, saltem quantum ad effectum, seu, ut dicitur, consequenter, seu in sensu formali, & expresso. Ergo, si permissio scortorum maiora mala vitaret, iniuste, & contra bonum commune talem permissionem Deus Iudæis interdixisset. At Deus hanc permissionem Hebræis ipsa interdixit. Ergo maiora mala non impedit, sed inducit.

IV. Rationum momenta quæ promit Navarrus, valde luculenta videntur. Libido, sicut quodlibet aliud vitium, usu non minuitur, sed reviviscit, & roboratur. Flamma veneris adiecta flammæ augetur, & sola contraria aqua deferveret. Quis dixerit, ignem extingui sulphure, & bitumine apposito? Iuvenes pudore a natura insito impetus concupiscentiæ cohibent, & verecundia suffusi vix audent castas puellas aggredi. Ubi patent lupanaria, vel invitati, & obfistente nativa pudicitia, pelliciuntur, & instigantur. Vultu meretrices ad questum ineptæ lenæ fiunt, & proxenetae, iuvenesque seducunt, efficiuntque lupanariorum amatores. Isti semel foedato castitatis lilio, fractaque fronte, socios pervertunt, dirumque libidinis virus ceu cancer & pellis serpit, procedit, graf-

fatur, & brevi universam inscit urbem. Ipsemet, inquit Navarrus, novi pueros castissimos venientes ad Academias ex terris ubi eiusmodi lupanaria non sunt, ob eam quæ illis se offerebat peccandi occasionem, animas, studia, & corpora ipsa contagio infecta perdidisse. Hæc omnia experimento continuo explorata sunt. In terris a quibus exulant scorta, frigescit venus; & si intus ardet in paucis, foras tamen non adeo frequenter erumpit ad ceteros inquinandos. Extinguitur flamma, materia subducta. Stupra, incestus, fornicationes, adulteria non deerunt, usquedum non deerit natura, culpa originali corrupta. Id solum in quaestione vertitur, num latius serpat libido ablatis scortis, an permissis. Immanius patere libidinis flagitia iis in locis ubi lupanaria aperta quam ubi penitus clausa sunt, ostensum est. Unicum quippe libidinis remedium, non usus illius, sed virtus adversa. Castitatis studium, carnis maceratio, penitentia, fuga mulierum sunt adversus libidinem efficacissima medicinæ.

V. Minora quæ ex scortorum permissione depinguntur mala, nempe pauciora adulteria, rariora stupra, & incestus, commentitia sunt, & profusa falsa; non secus ac si diceret, defervere flammam oleo adiecto, & sulphure. Quin iuvenes, & abiecta verecundia, audaciores fiunt, & ex scortorum usu, atque familiaritate in veneris palæstra doctores evadunt; artificia addiscunt quibus satisfacere facilius suæ concupiscentiæ valeant, ut Ecclesiasticus docet. *Et qui se iungit fornicariis, erit nequam. Fornicariis, nimirum meretricibus: erit nequam, id est audacior, ut interpretatur Clemens Alexandrinus II. Pedagog. c. x.* Tantum abest ut castus libidinis ex frequenti meretricio deferveret, quin hinc vires recipit, & robur. Id solum consequitur ut in dies ebulliente venere novæ cogitentur viæ quibus eidem fiat satis. Quemadmodum belluones quotidianas, & solitas epulas fastidiunt, nauseantque, & silvestres, peregrinasque appetunt; sic libidinosi ex frequenti veneris crapula satures, meretrices nauseæ habent, & fastidio; ideoque exquisitiores epulas, elegantiora fercula exquirunt, formosiores videlicet puellas adoriuntur, præstigiis, & lenociniis ex lupanario perceptis illas seducunt, thalamis insidias fruunt, nihilque intaminatum, quantum per eos licet, relinquunt. Paucis omnia perstringo. Peccatum actuale, omnium Theologorum consensu, non minuit, sed auget, amplifi-

L 2

cat-

catque vires concupiscentiæ originalis. Et sicut baptisma non delet concupiscentiam originis; ita nec pœnitentia exstinguit fomitem concupiscentiæ investæ, & roboratæ usu peccati personalis. Evidens ergo est usu meretricio effreniorem evadere libidinem, flammamque veneris latius grassari, thalamos, & sacratiora loca subire. Ne multa. Libidinis flamma in lupanari obvio accenditur, primamque suam exfaturat famem. Extra illud, in viridariis liliorum, in vineis alienis convivia opipare instruit, suisque fruitur deliciis, & oblectamentis. Quid divitiarum iacturam, quid juvenum tabida corpora, quid familiarum extinctionem, quid dissidia, quid homicidia, quæ ex meretricio proficiuntur, loquar? Quis inficias iverit iis in regionibus quæ vino carent, rariores esse ebrios? Quæ ratione negaveris, sublatis scortis fornicationes, incestus, adulteria, & nefanda crimina longius abesse? Concludamus ergo, solo castitatis studio venerem cohiberi, & dimitti; numquam vero usu, & exercitio.

VI. In maiorem eorum quæ dicta sunt, confirmationem, unius, & alterius Scriptoris verba transcribam. D. Chrysostomus *orat. xvii.* hæc scribit. „ Omnino ita existimandum est, quod ista in medio posita, & manifesta, ignominiosaque adulteria, nimisque impudenter, & perfracta fronte perpetrata, incertorum, & occultorum tam in mulieres honorandas, quam pueros, stuprorum haud minimam præbeant causam: eo quod tam facile talia quisque audet, & turpitulo in publico contemnitur. Et non, quemadmodum quidam putant, quod eiusmodi flagitia securitatis, & abstinentiæ causa reperta sint. Forfan igitur quispiam rusticior ita quodammodo dicere queat: O sapientes Legislatores, & Principes, qui ista suscipitis initio, quasi quoddam admirabile civitatibus pharmacum modestiæ repereritis, ne vobis manifesta hæc, & aperta domicilia clausas domos, & interiores thalamos referent, quique foris, & aperte libidinatur modicis impendiis, ne se ad liberas, & honestas vertant mulieres cum multis pecuniis, muneribusque: videte ne illi revili, quæque sit in potestate, non contenti, amplius id quod prohibitum est, cum timore, multisque impendiis persequantur.“

VIII. Luculentius, maioriq; efficacitate sententiam hanc confirmat Adamus Contzen *Lib. II. Polit. cap. xii. §. 14.* „ Improbissima est eorum ratio qui publicis

illis voluptatibus deteriora caveri arbitrantur. Ubi invaluerunt, flagitiosissima quæque perpetrantur. Fuga optime castitati consulit: quæ esse non potest, si publica sint incitamenta libidinum; si cæcum esse oporteat, ne malum videas; si in porticibus, in foro, in viis omnia turpibus abundant; si in poculis, ut inquit Plinius *Lib. XXXI. cap. i. libidines cæclare iuvat;* si imagines illecebrosæ in conspectu inventus impune collocantur, venenum publice venditur, animarum toxica in nudinis Christianorum, non vetante magistratu, venduntur. Dabit magistratus ille pœnas qui nefande dissimulat. Si filiam turpitudines illas oculorum fucogitationi infillandas emisse cognosceres, merita indignatione excandesceres. Si quis ea coram liberis tuis enarraret, diem illi, ut corruptori iuventutis, diceres. An plus est verbis indicasse, an oculis fidelibus subiacere, ut tenacius hæreant? Vident hoc omnes, vident tui, vident tuis narraturi.

VIII. Tandem Cornelius a Lapide relata auctoritate Navarri, & Ioannis Marianæ sic concludit in *Eccli. cap. xix. vers. 3. §. 6.* „ Videmus occasione lupanarium pueros, vel sua sponte, vel aliorum invitatu ad ea occurrere, noxiaque libidine enervare vires, ac inflammata cupiditate in omne decus ruere. Omnino ubi lupanaria non sunt, multo continentiores iuvenes, pauciora adulteria existunt, castior est civitas: quia sicut nullum vitium ita accenditur occasione data, ac libido; sic pariter nullum ita reprimitur occasionum fuga, ac libido. *Fugite fornicationem,* ait Paulus. Ratio est clara: quia sicut flamma non extinguitur, sed accenditur flamma; ita libido accenditur libidine, perinde ut rixa accenditur rixa. „ Hactenus Cornelius, qui auctoritates, & exempla in huius sententiæ confirmationem affert.

IX. S. Ludovicus Galliarum Rex ex universo regno meretrices publicas in exilium egit, & lupanaria omnia destruxit, ut testantur Gallorum Annales, Gaguinus, & Æmilius *Lib. VII.* Philippus IV. Hispaniarum Rex ab universa Hispania easdem eiecit. Memoria dignum est Sancti Pii V. Pontificis Maximi facinus, quo non modo Roma, sed universo statu ecclesiastico meretrices propulsavit, paucis dumtaxat permissis, atque separato loco reclusis iuxta Mausolæum, sanxitque ne per urbem sive nocte, sive die discurrerent. Sacellum eiusdem destinavit,

in quo conciones audirent, pœnis constitutis, si quid contra auderent. Populi Romani Conservator pontificio decreto intercessit, opponens id in civitatis damnnum cessurum: pulsus quippe meretricibus, minuitur popululus, exterique abeunt. Respondit Pontifex, se dignoscere mala gravissima quæ Clero, & populo universo ex lupanaribus impendent, scandala quæ inde proficiuntur, & invidiam summam quæ ob hanc permissionem Sedi Apostolicæ, summoque Pontifici constat apud externos; probra, & calumnias quas hinc obiciendi heterodoxi ansam arripiunt. Hæc, & plurima alia esse momenta ob quæ se conscientia adstrictum indicat ad hoc extermiandum scandalum. Instante Conservatore, exilium istud fore urbis ruinam, subdidit Pontifex: *Si hac sanctione Romæ ruina futurus sum, ea excedam, & Sedem apostolicam mecum alio transferam; Romanisque suas lupas relinquam.* Cessit Conservator, & Pontifex lupanaribus Romam liberavit. Hæc Pontificis acta testantur. Hæc Sanctorum facta innumeris pravalent ratiunculis.

X. Accedit quod lupanaria gentilismi reliquæ sunt, non secus ac bacchanalia: ideoque sua origine, nedum effectibus, prava sunt. Lupanar ad quod S. Agnes ducta fuit, angelico tamen servata præsidio, Romæ in Ecclesiam illius nomini nuncupatam hodie conversum intuemur. Id in omnium votis est; sed num permittenda sint vitandi maioris mali causa, disputatur. Verum habet, probatumque est supra maiora esse quæ ex lupanaribus scaturient, quam quæ impediuntur, damna.

XI. Denique una voce fatentur omnes mulierum fuga castitatem sartam tectam custodiri. Hoc clamant Scripturæ, hoc Patres, hoc ipsa ratio. Paradoxon ergo videtur, effrontes mulieres permittendas esse, ut adulescentibus, virisque omnibus obvia sint, sitque omnibus libertas illas invisendi, & amplexandi.

XII. Obicies I. D. Augustinus *Lib. II. de ordine cap. iv. Quid sordidius, quid inanium, dedecoris, & turpidinis plenius meretricibus, lenonibus, ceterisque hoc genus peccatis dici potest? Ausere meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Respondet Cornelius a Lapide Augustinum iuvenem hæc scripsisse; atate vero provecum, sapientioreque factum, hanc retractasse sententiam. Et sane *Lib. II. de civit. Dei cap. xx.* impios ethnicos talia fantes introducit.

*Conc. Theol. Tom. II.*

*Abundent publica scorta vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maxime qui habere privata non possunt . . . Saltationes undique concrepent, theatra, inhoneste lætitia, vocibus atque omni genere sive crudelissima, sive turpissime voluptatis exastuent. Et ille sit publicus inimicus cui hæc felicitas displicet.* Tamquam Epicureorum voces improbat Augustinus eas quibus expedire publica scorta in civitatibus clamant carnales homines, ad maiora mala vitanda. Nonnulla alia scribit sanctus Augustinus *Lib. XII. de Civ. Dei cap. xviii.* quæ adversari lupanariorum permissioni videntur. Inquit enim: *In usu scortorum, quam terrena civitas licitam turpitudinem fecit, quamvis id agatur quod eius civitatis nulla lex vindicat, devitat tamen publicum etiam permissa, atque impunita libido conspectum; & verecundia naturali habent provisum lupanaria ipsa secretum.* Ex quibus eruitur terrenam civitatem, nimirum Romanorum gentilium iura, scorta permittere; secus iura Ecclesiæ. Clarius Hieronymus *epist. ad Oceanum* scribit, *Cæsarem, non Christum, Papinianum, non Paulum viris impudicitia fræna laxare, & lupanaria permittere.* Lactantius subdit dæmonis arte investa lupanaria. *Ac ne quis esset qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est.*

XIII. Obicies 2. D. Thomas 2. 2. *quæst. x. art. i. c.* refert auctoritatem Augustini quam supra transcripsimus ex *Libro de ordine.* Accedit quod licet in civitatibus scorta prohiberi expediat; minime tamen id congruit grandioribus urbibus, ubi multitudo gentis abundat. Bonum enim in paucioribus, & communiter homines ad mala proni sunt. In peramplis civitatibus mores solutiores sunt, vitia ex nationum diversitate durius grassantur: si lupanaria exularent, non esset salva omnis caro. Tandem non videtur verum coitu libidinem immanius favere: quoniam cur ad sedendam concupiscentiam permittantur matrimonia, si usus matrimonii libidinem acueret?

XIV. Ad D. Thomam quod attinet, dicimus verum esse allegare Augustini auctoritatem; sed obiter, & veluti per transeunam, nullo adiecto examine: remque in medio reliquisse videtur. Ad id quod additur, dicimus, rationes a nobis inductas evincere utique lupanaria maiora invehere quam impedire mala. Utique in amplioribus urbi-

bus mores laxiores sunt. Sed ideo tales esse dicimus, quia ibi frequentiora esse lupanaria solent, maioremque scortorum multitudinem. In remedium etiam concupiscentiæ matrimonia concessa asserimus: ergo & fornicationes? Nemo id asserere audeat. Matrimonia sacramenta sunt in humani generis propagationem instituta. Gratia sacramentalis concupiscentiæ ardorem, si extinguat, temperat. Coniugati qui fornicationum, id est brutorum, more suam cognoscunt uxorem, ea minime contenti sunt; sed veluti equi hinnientes alienos thalamos, & mulieres quasque aggredi perentant. Cur? Quia libido libidine non minuitur, sed augetur, flamma flammam non extinguit, ut probatum est. Quæ nobis veriora apparent exposuimus; sapientum tamen iudicio subiicimus.

XV. Publica lupanaria tollenda de civitatibus rationes, ut mihi quidem videtur, evincunt. Utinam rationibus executio responderet! Utinam Pio V. Ludovico, & Philippo similes multi hac quoque tempestate inveniantur, qui tantum christianæ Reipublicæ bonum præsentent! Id saltem curandum ut in civitatis angulos, veluti in navis sentinam, detrudantur; ibique clausæ maneant effrontes hæc feminae. Certe Principes, & magistratus negligere sine peccato nequeunt publicum meretricum egressum. Discurrunt hodieum effrontes ista meretricule per civitatem, publica, & magis frequentata loca subeunt: sese juvenibus ad lasciviam comptræ offerunt, præstigiis muliebribus, illecebris, lenociniis seducere juvenes student, totque insidiis homines circumveniunt, ut vel castiores labantur. Numquid Augustinus, vel Thomas, vel alius gravis Theologus permitti hanc vagandi, & ad libitum in qualibet civitatis parte degendi libertatem meretricibus licite posse docet? Quis vel laxiorum Casuistarum dixerit, reos non esse omnium istorum scelerum magistratus, & Principes qui tanta mala pro viribus impedire non satagunt? Peccant sane in publicum bonum, peccant in patriam, in filios, in subditos. Quid de Theologis, quid de Confessariis dicendum, qui istorum superiorum confessiones excipientes, nullum iisdem scrupulum ingerunt, sed absolutionem impertiunt?

XVI. In peramplis ergo civitatibus, ubi meretrices abundare solent, e locis frequentioribus removeantur, ne laqueos iniciant transeuntibus, ipsosque probatos, sed infirmos viros, pervertant, & in insidias pertrahant. E civitatibus vero non adeo amplis,

& populosis, penitus expellantur: quod sine gravi perturbatione fieri potest, cum Dei, & animarum zelus ardet. Ubi vero non sunt, numquam illic introducantur. Verum hæc omnia, tametsi verissima sint, superflua & vana erunt, nisi mores corrigantur. Quid? Meretrices expellent qui matronas, puellas, uxores habitu meretricio comptas, pectore, humerisque nudatis, & illecebris obarmatas incedere, publicosque virorum congressus adire permittunt? Qui uxorum suarum lectis alienos assidere maritos, & juvenes non curant? Qui secreta colloquia, & occultam, diurnamque familiaritatem mutuum dissimulant? Homines hac vivendi consuetudine adeo effeminantur, eorumque animi adeo remollescent, ut sine feminis vix respirare valeant. Mos iste vivendi libidinis pestem quoque universum diffundit, ipsosque castissimos viros inquinat, inficit, & ad exitium detrudit. Uti quidem depravata hac consuetudo obtinet, quis sperare audeat scortorum exilium, aut intra designatos ambitus inclusionem? En causam cur necessaria asseritur meretricum permissio: qua sane hypothese data, nemo negare potest consequi, non modum meretricum necessariam permissionem, sed adulteriorum quoque, quæ falso tolli lupanarium introductione creditur. Qui formolis matronis, sanisque, ac venustis feminis maritatis inserviunt, minime dignantur, exquisitis, elegantibusque epulis relictis, ad vilissima, putidaque scorta accedere. Panis iste filigenis plebeiorum fami explenda reservatur. Quæro nunc. Licite ne Principes, & Magistratus permittunt præfatum vivendi morem, quo divitiæ prodiguntur, thalami inquinantur, successiones confunduntur, viri effeminantur, mulieres regimen usurpant, & susdeque omnia miscentur? Peccant ergo, & quod non auferant causam invehendi lupanaria: peccant lupanaria ob talem causam non ablata permittendo. Sed de his fatis.

XVII. Quæst. II. *Licite ne est domos, & vestes locare meretricibus, & usurariis?* Resp. Adfirmant communiter recentiores. Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. VII. n. 2. Azorius Lib. XII. cap. XVIII. qu. III. Vasquez opus. de Scand. qu. XLIII. art. 8. dub. 5. num. 48. Ledesma Tom. II. tract. VIII. cap. XXXII. concl. 14. quæst. 1. Trullenchus Lib. I. cap. VI. dub. 5. num. 16. Diana Tom. VII. coord. tract. v. res. 49. Lessius Lib. II. cap. XIV. dub. 7. Saloniis in 2. 2. quæst. LXXII. art. 4. contr. 6. Castropalaus disp. VI. punct.*

punct. 12. Salmanticenses tract. XXI. cap. VIII. punct. 5. num. 65. Sporerius tract. V. cap. 1. sect. 3. num. 90. Tamburinus *Lib. V. in Decal. §. 4. num. 34. Eriam nulla* (inquit) *excusante causa*. Excipiunt tamen communitet, nisi domus magis apta esset ob situs conditionem ad peccandum, & ad homines alliciendos, & vicinitas meretricis multum noceret honestis feminis in vicinia commorantibus. *Nam tunc requiritur causa, qualis certe sufficiens esset, non posse aliis honestioribus locari*: concludit Tamburinus *loc. cit.* Audistis? Etiam si domus hæc aptior sit ad exercendum meretricium, etiam si locatio domus, & meretricis inhabitatio multum noceret honestis feminis in vicinia commorantibus, licitum est talem domum in his circumstantiis meretricibus locare. Hoc eodem modo loquitur Diana *loc. cit.* cum Sanchez, aliisque laudatis iunioribus.

XVIII. Hæc recentiorum opinio, tametsi Auctorum multitudine vallata, mihi haudquaquam probatur: quia ratio quam ipsi asserunt, falsa videtur. Eiusmodi locatio domus, inquit, remote ad peccatum meretricii concurrat; idcirco licitam asserunt, etiam nulla occurrente causa. Contrariam ego propugno opinionem tamquam unice probabilem, nedum ceu probabiliorum. Pauci sunt Auctores qui adhæreant; sed ratio validissima suffragatur. Et primum Authentica de lenonibus *i. paragr.* vetant locare domum publico usurario, & lenonibus, quorum cura est puellas seducere. Eadem de meretricibus ratio est. Sed ratio potissima quæ hanc mihi suadet opinionem, ex doctrina ab Ecclesia proposita eruitur. Famulus qui suis humeris dominum adiuvat ad ingrediendam fenestram meretricis, peccat ex Ecclesiæ definitione. Et qui universam domum ad peccandum aperit, concedit, locat, a peccato immunis erit? Quænam, amabo te, discriminis ratio? Nulla sane, nisi quod proximius, & efficacius in meretricium influat qui domum totam concedit, & locat, quam qui humeris suis ad ingressum eiusdem domus scortatorem adiuvat. Sed famulus, respondebunt iuniores, proxime ad peccatum concurrat; secus locator. Proximius, & efficacius, repono ego, locator domus locatione cooperatur peccato quam præfatus famulus. Auctores adversam propugnantes sententiam communiter defendebant licitam cooperationem famuli suis humeris adjuvantis dominum, ut videbimus infra. Ecclesia damnando unam, consequenter, ut ego quidem arbitror, da-

navit & alteram. Casuista qui post Innocentium XI. scripserunt, quique extenuare vim damnatarum propositionum tentarunt, secuti sunt Magistros Dianam, Tamburinum, Trullenchum, Castropalaum, & alios, & omnia expresse non damnata, tametsi cum aliis damnatis propositionibus connexa, non raro amplexati sunt. Sic evenisse in hoc casu ratio explicata evincit: quam sub alio aspectu proponere iuvat. Locatio domus, inquit, natura sua indifferens est; neque domus locatur ad meretricium, sed ad inhabitationem. Eadem ratione dicere famulus potest, se herum suum adiuvere ad ingrediendam fenestram, secus ad fornicandum; atque adeo actionem suam esse indifferentem. Hoc falsum est ex definitione Ecclesiæ: ergo & illud. Recentiores non pauci frequentius laborant paralogsimo, dum in morum regulis designandis actiones a circumstantiis seungunt. In præsentia non disputamus, licita ne sit domus locatio ad inhabitationem; sed quaeritur, utrum locari possit meretrici, quæ in tali domo lupanar aperire, suoque corpore quæstum facere designavit. Ideo enim mulier hanc domum, has vestes conducit, ut meretricium profiteri valeat. Inanis ergo est præcisio, qua seungis inhabitationem a meretricio, quoties locanda domus est meretrici, quæ in eadem infamem artem exercere debet. Quemadmodum licitum, immo non raro, urgente præcepto caritatis, debitum est meretricem induere, eique vestes ad corpus tegendum donare; propterea ne sic licitum erit eidem pulchras vestes, & cubiculi ornamenta locare, ut suam infamem artem profiteri valeat? At in hunc finem te non locare dicis. Verum quæ locas, huic fini deserviunt. Ideo inique locas; quidquid in contrarium scribant iuniores nimium ab evangelica Ethica recedentes.

XIX. Obiicies. Principes ob maiora vitanda mala meretrices permittunt: ergo tu non teneris illarum peccata impedire, domum inhabitandam denegando. Resp. Permittunt Principes meretrices. Quid inde? Licetum ne propterea tibi erit cum meretricibus commiseri? Principum est bonum commune promoveri, Deumque imitari, qui minora tolerat mala, ut graviora impediatur. Sed quid hoc confert ad privatum regimen propriæ animæ? Tua non interest expendere, num Principes licite meretrices permittant; neque utrum tale permissum bono communi expediat; sed quid te deceat, expendere debes, nimirum sit ne opus quod exequi contendis,

licitum, an illicitum. Si opus illicitum est, ob Principum permissionem de crimine non purgatur. Offensum est quod locare domum lupæ, quæ in eadem meretricium exercere debet, sit actio & circumstantia mala: quia commodum, & auxilium præbet locator iste tali feminæ ut se prostituere valeat. Nec refert quod te non locante alius sit locaturus. Quoniam aliorum peccata tua non excusant. Si, missis distinctiunculis Casuistarum, eorumque metaphysicis præcisionibus, quibus locatio domus seiungitur a suis circumstantiis, quæ in morum regulis potissimum spectari debent: si his, inquam, missis rem serio perpendas, te reipsa domum tuam diabolo locare ad illius opera exercenda colliges. Perpendito pecuniam quam ex tali locatione reportas, pretium esse iniquitatis, lucrum humani corporis prostitutione, divinæ maiestatis contemptione, innumerisque flagitiis nefandissimis partum. Et non tremit christiana manus, dum tam turpes tangit reditus? Non horret animus, non detestatur emolumentum adeo scelestum? Dum isthuc animum intendis, non ne ipse sentis quam vana, quam futilis sit huic argumento accommodata distinctio illa, cooperationis proximæ, & remotæ, locationis absolutæ, & abstractæ? Quæ reipsa contingunt, spectanda sunt, & meditanda. Hæc omnia quæ ego indicavi, & his peiora re eveniunt. Quid refert quod tu hæc non intendas? Intentio prava se sola peccatum esset. De practico facto locationis sermo nunc est. Hoc ego suis circumstantiis septum flagitiosum iudico.

XX. Ex his colliges primum, peccare eos iuxta nostram sententiam qui domos locant meretricibus indiscriminatim civitatem inhabitantibus. Græve enim scandalum est quod in medio domorum, & familiarum honestæ vitæ fax ista, & humanæ naturæ putida tabes locum habere debeat. Quid iuvenes, quid puellæ, quid matronæ ex tali conturbatio, & vicinitate non patiuntur detrimenti? Quare gravissime illi peccant qui in qualibet civitatis parte domos meretricibus inhabitandas concedunt. Si meretrices in aliquo civitatis angulo iussu Principum inclusæ essent; tunc Sylvius 2. 2. quæst. lxxvii. concedit licitum fore eisdem domos locare in tali determinato loco fitas. Nec id ego concederem ob rationes adductas. Auctores qui ante propositiones ab Ecclesia damnatas scripsere, caute, licet alioquin docti, legendi sunt in hoc, & similibus argumentis, quæ cum

damnatis sententiis connexa sunt. Sententiam nostram docet Navarrus in *Manual. cap. xvii. num. 195.* Henricus a S. Ignatio *Lib. IV. cap. l. num. 493.* Sylvius *loc. cit. excepta circumstantia adducta, Genet Tom. I. tract. v. cap. iv.* Quod dictum est de meretricibus, multo magis de feneratoribus publicis, de lenonibus dicendum, ac de illis qui vestes, lectifernia, & totius cubiculi ornamenta meretricibus locant, ut optimis vestibus indutæ, & ornato cubiculo excipere scortatores valeant. Eiusmodi vestium, & ornamentorum locationes, non modo turpam meretricii notam, sed avaritiæ, & usuræ crimen sæpe contrahunt. Similes locatores, & locatrices altari, & sacro tribunali arcedæ sunt, sacramentisque privandæ, nisi ab infami, & usurario quæstu abstineant. Quid, inquires, si meretrix lectulo eget, aut veste? Veritum ne erit hæc illi vendere? De veste ad corpus tegendum, de lecto pro necessario capiendum somno, usuque communi, nulla urget difficultas. Ceterum, si quareret lectum ad meretricandum, aut vestem splendidam, ut scortatoribus formosior appareret, idque certo constaret venditori; dico illicitam tunc venditionem esse.

## C A P U T XII.

*De aliis actionibus, quæ, licet a circumstantiis præcisæ, indifferentes, & honestæ sepe sint; spectatis tamen circumstantiis, aliorum peccatis cooperantur.*

I. **U**T quæstiunculæ infra resolvendæ clarius, & facilius percipiantur, præmittenda primum omnium est propositio ab Innocentio XI. damnata, quæ est sequentis tenoris, & ordine 51. *Famulus qui submissis humeris scienter adiuvat berum suum ascendere per fenestram ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deserendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspi-ciatur, ne domo expellatur.* Hanc propositionem docuit Castropalaus *tract. vi. disp. vi. punct. 11. n. 5.* his verbis. „ Si indifferentia proximiora peccato subministras, & „ aliam causam graviolem honestandi admistrationem expostulo, qualis esset, si „ pater torvis oculis te aspiceret, & time- „ res male tractari; vel si dominus a domo „ sua te expelleret, & expulsus cogereris „ men-

„ mendicare, vel penuriam pati, præcipue „ cum non ita facile alium dominum invenias qui similia, & peiora ministeria non „ petat; vel, si in eius domo te sustinet, id „ fit te obiurgando, & increpando, vel debita mercede infraudando. Si enim aliquod „ ex his damnis tibi provenit, eo quod non „ ministres actiones indifferentes de se, & „ pravo usui ex malitia domini deservientes, „ poteris illa ministrare: quia tunc non censuris peccato illius cooperari, sed potius „ permittere. Unde licet tibi, tali urgente „ occasione presso, concubinum portare, signare locum domino ubi sit. Item dicere „ concubinæ: Dominus meus dicit ut illum „ hac nocte expectes, vel eum videas. Item „ domino ascendere volenti per fenestram ad „ rem habendam cum femina, poteris pedem sustinere, scalam apponere: quia „ sunt actiones de se indifferentes, & ita „ tradit Navarrus. „ Hactenus P. Castropalaus, qui pro sua sententia laudat præter Navarrum, negantem licitum esse locare domum meretricibus, ut vidimus, Sanchez, Azorium, & alios. Verba Palai transcribere volui, ut hinc colligatur P. Dominicus Viva in expositione præfatæ thesibus minus attentè legisse Palaum, dum *num. 3.* scribit, talem opinionem a Palao non doceri, eo quod Palaus addat, quod famulus exclusus cogere mendicare, aut penuriam pati; quod in hac thesi non proscritur explicite, concludit P. Viva. Verum P. Castropalaus præter mendicitatem addit increpationem, & obiurgationem solam causam esse sufficientem adiuvandi herum ad virginem stuprandum: vel, si in eius domo te sustinet, id fit te obiurgando, & increpando. Addit aliam causam, nempe, vel debita mercede infraudando. Hæc sunt duo momenta, præter mendicitatem, aut penuriam, quæ Palaus assignat. Idcirco autem ostendo P. Castropalaum thesim proscriptam docuisse, ut cautius lectores eundem legant, sibi que a damnata doctrina caveant. Doctrinam Castropalai exscribit P. Antoninus Diana, & de more adoptat *Tom. VII. coord. tract. v. ref. 46.*

II. P. Salmanticenses hanc referunt thesim, quam impugnata a Diana falso asserunt, eamque explicant *tract. xxi. cap. viii. punct. 5. num. 74.* ubi in examen inducunt illam particulam *aperiendo ianuam*, illamque sic interpretantur. Si famulus fores infringat, aut aliqua clavi ianuam aperiat, peccat, quia hoc in sensu illa clausula proscripta est. Si vero aperiat ianuam, ut concubina in do-

mum heri ingrediatur, immunem ab omni culpa famulum aiunt. Hæc interpretatio commentitia videtur, & omni destituta ratione. Et primo, cum clausula absoluta sit de apertione ianuæ, quo fundamento asseritur intelligendam esse de apertione vi, vel clavi aliqua peracta? Ubi sunt coniecturæ istius interpretationis? Ex contextu propositionis oppositum colligitur. *Aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando.* Tò quid simile &c. amplificat clausulam illam, non restringit ad apertionem violentam; sed potius ad quamcumque apertionem, vel ad quid simile extendit. Sive ergo aperiat ianuam vi, aut communi via, sive quid simile præstet, puta si eam comitetur in domum heri, dubio procul peccat.

III. Quid significet altera clausula, *metu notabilis detrimenti*, explicandum remanet. Occurrit etiam difficultas, sintne recentior famuli actiones licitæ, maximi damni, mutilationis, aut mortis metu. Thomas Sanchez, quidquid in oppositum indicare videatur P. Viva, defendit, famulum posse recensitas omnes actiones præstare ob metum alicuius magni damni. *Cum hæc omnia ministeria* (inquit Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. vii. num. 30.*) *peccato valde connexa sint, ea non excusat ratio famulatus.* Deinde post pauca subdit: *Tandem omnia hucusque ministeria dicta multo facilius excusantur in servis, utpote qui maiori necessitate domino inserviendi ascripti sunt, nec illum deserere possunt.* Quare & Auctor iste propositionem damnatam reipsa docet. P. Dominicus Viva nec unum designat Auctorem istius thesibus; sed tantum dicit *num. 3. Quibus verbis* (damnatæ thesibus) *videntur locuti nonnulli apud Dianam.* Videntur locuti nonnulli? Neminem ergo legis qui aperte eam doceat? Lectoribus suis haud valet consulere a quibus libris cavere debeant? At consulam ipse, non ut Auctoribus illis aliquam notam impingam, quod absit (bona enim fide, & intentione, quæ sibi probabilia apparebant, scriptis prodiderunt) sed ut periculo errandi lectores subducam. Præter ergo Castropalaum, Dianam, Sanchez, tamen iste paulo cautius loquatur, P. Thomas Tamburinus damnatam thesim docet *Lib. V. in Decal. cap. i. §. 4. num. 18.* & 19. cuius hæc sunt verba. „ Subditus non ex sola famulatus „ ratione, sed metu notabilis detrimenti, „ quale esset, si quis timeret ne dominum „ hunc deserens, cogatur alium cum sua „ molestia, & damno quærere, ne a domi-

„no male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne e domo cum suo detrimento expellatur, excusabitur, si referat adulteræ, vel inimico, ut tali hora ad domum heri, vel ad conductum locum, accedat; si iussu heri insequatur puellam, visurus, vel requisiturus ubi ea habitet, & nihil aliud; si iussu eiusdem non aperiat modo ianuam, sed doceat ubi herus sit; si dominum adiuvet ad ascendendum per fenestram, quo ingrediatur in locum ubi peccaturus sit. Tamburinus non modo aperire ianuam concedit, ut in proscrip̃ta thesi habetur, sed peiora quoque ibidem a Tamburino indicantur, ut infra videbimus.

IV. Nomine ergo detrimenti, vi cuius præfata ministeria, & obsequia præstari a famulo licite posse arbitrabantur iuniores, intelligunt torvum domini aspectum, increpationem, expulsionem e domo, molestantiam reperiendi alium dominum. Post damnatam thesim in examen vocant, num saltem metus mutilationis, aut mortis factis sit famulo ut ministerium præstet adiuvandi dominum ad ingrediendam meretricis, vel virginis stuprandæ fenestram. Si iuniorum principia spectemus, res plana est. Contendunt enim illi eiusmodi actiones indifferentes manere etiam in actuali exercitio; atque adeo gravem metum, & potissimum mortis, sufficere ut quis eas licite exequi valeat. Salmanticenses loc. cit. num. 75. & P. Dominicus Viva fatentur eiusmodi actiones esse intrinsecus malas; quamvis Cardenas in commentariis præfata propositionis dubitet: quapropter consulendam esse Apostolicam Sedem suggerit; interim tamen securiorem partem eligendam docet. Opinio indicata communis est, nimirum recensitas actiones omnibus circumstantiis obstitas natura sua malas esse. Utique si physice, vel metaphysice spectentur, indifferentes sunt. Sed Theologus eas considerat ut practicas, & ut reipsa omnibus circumstantiis subiacent. Porro moralis natura, ut sic loquar, istarum actionum mala est, & vitiosa. Quo posito, omnes fatentur neque mortis, aut cuiusque tormenti metu posse ad executionem redigi. Quod enim natura sua, & intrinsecus malum est, nulla valet ratione honestari, ut cum D. Thoma 2. 2. quæst. cx. art. 3. Theologi omnes docent. Nullo ergo metu sive mutilationis, sive mortis, scalam tenere, vel simili modo adiuvare herum famulus valet, ut ascendat ad peccandum.

V. Obiicies. Potest quis metu mortis commitari latronem, eumque adiuvare ad furandum absque culpa; & tamen furtum est intrinsecus malum. Quidni ergo & famulus adiuvare herum poterit ad fornicandum? Respond. Pater Magister Milante exerc. 28. hoc pacto huic argumento responderet. *Ut quid aliena rapere, aut debitum non restituere malum est, & quidem ab intrinseco, & contra legem nature? Proculdubio ex eo solum quia dominus, vel creditor inuitus patitur malum, hinc eiusdem ius leditur. At in casu præfato dominus, & creditor inuiti non forent &c. . . . cui proinde nulla irrogaretur iniuria ab eo qui ex præfato gravi metu cooperaretur furio . . . Quapropter, ut Theologi de schola loquuntur, sic cooperans non concurreret ad damnum formale proximi, neque formaliter illum lederet, sed tantummodo materialiter. Ex hac doctrina inferitur, furtum ex præsumpto domini consensu in cooperationem servi adiuvantis dominum furantem, opus indifferens evadere. Et hac ratione posset famulus ianuam infringere, scrinia referare, ut auxilium præberet furi ad pecunias furtiendas: quod forte nec Pater Milante concessurus est.*

VI. Salmanticenses Tom. III. tract. XIII. n. 127. docuerunt recensitas actiones esse indifferentes; at tract. XXI. cap. VIII. punct. 5. §. 2. n. 7. hæc scribunt. „Sed nunc ex professo rem examinantes, asserimus hæc omnia illicita esse, etiam urgente periculo mutilationis, aut mortis. Et ratio est, quia quod est intrinsece malum, nullo modo . . . honestari potest, etiam si ad sit periculum mortis. Sed adiuvare dominum humeros supponendo, vel deferendo scalam ad virginem stuprandam &c. hic & nunc est intrinsece malum, & nullo modo indifferens, sicut committi latronem, ut eum defendat, vel ut ad furandum aliquis adiuvet, esse intrinsece malum docuimus &c. Ergo non licet etiam metu mortis huiusmodi actiones exercere. Eadem ergo ratione peccat qui auxilium præbet & fornicatori, & furi; cum tam furtum quam fornicatio sint opera natura sua mala. Momentosam rationem assignant perdocti Salmanticenses illi qui post damnatas theses, Cursum theologicum continuaverunt, quique in pluribus quæ antecessores scripsere iuxta temporum conditionem, ad optimum sensum revocarunt opportunitate data. Doctrina porro quam ipsi ceu regulam in hac materia servandam proponunt, solida

da est, atque a D. Thoma, ceterisque gravioribus Theologis approbata. Tunc cooperatio ad aliquod opus non est intrinsecus mala, quando principalis causa bene, aut male exequi opus istud valet; ita ut malus usus ex sola agentis malitia oriatur. Qua de causa petere mutuum ab usurario, iuramentum ab Ethnico, sacramenta a ministro indigno possumus, quin eorum malitiæ cooperemur, quod eiusmodi actiones sancte præstari queant, solaque iniquitate ministrorum malitiam contrahant. Secus in fornicatione accidit, & in furto: quia nec fur furari, nec impudicus fornicari licite unquam potest. Idcirco qui ad eiusmodi opera auxilium præbent, cooperantur actionibus intrinsece malis; atque adeo nullus metus demalitia purgare cooperationem in eisdem valet.

VII. Quæst. I. *Licetum ne est nautis, & aurigis deferre herum in domum concubinae, aut contra concubinam in domum heri?* Resp. Pater Antoninus Diana Tom. VII. coord. tract. v. resol. 42. Hic casus, inquit, frequenter accidit: & cum Merola affirmantem opinionem defendit. Cur? Quia adest causa non amittendi lucrum, quod eo ministerio comparant servitores. Næ egregiam rationem! Hæc opinio continetur in thesi proscrip̃ta. Quod ut clarius pateat, explicanda est altera damnata thesis particula, *Aut quid simile cooperando.* In hac particula clauantur omnes actiones, inquit etiam P. Cardenas dissert. xxxi. n. 10. quæ reapse adiuvant ad exequendam luxuriam, quamvis abstractæ ab illis circumstantiis sint indifferentes. Tales sunt deferre scienter concubinam ad domum heri, vel contra, ad effectum luxuriæ; sive famuli deferant curra, cymba, sella gestatoria, aut etiam comitendo: item deferre litteras amatorias, vocare concubinam in domum heri, & id genus similes cooperationes: quia hæ actiones reipsa adiuvant herum ad luxuriam executionem. Patritius Sporerius tract. v. in 5. præcep. Decal. cap. 1. sect. 3. n. 99. hæc, & similes actiones ut licitas concedit: quia eius Doctores, Tamburinus, Diana, Castropalaus, alique eas permittunt. Ideo caute legendus est Auctor iste.

VIII. Quæst. II. *An, si amicus meus velit ut ego feram munuscula, & similia, turpis scilicet amoris incitamenta, que ipse mittit ad suam concubinam, possim ego sine peccato deferre?* Resp. Totidem verbis hæc quæstionculam proponit P. Thomas Tam-

burinus Lib. V. in Decal. cap. 1. §. 4. n. 20. Audi eiusdem responsum. „Responso fuit absolute negativa: quia ex una parte hæc actio, licet alias indifferens, est coniuncta cum peccato amici, eiusque concubinae; & ex alia parte non adest causa excusans, ducta ex famulatu, vel alio detrimento, ut supponimus. *Nec enim, si adest quidam modicus rubor, videtur esse regulariter tanti momenti, ut satis excuset.* Viden' quam peracute iuniores nostri humanæ amicitia lædenda scrutati sunt? Modicus genarum rubor ob denegatum amico obsequium regulariter satis non est ut munuscula ad incitandam venerem deferre concubinae valeas. Sed quid, si rubor non esset modicus? Quid si amittendæ amicitia periculum immineret? Fateor tamen (subdit Tamburinus) si tibi magni esset huiusmodi amicitia, ac vere timeres eam amittere, excusari te posse: quia tunc notabilis iustus nocenti metas accedit. Callebat Tamburinus quanti sit facienda amicorum benevolentia: idcirco subdit maiora etiam pro amico simili incommoda subire te licite posse, ut in re obscena peragenda suppetias feras. Sic enim scribere pergit. *Simile quid erit, si a te amicus petat ut cubiculum ei accomodes, in quo scis eum fornicaturum: nisi enim notabilis necessitas te excuset, peccabis, si illum morem geras: ita Sanchez: & notabiliorem quidem posco, si in tuo cubiculo securius, & confidentius sit amicus peccaturus, ob rationem modo dictam in associatione, atque eodem modo philosophare (philosophare utique, non evangelizare) in ceteris similibus, ubi ratio famulatus, & obsequii non invenitur.* Ratio famulatus hæc omnia excusat, ut antea scripserat ibidem num. 18. Si famulus non sis, sed amicus, requiritur rubor non modicus, aut periculum dissolvendæ amicitia. Si tamen tuum proprium cubiculum accommodare amico debeas, ut in eodem securius & confidentius fornicetur, notabiliorem poscit causam, ut esset, si ex amico inimicus fieret. Compara hæc cum Christi Evangelio dicente: *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam &c.* Deinde de doctrina istius Theologi, mea sententia, proscrip̃ta, iudicium ferto.

IX. Quæst. III. *Qui ex officio læticas humeris portant, vel rhedas agunt, possunt ne licite pretio conducti puellam ad lascivum adolescentem adducere?* Resp. Quæstio exposita est P. Tamburini loc. cit. num. 30. cui sic respondet. *Aio non posse: quia id nec excusat*

cusat ratio famulatus, hi enim famuli, seu subditi non sunt; nec amissio lucri, quia hoc est satis exiguum. His tamen nihil obstantibus, post acre iuniorum studium, quid tantam benignioris probabilitatis expiscatus est, ut his quoque baiulis potestatem faciat deferendi præfatam puellam ad suum amatum. Audi ipsum Tamburinum statim hæc subdentem. „Habeo tamen unum apud Navarrum, ex quo aliquid benignius colligi probabiliter potest. Ex his (inquit ille unus) videtur colligi ratio defendendi multos a peccato saltem mortifero, modo, ut in casu proposito, non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem, puta eo quod exhibeat ea officii sui causa, vel ob iustam mercedem. Licet enim hæc officia, & obsequia sint valde coniuncta cum peccato, non tamen sunt secundum se, & sua parte natura peccata: & ideo seungi possunt a peccato per finem diversum, & seium. Etum. Hæc ille. Nota illud (concludit Tamburinus) officii, vel ob iustam mercedem.“ Hæc duo sunt momenta tantæ sententiæ, quam, præter illum unum, sequitur etiam, eodem Tamburino teste, Merola, & Diana. Tandem monet Tamburinus eiusmodi baiulos, & vectores, ne sint adeo religiosi, idest scrupulosi in similibus casibus: alioquin valde in lucro lædentur. Si hi vectores, seu baiuli, adeo sint religiosi, ut nolint se, suasque operas locare in eiusmodi venerationibus, facile in suo lucro notabiliter lædentur. Vin' quid benignius? Longius tamen a Christiano abeat eiusmodi Benignismus.

X. Quæst. IV. Peccat ne qui alteri occasionem peccandi præbet, puta uxori, ut in adulterio perpetrato deprehendi possit? Resp. Negat Layman Lib. II. tract. III. cap. XIII. num. 5. Petrus Navarra de restitut. cap. ult. num. 104. Diana loc. cit. resol. 41. & Tamburinus Lib. V. cap. I. §. 4. Hæc opinio minus probabilis est; immo contraria sustineri omnino debet. Ratio clara. Quia mala faciendæ non sunt, ut bona inde proveniant. Qui præbet adulterandi occasionem, influit in adulterium; nec finis deprehendendæ adulteræ in actuali delicto satis est ad purgandam actionem intrinsicè malam. Licita tamen e contrario est sola permissio: puta maritus nullo modo impedire valet uxoris adulterium, tunc videtur se permissivè habere posse, ut deprehensa in actuali delicto respiciat. Quamvis enim non sint fa-

cienda mala, ut eveniant bona; permitti tamen in hunc finem mala possunt. Et hæc ratione pater permittere potest furtum filii, ut deprehensus emendetur.

XI. Quæst. V. Licetum ne est deferre litteras amatorias, turpia continentem, concubina; vel eas scribere, aut librum provocantem ad duellum? Resp. P. Ferdinandus Castropalaus huic quæstioni hoc præbet responsum. „Hæc scribere, vel deferre non videtur intrinsece mala, si absit a te malus finis. Turpia enim verba scribi possunt sicut scribunt Doctores ad ponderandam malitiam illorum qui ea ex malo fine proferunt: possuntque scribi, & dici non tamquam ex proprio Marte, sed ex alieno: item non serio, sed irrisorie. Ergo scribere hæc verba turpia de se non est intrinsece malum: quia solum sunt turpia, & mala, quatenus a pravo animo procedunt, & in pravum finem diriguntur. Ergo secluso hoc animo, & hoc pravo fine, mala esse non videntur: & a fortiori neque erit intrinsece malum scripta illa deferre ad concubinam: potes enim illa deferre, non ut moveatur ad coitum, sed ut illa irrideat, & comburat. Ergo illa actio deferendi, quatenus a te procedit, bono usui deservire potest: & idem esse videtur de scriptis ad duellum provocantibus. Et ideo Emmanuel Sa verb. Peccatum num. 9. excusat famulos has litteras amatorias deferentes. . . Hæc sub dubitatione dicta sint.“ Tract. VI. disp. VI. punct. II. numer. 7. Diana loc. cit. resol. 45. refert Merolam absolute hanc sententiam docuisse, in aliquo extremæ necessitatis casu licitum esse famulis deferre ad concubinam has litteras amatorias turpia continentem. Immo addit Diana hanc opinionem probabilem, quantum ad delationem litterarum, reputari ab Hurtado de Mendoza, qui contendit eadem opinioni favere quoque P. Thomam Sanchez, immo & ipsum Azorium, Diana teste, qui istorum Auctorum de more verba transcribit in confirmationem præfatæ opinionis, quam minime ille improbat. Hæc opinio adeo laxa est ut consutatione non egeat.

XII. Quæst. VI. Licetum ne est meretricibus inservire, eas comitari ad domum amasii, aut ianuam amasio adeunti scortum aperire, lectum sternere, idque genus obsequia prestare? Resp. Recentiores nec in disputationem vocant, num famuli, vel ancillæ inservire meretricibus licite valeant. Obsequia dumtaxat quæ præstare licite possint, sub

examen

examen inducunt. Priusquam meam sententiam promo, quæ docent iuniores, paucis perstringam. Layman Lib. II. tract. III. cap. XIII. numer. 5. concedit fas esse famulo concubinam intronittere per ianuam heri, cum quo peccatura est, facem præferre, lectum sternere; negat tamen licitum esse meretricem, tametsi paratam, e propria illius domo educere, & ad domum heri per plateas comitari. Merola disp. II. cap. IV. Sanchez Lib. I. in Decal. cap. VII. num. 25. hæc omnia licita asserunt. Illam tamen curru, aut sella deferre non permittunt ob solam rationem famulatus, nisi aliud detrimentum impendat. Alii super hoc dubitanter loqui videntur. Verum ego (inquit Diana loc. cit. resol. 47.) sententiam Sanchez, & Merole probabilem esse puto, & invenio Castropalaum Tom. II. tract. VI. disp. VI. punct. II. num. 5. sine illa limitatione, sed absolute docere, famulum licite posse, imminente gravi, & proportionato damno, concubinam portare in domum heri.

XIII. P. Thomas Tamburinus Lib. V. in Decal. cap. I. §. 4. num. 18. verb. Cooperatio famuli non solum recensita obsequia, sed plura alia addit quæ a famulis, & ancillis aut ob solam famulatus rationem, aut ob notabile aliquod detrimentum præstari licite defendit.

XIV. Patritius Sporer tract. V. in Decal. cap. I. sect. 3. num. 99. verb. Famuli, & ancilla recenset fere omnia obsequia quorum meminerunt Castropalaus, Tamburinus, Diana, Sanchez, alique, quos suos vocat, & cum eisdem licita esse propugnat. Refert propositionem damnatam, cui subscribit, sed lectores suos iterum remittit ad Dianam, & Sanchez. Vide de his plura, & curiosa apud Dianam, & Sanchez. Legelis eos qui propositionem proscriptam, vel similes, quin & peiores docuerunt opiniones? Hæc ideo animadverto, ut lectores minus cautos periculo errandi subducam.

XV. Caramuel in sua Theolog. præterintentionali Tom. II. præcept. VI. quæst. VIII. cas. 2. plura scribit quæ a solo Caramuele, eiusque affectis vulgari possunt. Nonnulla delibabo. Cur? Ut in lectoribus meis duo excitent animi sensa (quod ad ravim usque repetere iuvat.) Alterum commiserationis erga similes Auctores, quorum intentionem piam succurrendi humanæ infirmitati suspicere debemus: alterum horrois, & detestationis in eorumdem laxitates. Audi ergo Caramuelem sic fantem. Rem ego conclusionibus aliquot explanabo.

„Prima. Possunt famuli tuta conscientia, meretricis aut pellicis mensæ ministrare, cibos non solum communes, sed & calidos, & provocantes ad venerem condire, & lectum privatum sternere.“ Num. 2974. laudat pro hac sua opinione Azorium, & Dianam. Hæc deinceps addit. „Consulto non solum cibos communes dixi, quia scio esse omnino maiorem difficultatem, si essent tales qui excitarent venerem; tunc enim iuxta aliquos Theologos deberent famuli a tali servitio desistere, ne in venerem illicitam cooperarentur indirecte. At prudentiores credimus etiam tales cibos posse sine culpa condire.“ Prudentia hæc carnalis est, & animalis.

„Secunda. Possunt lectum domino, & amasii communem sternere citra culpam venialem, consono Azorio & Diana allegatis.

„Tertia. Non esset peccatum mortale, domino, & pellici, alias rem habituris, aut lectum procurare hospitio, aut parare meliorem solito, aut floribus fulcire. Ratio est, quia aliud est fornicari; aliud maiorem in ipsa fornicatione habere delectationem in genere luxuriæ; aliud, & omnino diversum, habere maiorem requiem in genere commoditatis. Sane hanc ultimam domino, etiam fornicaturo, procurare, malum non est. En quo se extendunt eiusmodi casuistica, vanæque argutiæ, atque propudiosæ distinctiones. Vilesceret oratio, si in eis repellendis vel verbulum infumerem.

„Quarta. Non est peccatum conducere pellicem in domum sui domini, tametsi eam peccaturam prævideas.“

XVI. Plurima alia prætereo, ne oculos, auresque lectorum offendam. Ex his collige, minime fidem esse quibusdam Casuistis adhibendam, neque illis qui post damnatas propositiones scripserunt, quoties doctrinam illorum amplectuntur qui principia damnatarum thesium docuere, teque ad hos Auctores remittunt, ut non raro facit Patritius Sporer, discipulus Dianæ, Tamburini, Sanchez, Castropalai, aliorumque, quos suos appellat magistros. His prælibatis, propositæ quæstioni respondeo.

XVII. Famuli, & ancillæ non solum nequeunt licite ianuam aperire amasio ingredienti ad fornicandum cum sua pellice, quæ actio vetita in damnata propositione est; sed neque adducere eam in heri domum, facem præferre, illamque comitari, lectum sternere,



re. Non solum reiicio omnia præfata obsequia; sed dico nullo modo licitum esse famulari, aut inservire meretrici. Dico in statu esse peccati, & absolutione indignas feminas, sive puellas illas quæ meretricibus inserviunt. Dico recedendum illis esse a tali servitio. Hoc nos docent Scripturæ sanctæ adeo expresse, ut nihil luculentius desiderari possit. *Recedite a tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Num. xvi. Item Iosue cap. xxi. *Per hanc occasionem advertent filii vestri filios nostros a timore Domini.* Item Eccles. vii. *Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Clamat Isaias Propheta cap. lxi. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius.* Vocem exaltat Ieremias cap. xlviii. *Fugite, & salvate animas vestras.* Item cap. li. *Fugite de medio Babylonis.* Tandem Evangelista Matthæus cap. v. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te... & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te.* Idem docent alii Evangelistæ, & in Apocal. cap. xviii. scribit Ioannes: *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Ex quibus hanc conficio argumentationem. Malorum consortium declinandum Deus iubet. Dicant nobis Casuistæ recentiores, qui exhibita meretricibus servitium licitum docent, utrum aliquis sit locus lupanari peior; num societas scelestior, & turpior sit meretricum societate? A tabernaculis impiorum recedendum præcipit Deus: & licitum erit scortorum tabernaculis inhabitare? licitum erit eidem inservire, famulari? Cui nam Christianorum, quibus lumen splendet Evangelii, in mentem venisset, licitum esse eiusmodi famulatum, nisi Probabilistarum sistemata distinctiunculis, & præcisionibus metaphisicis honestatis colorem eidem adpersissent? Aut negent oportet præfatos textus, aut ostendant nobis aliam societatem, commercium, inhabitationem, tabernacula, contubernia, quæ vitanda textus sancti verbis adeo conceptis imperant. Si oculus eruendum, & præcidendam manum dexteram, quæ nobis offendiculo sit, Deus edicit; an ne in domibus meretricum permanendum nobis indulget? Quid reponis? Ancillas famulari meretricibus, non qua meretricibus, sed qua mulieribus? Eisdem inservire, non in meretricio, sed in rebus physicis, & indifferentibus, ut est cibos coquere, domum verere, lectura parare,

in egressu comitari, ceteraque id genus? Sit ita. At dum hæc præstant ancillæ, numquid non habitant in medio Babylonis, in tabernaculis impiorum, in domibus scortorum? Ne multa. Adeo mihi verum est, nullo modo licitum esse feminis quibuscumque meretricibus inservire, & eorum domibus inhabitare, ut contrariam Probabilistarum opinionem, tanquam improbabilem penitus, reiiciam. Sed quem Theologum in huius tuæ sententiæ munimen allegas? Quem? Deum ipsum, qui clara suorum Prophetarum, Evangelistarumque voce hanc nos docet veritatem, quæ etiam ipso nature lumine comperta est. Natura, inquam, ipsa nos docet declinare a malo, & mali periculo. Quod vero graviter periculum impendere eiusmodi scortorum ancillis potest? Si enim iuvenes sunt, castitatem ne in lupanari custodiant? Si vetula, lenæ, & proxenetæ evadunt.

XVIII. Quæst. VII. *Quid de famulis concubinariorum dicendum;* Resp. Si concubinari in domo propria pellicem detineant, eadem de istorum famulis, ac de scortorum ancillis, est ratio. Si fornicatores extra domum propriam concubinam alant, nullumque in istorum familia sit continuum scandalum, possunt famuli istis inservire in iis omnibus quæ ad rem meretriciam minime pertinent; sed quæ communia, & indifferentia obsequia, dominis ceteris præstari solita, spectant. Nequeunt tamen famuli isti herum ad domum meretricis velere, aut meretricem in eiusdem domum ducere; nihil denique conferre in id quod proxime influit in concubinatum. Ratio discriminis famulorum huiusmodi ab ancillis meretricum est, quod professio meretricum turpissima est, & infamis: neque enim alia negotiatio ibi sit præter proprii corporis quæstum, & ad flagitia perpetranda semper ianua patet, animusque præstoadest. Contra, licet aliquis concubinam extra domum habeat, sitque in statu peccati, familia tamen eius honesta esse potest, scandalis vacua, honestamque professionem exercere valet. Quare famuli in his quæ ad familiæ ministeria, & civilis professionis exercitia spectant, servitium præstare licite possunt. Quamquam tamen hæc vera absolute esse existimem; in praxi tamen consulendi sunt eiusmodi famuli, ut alium dominum quarant; immo cogendi sunt, si ex circumstantiis colligitur eos dominorum moribus inquinari. Oppido difficile est ut boni sint famuli, si heri scelesti fuerint: id nihilominus quandoque accidit. Ideo circumstantiæ spe-

ctan-

standæ sunt; sed communiter loquendo noli commorari in medio malorum, immo illorum contubernium pro viribus fuge.

XIX. Quæst. VIII. *Licitum ne est commodare alicui cubiculum ad fornicandum?* Resp. Huic quæstioni respondet P. D. Antoninus Diana *resol.* 48. affirmative. Illius verba dedimus cap. i. nunc illius opinionem reiicimus tamquam nimium laxam. Si enim non licet ex definitione Ecclesiæ adiuvere herum ingredientem per fenestram cubiculi, in quo est concubina, neque *aperire ianuam*, ut cum eadem fornicetur; qua ratione licitum erit commodare cubiculum in quo flagitium fornicationis sit perpetrandum? Quid quod iuxta communem prudentum existimationem infamiae labem non evaderet ille qui in propria honesta domo cubiculum concederet ad fornicandum, & in sua domo lupanari erigeret? Et tamen audi Dianam. *Vir nobilissimus instanter ab amico domum eius ad meretricandam petebat; & si hoc illi denegasset, in gravissimum damnum incidebat. Consuluit, an peccaret hoc faciendo? Ex respondi negative. Quia... commodare cubiculum ex obiecto non est intrinsece malum.* Saltem illius amici famæ, sin illius animæ, consulendum fuit. En Probabilissimum non solum æternæ salutis, sed civilis quoque honoris, & famæ infestum. Opinio hæc præter falsitatem, horrorem quoque incutit: unde execrationem integram promeretur.

XX. Quæst. IX. *Licitum ne est donare iudicis concubina, ut intercedat apud illum?* R. Adfirmat P. Antoninus Diana *resol.* 50. ubi citat P. Castropalaum. Sed falsa est, & omnino improbabilis sententia isthæc. Peccaret quippe donator iste, quia concubinam exponeret gravissimo periculo peccandi, dum pergeret ad colloquendum iudicem, qui similiter eidem periculo obnoxius foret. Huic sententiæ accedit etiam Sanchez *Lib. I. cap. vii. num. 38.*

XXI. Quæst. X. *Utrum pingens concubinam amasio, vel obscenas imagines, grave perpetret peccatum scandalum?* Resp. Convenit penes omnes illicitum hoc esse, absolute loquendo. Dissident vero, num in aliquo casu id liceat. Patritius Sporer *tract. v. in v. præcap. Decal. cap. i. sec. 3. num. 93.* refert suum Tamburinum, Dianam, aliosque iuniores docentes posse pictorem concubinae imaginem amasio pingere, gravissimæ necessitatis causa, puta metu mortis, mutilationis, & alterius simili mali. Quam opinionem defendunt quoque Salmanticenses *tract. xxi. cap. viii.*

*punct. 5. num. 63.* ubi laudant Azorium, Sanchez, Castropalaum, Bonacinum, & alios. Loquuntur autem in eo sensu in quo pictor sciat se pingere concubinae imaginem illius amasio, quem probabiliter prævidet abusurum eadem fore ad venerem sibi incitandam. Illorum ratio est quod pingere imaginem feminæ est res absolute indifferens, cuius bonus, vel malus usus ex probitate, vel malitia utentis pendet. Quæ doctrina, si semper in omnibus circumstantiis vera esset, nullum fere esset scandalum indirectum. Utique indifferens est pingere feminæ imaginem, quemadmodum indifferens est adiuvere hominem ad ingrediendam fenestram. Sed quæstio nunc est, utrum liceat pingere imaginem concubinae suo amasio, quem scis eadem abusurum ad fovendam libidinem. Porro hoc non est minus in his circumstantiis intrinsecus malum quam sit adiuvere herum ingredientem fenestram ad fornicandum. Hoc secundum nullo in casu licitum est, etiam ad evitandam mortem: ergo neque primum. Hæc opinio nobis probabilior est.

XXII. Secunda pars vix vocatur in controversiam. Picturæ obscenæ eæ communiter dicuntur quæ ad turpia excitant, cuiusmodi sunt feminae nudæ, Adonides pudendis resectis, vel turpes actus, & congressus referentes. P. Patritius Sporerius *loc. cit. num. 92.* refert suum Tamburinum cum aliis iunioribus docentem, posse licite pictorem pingere valde turpia, & obscena semel, aut iterum, si tanta esse pictoris necessitas, ut eo lucro indigeret ad victum, vestitum, vel eiusmodi quid necessarium, donec alia victus ratio occurrat; dummodo absit periculum mortale impuræ delectationis. Hæc opinio est plusquam laxa & scandali plena. Secundum omnes veros Theologos pingere turpia, vel obscena repræsentare est peccatum mortale. Licitum ergo erit secundum hos iuniores peccare semel, aut iterum, ad victum, vel vestitum comparandum? Istuc sane recidit istorum doctrina, videlicet quod necessitas victus, vel vestitus comparandi licitum constituat id quod natura sua scandalo plenum est, & criminofum: quod quam sit erroneum, nemo non videt. En quomodo isti Auctores licitas efficiant comedias obscenas, & lascivas picturas. Nam unica hitrionum, & pictorum excusatio est necessitas victus, & vestitus acquirendi. Quæ ratione admitta, licitum erit eis similia parare scandala. Nec refert, si aliquo velo ita tenui, & diaphano operiantur; ut aliqua

qua occultiori vi promoveant. Possunt enim esse tecta pudenda, & nihilofcius non abesse scandalum: puta, si amafius, & amafia simul pingentur tali positura, ut turpem mutuum amorem, & complexus exprimerent, inter obscenas profecto, & offendiculum obicentibus imagines reponenda hæc esset. Adfirmant ergo communiter Theologi peccare mortaliter pictores qui hæc veneris, immo diaboli simulacra depingunt; eosque item qui palam publicoque conspectui illa exponunt. Animadvertendum tamen, quod non qualibet corporis nuditas scandalum pariat. *Afferimus tamen* (inquit Salmanticensis loc. cit. num. 64.) *quod si non sint totaliter nude, & alias pudenda occultentur, non erit letale ad artis ostensionem eas pingere, aut sculpere, & ad ostentationem, & ornatum conservare.* Pro hac opinione laudant Dianam, Turrianum, & alios.

XXIII. Hæc doctrina mihi non probatur. Ostensum supra est, peccare mulieres nudis uberibus & humeris incedentes. Uti que plus movet exemplar vivum quam mortuum. Hinc tamen minime consequitur, imagines mortuas, & insensibiles non movere ad venerem; tamen minori efficacia quam corpora ipsa viva. Porro imago puellæ venustæ vultu, mamillis, totoque nudo corpore vividis coloribus expresso suapte natura ad venerem incitat. Sed pudenda oblecta sunt. Quid inde? Non raro plus movet imago hæc tectis quam relectis pudendis. Nuditas ista stomachum commovere etiam solet, & indignationem, utpote pudori naturali adversa. Sed esto imaginem nudatis pudendis maiori quadam vi venerem accendere; inde tamen non infertur hac sola nuditate ablata, immunem a scandalo imaginem esse. Dum cetera corporis membra nuda sunt, & exquisito artificio expressa, undique spectatores alliciuntur, oculorum aciem attente defigunt, per universum corpus discurrunt, usque dum ad pudenda pervenerint: tunc enim in tegumento illo oculorum cursum sistunt, & quod arcanum est, mente scrutantur. Et quia occulta magis appetuntur, magis quoque movere solent, si cetera adsint. Occultatio illa pudendorum ex adiecta universi corporis nuditate, cum horrorem non præferat, & verecundiam non adeo ledat, efficacius titillare solet quam ipsa nudata pudenda, quæ, ut dixi, nauseam aliquando ingerere solent, & designationem. Quare probabile nullo modo cenleo, licitum esse venores istas vel pingere, vel palam ex-

positas tenere, tamen si pudenda occultata sint.

XXIV. Nulla ergo nuditas in simulacris, in imaginibus licita erit? Hic aqua hæret. Quod mihi verosimilius videtur, dicam. Quæ nuditas licita est feminis, hominibusque, dum vivunt, eadem præter propter licita est eorumdem imaginibus. Regula præcisa statui nequit, sed christiana prudentia opus est.

XXV. Quæst. II. *Quid agendum illis qui imagines obscenas palam in domibus expositas habent?* Resp. Difficillima mihi est quæstio isthæc. Vereor ne ad extrema impingam. Omnes adfirmant operiendas esse. Neminem tamen legi qui presse rem discutiat. P. Antoninus Diana Tract. v. Tom. VII. coord. resol. 63. hæc scribit. *Retinentes autem diætas imagines palam, & in publico, puto etiam peccare mortaliter, nisi illas retineant ornatus causa, cum aliquo velo cooperias, ita ut facile non possit amoveri.* Similia docent alii Probabilistæ, quæ minime satisfaciunt. Siquidem omnes fatentur, venerem nudam pingere peccatum esse mortale, ipsamque imaginem scandali plenam asserunt. Quoposito, licitum ne erit scandalum fervare velo tectum? Pestem retinere in cubiculo clausam? Scandalum ipsum tollendum, simulacrum frangendum, comminuendumque est. Mea ergo sententia satis haud est obscenas, turpesque imagines velis operire, vel intra cubiculum clausas retinere. Quia hoc nil aliud est quam idola veneris sub velis adorare, altoque habere in pretio. Tectæ imagines, inquis, nemini obsunt. Quid ergo illa servas? Ornatus causa, respondet Diana cum suis iunioribus. At si tectæ sunt, non maiorem præferunt ornamentum formam quam paries, seu velum quod illas operit. Non sic res se habet, inquit: nam licet, usquedum tectæ remanent, non ornent, ornamentum tamen valorem habent, quod ad libitum amoveri velum possit, & artis illius periti contemplari queant picturarum elegantiam, & excellentiam. Sed quo spectat hæc peritorum contemplatio? Ut eiusmodi archetypis pingere similia exemplaria valeant? Absit. Ut quid ergo contemplari eas debent? Ut curiositatem pascant, oculosque delectent? Peius. Nullus ergo finis honestus adest illas servandi.

XXVI. Quid itaque agendum? Nec alienare, nec vendere eas licet. Quemadmodum enim omni iure vetitum est vestem peste infectam proximo donare, aut vendere; ita severiore lege prohibuitum est animarum lu-

em, ac pestem propagare. Quid ergo est reliquum? Nullum aliud effugium patet, nisi vel comburere, vel penicillo occultare totum quod turpitudinem, & obscenitatem præfert. Dæmonum sunt hæc simulacra & veneris idola. Qui illa sub velis facta tecta custodiunt, eadem minime detestantur. Valorem, inquis, & pretiositatem amittunt, si penicillo reformentur. Veneream utique pretiositatem, pretiumque turpe prorsus deperdunt; sed acquirunt valorem honestum, modestiamque christiano homine dignam. Accedit quod si paterfamilias hæc diabolica idola servet, tecta licet & clausa, occasione parat filius, & nepotibus minus moratis eadem retegendi, & omnium oculis exponendi, ut inde innumera consequantur flagitia.

XXVII. Opponis. Si hæc doctrina vera est, non pauci divites, nobilesque continenter peccant, & sacramentis indigni sunt. Hoc autem non videtur dicendum, cum eiusmodi Christiani & sacramenta frequent, & religioni haud sibi ducant præfatas imagines tectas, & clausas retinere. (Respondedo, doctrinam quam exposui, mihi veram esse. Verum ergo quod inde proficiscitur. Plura Christiani peccata perpetrant, quæ peccata non esse falso existimant. Nec propterea malitiam exuunt.

XXVIII. Addo satis minime esse Christianis illis istarum imaginum scandala de medio tollere; sed eorumdem insuper esse, præterita scandala compensare, innocentiam spectatorum inquinatam pro viribus restituere, dignam denique poenitentiam pro tanta flagitiorum illuvie, quæ ex obscenis, turpibusque picturis proflexerunt, Deo offerre. Quod non video qua alia præstari via meliori possit, quam si loco obscenarum imaginum continuo imagines sacre, religionis nostræ mysteria, sanctorumque gesta referentes, publico aspectui exponantur. Sic enim istarum aspectus fidem, pietatem, devotionemque excitabunt; quemadmodum olim obscenæ, veneris flammam accendebant. Quæ compensatio iustitiæ præcepto, nedum caritatis mandato, necessaria est. Rigida hæc sunt, ingaies. Perlibenter blandiora a te audiam, sed vera simul, & pietati, atque virtuti, non hominum genio, vitiiisque faventia.

XXIX. Quæst. XII. *Licite ne possunt tabernarii vinum vendere iis quos inebriandos provident?* Resp. Docent omnes id illicitum absolute esse; licitum vero, gravissima urgente causa. Causa gravissima esset timor mortis, aut mutilationis. Nullum super hoc

diffidium penes Theologos. Quoniam tam venditio, quam potus vini sunt actiones indifferentes, & ex sola malitia bibentis intemperanter ebrietas accidit. Dictum autem est, quod, quando causa principalis licite opus exequi valet, tunc cooperatio materialis evadit, gravi causa impellente. Ideo caupo in hoc casu mortis sibi imminenti, nisi vinum exhibeat, vendere illud potest, etiam cum prævisione futuræ ebrietatis; quemadmodum licet ab usurario in gravi necessitate mutuum sub usura petere. Castropalaus, quem sequuntur recentiores, Catalanus, Sporerius, La-Croix Lib. II. n. 261. docet causam sufficientem vendendi vinum se inebriaturis, esse si caupo prævideat ex vini denegatione valde diminuendam esse emptorum affluentiam. Quam ego causam haud reputo sufficientem, ut caupo possit tuta conscientia vinum vendere in hoc casu. Caritas quippe urget proximi peccatum vitare, prohibetque etiam cum nostro incommodo eidem cooperari. P. La-Croix perperam pro hac opinione laudat Augustinum serm. cccxxi. ubi hæc scribit. *Ad extremum tu cum noli adiuvare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat; & si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis.* Quem textum mutilum transcripsit P. La-Croix, & minus apte cauponibus favere contendit. Siquidem Augustinus ibi alloquitur illos qui ad convivia amicos invitant, solentque eos incitare, & quasi cogere ad bibendum ultra temperantiæ limites. Illos propterea admonet ut ab eiusmodi incitamentis abstineant, relinquuntque invitatis ad nuptias liberam potestatem bibendi, ne cum ipsis pereant, sed soli illi pereant qui se libere inebriare voluerint. Quin in eodem sermone post allatum textum subdit S. Doctor, multos adversus dissuadentes ebrietatem irasci, & contumelias vomere, nec propterea desistendum incepto, sed increpandos clamat. *Sed quando ista suggerimus, forte irascuntur contra nos, & murmurant ebriosi. Quamvis non desint qui irascuntur, Deo tamen propitio multi erunt qui libenter salubre consilium audientes, de isto tam gravi peccato per Dei misericordiam liberabuntur. Ipsi tamen qui contra coalumniam, & amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera a nobis voce audiant: quia quicumque ebriosus poenitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit.* Quamquam nostram

quaestionem hic non verset Augustinus, ex eiusdem tamen doctrina id colligitur quod faveat potius quam quod repugnet nostrae sententiae. Neque ergo timor amittendi lucri, ut vel ipsi adversarii fatentur, nec di minuendae hospitum affluentiae periculum satis est ad vinum licite vendendum inebriandis. Laxius est quod docet P. Gobat penes eundem La-Croix, videlicet tabernarium, dum dubitat hospites inebriandos fore, posse illis vinum vendere; etiam si absit talis causa, nempe obrationem ex probabilistico sistemate eductam, quod videlicet tabernarius est in possessione. Quam opinionem reprobat etiam ipse La-Croix, etsi inter Probabilitas satis benignus.

XXX. Quaest. XIII. *Utrum licitum sit petere solutionem maleficii a malefico, vel sagga?* Resp. P. Patricius Sporerius cum suis Sanchez, Filiucio, Dicastillo, aliisque iunioribus, adfirmat, dummodo absque alio maleficio auferri possit; etiam si praevideas maleficium ope daemonis probabiliter usurum. Contraria sententia, quam defendunt Caietanus, Sylvius, Delrio, & alii plures, probabilior est, te nimirum non posse petere praefatam solutionem, dum probabiliter praevideas alio maleficio ablatum iri maleficium. Quandoquidem, cum maleficus potest licita via maleficium tollere, & tu praevideas illum daemonis arte usurum, si omittis eidem protestari, te nolle, nisi arte licita maleficium auferri, sed absolute solutionem petis; iam assentiri praesumeris illius iniquitati. Potes enim petitionem tuam modo licito illigare. Si ergo indefinita petitione ad modum licitum, vel illicitum, maleficium postulas solutionem, ansam praesumendi praebes te nihil curare, utrum arte daemonis, an secus, maleficium tolli debeat. Quare licitum erit petere maleficium solutionem cum expressa protestatione, quod fiat absque daemonis arte. Si vero dubitas sine daemonis arte auferri maleficium non posse, tunc securior pars amplectenda est. Quare examinandus serio magus est, qua arte, quibusve mediis auferre velit maleficium. Nec reponas, in dubio praesumendum esse in proximi favorem. Hoc etenim verum habet, nisi circumstantiae obfint. Homines arti magicæ addicti frequenter eadem utuntur. Quare prudentia avertat id praesumendum esse quod frequentius accidit. Bene praesumere de proximo debemus, quoties ille in bonae famae possessione reperitur. Malefici autem infamia laborant: idcirco prudenter praesumimus, illos maleficio novo maleficium ablaturos. Idem dicendum,

si dubitas, possit ne medio licito maleficium auferri. Debes enim aut dubium deponere, aut abstinere a petitione. Facta autem protestatione, te nolle nisi modo licito maleficium tolli, licite petis: quia animum tuum declarasti adversus daemonis artem. De comediis hic agendum esset; sed integram de his dissertationem edidi.

### C A P U T XIII.

*Quaedam regula pro praxi a Confessariis servanda. Nonnulla de moderna mulierum, virorumque familiari conversatione.*

I. Scandali materies adeo late patet, ut vix sermone comprehendi queat. Adeo facile est ad extrema impingere, ut media incedere via vix liceat. Summa ergo vigilantia opus Confessariis est, ne aut nimium Christianorum conscientias gravent, aut plus iusto laxent. Ex his quae de feminis dicta sunt, rigidiora me docuisse suspicabitur fortasse aliquis. Quam suspicionem ut amoliar, iterum repetere iuvat, me nihil magis detestari quam iniustam severitatem. Malo siquidem de nimia misericordia quam de superfluo rigore rationem reddere. Porro, ut Confessarii, Lectoresque omnes clarius teneant doctrinam quam ego de mulierum ornatu censeo verolimilem, adiciam nonnulla, ex quibus colligere quisque valeat quando superfluum, & noxius sit, & quando secus, mulierum ornatus. Patrum documentis, rationibusque demonstratum est, superfluum muliebrem cultum, ad venerem potissimum incitantem, culpæ expertem haudquaquam esse. Porro, ne praecipis sis in mulieribus damnandis, aut absolvendis, sequentes adiciam regulas.

II. *Regula prima.* Feminis potissimum coniugatis ornatum nitidum, elegantem, auro licet, argento, ac serico intextum, dummodo limites proprii status non excedat, licitum asserimus. Luset sub oculos D. Thomae reducere doctrinam, qua nihil cautius, nihil solidius praescribi valet. Primum in commentariis ad I. *Timoth. cap. II. vers. 9.* D. Pauli verba interpretans haec scribit: *Duo sunt consideranda in ornatu mulierum, scilicet simplex ornatu, puta in veste, & auro, & huiusmodi. Quod potest fieri cum peccato tribus modis, scilicet ex prava intentione, ut si intendat commotionem concupiscentiae, ostentationem, vel inanem gloriam. Prov. VII. Praeparata ad capiendas animas. Secundo, si fiat*

pr.c-

*præter consuetudinem patriæ, quod sit diversimode: quod enim excedit modum consuetum patriæ, hoc ex levitate animi est. Tertio, si conditionem sui status excedit. Sed servata recta intentione, consuetudine patriæ, & conditione status, non est peccatum. De fucato autem semper est peccatum.* Expendendum est primum triplicis distinctionis membrum, nimirum mulieres non peccare, si rectam servent intentionem: quæ intentio vel eo spectat, ut concupiscentiam commoveat; vel ut promoveat ostentationem, aut inanem gloriam. Distinguenda pariter duplex intentio; una directa, indirecta altera. Nihil fere de prima, quia manifesta; at de secunda valde timentum. Illa sua evidenti, & diabolica malitia se prodit, potissimum dum se venerem accendere velle clare protestatur; sed hæc rara est. Secunda occulte serpit, & facillime se se immiscet, vitium alit, non redolet turpitudinem, sed potius splendorem, ut est ostentatio, & inanis gloria. Tunc porro serpit hæc indirecta intentio, cum ornatus exterior reapse vanus est, & quaesitus, immo dicusque. Neque enim recta, & pia esse intentio potest, si ornatus exterior vanus, & superfluum est. Hæc omnia docet ibidem Angelicus. *Exteriora enim opera hominis sunt quasi quaedam professio interioris hominis, sicut Religiosi ad hoc habent habitum, & Clerici similiter. Unde, nisi concordet interior cum exteriori, est fictio. Ita etiam de aliis operibus interioribus. Interior enim debemus colere pietatem, idest cultum Dei habere; exterius vero promittere, & protestari per bona opera, quæ concordant pietati, & similiter habere interius, sicut ostendimus exterius. Vel dico, quod debent se ornare non exterius, sed secundum quod decet eas promittentes, idest quæ promittere debent, pietatem per opera bona. Eccles. XIX. Amictus corporis, & risu dentium, & ingressus hominis annuntiat de illo. Ut paucis hanc doctrinam expediam; dum exterior cultus, licet non excedat statum civilem, qui forte dives est, & nobilis, valde quaesitus est, vanus, ac superfluum, vanam prodit intentionem aut ostentationis, aut mundanae gloriae. Et dum mulier valde compta, & ornata nullam se habere iactat pravam intentionem, mendax est, nullaque ei fides adhibenda. Illius quippe mendacium exterior cultus testatur, eiusdemque pravam indirectam intentionem manifestat.*

II. *Secunda regula.* Rogabis, si ne culpa gravis, aut levis eiusmodi nimium elegans, & exquisitus muliebris cultus, qui feminarum

levitatem, iactantiam, vanitatem, ostentationemque prodit. Angelicus *loc. cit.* obiter, ut interpretem decet, rem hanc versat. Eam vero ex instituto discutit 2. 2. q. clix. art. 1. & 2. qui legendus omnino est. Tuæ autem factæ interrogationi respondet, praefatum ornatum vanum, & superfluum, atque iactantiam, & ostentationem praefertentem, non semper esse mortalem, sed quandoque venialem. Paucis verbis omnia complectitur Angelicus, videlicet & intentionem provocandi ad concupiscentiam, & levitatem, vanamque ostentationem. Primum semper est mortale; alterum interdum veniale. *Et si quidem hac intentione (inquit) se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter instantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.* artic. 2. corp. Non semper, inquit D. Thomas, vanus, & superfluum cultus femineus letalis est, sed quandoque venialis; frequenter ergo mortalis erit, si quandoque tantum venialis. Porro ut feliciter mentem, doctrinamque angelicam hoc de argumento teneas, animadvertas velim, D. Thomam in primo laudata quaestionis articulo agere de ornatu exteriori absolute considerato. In commentariis autem Paulinis rem per transennam agit, hic vero ex professo. Articulo namque primo omni argumentorum genere ostendit, superfluum ornatum culpa non carere, & inter alia auctoritatem allegat Gregorii dicentis: *Sunt nonnulli qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium non putant esse peccatum: quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset.* Plures ibi rationes affert, quæ evincunt superflui ornatus malitiam: nimirum, si ornatus iste excedat proprium statum; si homo hoc quaesito ornamento delicias quaerat, & fomentum corporis; & tandem dum nimia intervenit sollicitudo. *Etiamsi (inquit) non sit aliqua inordinatio ex parte finis.* Porro, postquam exposuit superflui ornamenti naturam absolute accepti, nulloque ad mulieres habito respectu, articulo secundo, quid sit de femineo cultu dicendum resolvit. Sub corporis articuli initium animadvertit, quod præter communem malitiam quæ in omni superfluo ornatu residet, peculiarem habet malitiam muliebris cultus, quod nempe ad lasciviam sua natura provocet. En illius verba summa con-

fideratione perpendenda. Circa ornamenta mulierum sunt eadem attendenda quae supra communiter dicta sunt (nempe articulo praecedenti) circa exteriorum cultum: & in super (nota) quoddam aliud speciale, quod scilicet muliebris cultus viros ad lasciviam provocat. Nempe multa. Aequae in viris, ac in feminis cultus exterior potest esse noxius, & culpabilis vel propter pravam intentionem, vel propter excessum proprii status, vel propter ostentationem, & vanitatem. Cultus autem muliebris praeter haec omnia illud habet peculiare quod provocet ad lasciviam. Et haec dicta sunt in maiorem angelicam doctrinam, a quibusdam haud satis perceptam, explicationem.

IV. Tertia regula. Sapius in hac dissertatione dictum est, hoc in capite dandam esse exactam superflui ornamentum feminei notitiam. Ut igitur quisque securius in ferenda super muliebri cultu sententia incedat, sciat fas est, hanc ornamentum superfluitatem non ex uno, aut altero capite colligendam esse; sed ex omnium circumstantiarum complexione. Duo hic summopere consideranda. Primum quod in femineo culto perpendere debemus, non est tantum vestium, gemmarum, monilium pretiositas; sed potissimum vestium forma, positura, dispositio, nuditas. Alterum est mulieris compta conscientia, mores, conversatio. Ambo expono. Superfluum ornatum exponere lubet Divi Hieronymi elegantissima oratione, qua compta mulieris picturam vividis refert coloribus sua epistola de suspecto contubernio. Aliqua perstringam inverso ordine. Vestis ipsa vilis, & pulla, animi tacentis indicium est, si rugam non habeat, si per terram, ut altior videaris, non trahatur, si de industria sit tumida, ut aliquid intus appareat, operiatque quod foedum est, & aperiat quod formosum. Caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens stridore ad se iuvenes vocat. Papillae fasciis comprimuntur, & crispanti cingulo angustius percutus arctatur. Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt. Palliolum interdum cadit ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celat festina quod volens detexerat. Et quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit quod ostensum magis placere potest. Non tam vestium valorem, pretium, & monilium raritatem, quam formam improbat vestitus: artem tegendi quae displicent, & quae placent nudandi, carpit: nihil hic de fucis, de stibio, de aliis innumeris lenociniis, & ille-

cebris habet. Alterum, conversationem nempe mulierum cum viris, non minus argute describit, & infestat. Puellas, & mulieres prodeuntes in publicum pingit inter servos adolescentes ad convivia affidentes; atque nutibus, oculis, & suspiriis cum amatis mutuos exprimentes affectus repraesentat. Sic enim affatur harum unam mulierum. Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, & pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit. Erit tibi inter viros matronasque convivium: spectabis aliena oscula, praegustatos cibos: & non absque scandalo tuo in aliis sericas vestes, auratasque miraberis. Quid enim validius fovet muliebrem luxum, quam vel unius vana mulierculae exemplum? Personabit interim aliquis cantor ad mensam. Hoc dulci modulamine permulcente aures, iuvenes te adorientur, loquentes nutibus, & quidquid metuunt dicere, significant affectibus. Inter has tantas illecebras voluptatum, etiam ferreas mentes libido domat, quae maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit. Difficile inter epulas servatur pudicitia. Nitens cutis sordidum ostendit animum. Legimus aliquem, vix harentem ossibus, illicitis arsisse amoribus, & ante caruisse vita quam peste. Quid tu facies, puella sani corporis, dedicata, pinguis, rubens, astuans iuxta adolescentulos; quae etsi rogata non feceris, tamen formae putes testimonium, si rogeris? Libidinosa mens ardentius honesta persequitur, & quod non licet, dulcius reputatur. Familiaria colloquia succedunt, in quibus perdidisti vestra vocabula, & mutuo ex vobis cognomina suscepistis. Tu illius diceris, & ille tuus. Obsequia, famulatus, servitia quis valet referre? Illum iactant assidere lectulo, obstetrices adhibere manus languenti, portare matulam, calefacere lintea, plicare fasciolas. Sed audiamus paulisper & Marcum Tullium, qui paradox. v. miseram servitutem venumitorum, vulgo cicisbei, & barbatulorum his verbis describit. Igitur omnes improbi, servi. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum, atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure civili. Sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, & abiecti, & arbitrio carentis suo; quis neget omnes levis, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber videatur cui mulier imperat; cui leges imponit, praescribit, iubet, vetat quod videtur? Qui nihil imperati negare potest, nihil recusare

cusare audeat? Poscit? dandum est. Vocat? veniendum. Eiicit? abeundum. Minatur? eximiescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

V. Quarta regula. Omnia quae dicta sunt Confessarii perpendere magnopere debent. Mulieris conscientiam, eiusdemque mores, vivendi consuetudinem, virorum amicitiam praec oculis habeant. Si mulierem agnoverint bene moratam, ab hominum familiaritate seiunctam, propriae domus curae, & regimini addictam, mariti sui amantem, tunc eiusdem ornatum, tametsi comptum, & forte plus iusto splendidum, non facile gravis peccati damnabunt; eidem tamen modestiam, verecundiam, vanitatisque contemptionem suadebunt. Ex illius vivendi consuetudine quam facillime arguent, maritoni, an aliis viris placendi gratia adeo culta incedat. Pectoris nuditatem, & vestium formam, valde a modestia, quae mulieres maxime decet, distantem, numquam permittant Confessarii.

VI. Quinta regula. Reciprocam virorum, ac mulierum conversationem frequentem, assiduamque, eam potissimum in qua illa habet suum, & ille suam, penitus infringat Confessarius. Si recuset mulier scindere hanc amicitiae foedera, a sacramentis arceatur. Quod antequam praesert, oret, suadeat, increpet. Non severitate, aut rustica, & inurbana oratione, sed suavi, efficacie adhortatione studeat mentem illuminare, animumque emollire, ac Deo precibus suis poenitentem commendare non desinat. Blanda benignitas, quam tam alte depraedant recentiores Probabilistae, non eo pertinet ut legem laxes, eamque humanis appetitionibus accommodes; sed eo ut summa patientia, & caritate ad divinae legis amantissimum, quoad fieri potest, humanos mores reformes. Has omnes circumstantias spectare debes, ut extrema aut severioris austeritatis, aut nimiae benignitatis devites.

VII. Sexta Regula. Facilius Confessarii ad extremum laxitatis, quam severitatis impingunt. Rigor, & severitas cuique contraria est, propriis rationibus, & molitionibus adversatur. Contra vero benignitas, & indulgentia naturae consentanea est. Omnes respectus, humanaeque considerationes, fama & gloriae aviditas, item timor contemptio, & propriae fama iactura benignitatem suadent. Hinc est quod Propheta omnes, & Patres in laxiores Theologos, & Con-

Conc. Theol. Tom. II.

cessarios invehuntur. Transcribam quae docet D. Bernardinus Senensis adversus Confessarios qui negligunt mulierum luxum, & pompas corrumpere. „ O infelix stultitia mundanorum! O caeca amentia vanitatum! O incon-

„ siderata dementia propter hoc pereuntium animarum! Inter quas utinam, utinam, & iterum utinam plerique non sint participes „ Confessores, & alii ignoranter, vel carnaliter consulentes, & praedicantes, non intelligentes, nec aliqui eorum intelligere volentes, quae intelligunt Doctores de mulierum ornatu, iocalibus, atque vestitu, cum dicunt, quod licet mulieri se ornare, ut placeat viro suo; & tamquam imprudentes non considerant, nec recte ponderant praedicta tria. De talibus Dominus Matth. xv. ait: Caeci sunt, & duces caecorum. Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in fossam cadunt. Haec tria specula considerans illuminatus Apostolus I. Timoth. II. ait: Volo mulieres ornare se in habitu honesto, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera. Considera diligenter quid secundum specula tria praedicta prohibeat, & quid concedat. Et Petrus in I. Canon. III. hoc eodem lumine illustratus ait: Mulieres subdita sint viris suis: & sequitur: Quare non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti, vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus. Super quem locum Cyprianus in Glossa ait: Feminae serico, & purpura indutae non possunt Christum induere. Auro, aut margaritis, aut monilibus exornatae ornamenta cordis, & corporis perdidit. Quorum omnia dicta sunt ad tria praedicta specula referenda, & cum magna animadversione pensanda, & spiritualiter ruminanda, ne sub pallio consuetudinis corruptela sumatur, & abusio obtineat principatum. „ Tom. I. ferm. IV. art. I. cap. I.

VIII. Regula septima. In hac materia saepe plus minusve reperitur. Quemadmodum non est qualibet vanitas, gravis culpae damnanda, sic non est superfluitas quaeque excusanda. Lubet nonnulla alia ex eodem D. Bernardino describere contra nimiam superfluitatem, quam stilo licet simplici, significante tamen repraesentat. „ Tertio odit Dominus superfluitates propter multitudinem,

M 3

nem,

nem, seu multiplicationem. Circumspice thalamos prædictorum: contemplare ibi superfluitates vestium virorum, & mulierum. Ibi pro feriatis diebus, ibi pro mediocribus festis, ibi pro maioribus solemnitatibus, & ibi pro celebrioribus cunctis. Quarum pretiosiores in manticis consumuntur. & quandoque a mulieribus insensatis pro filiabus, & filiis inaniter, immo criminaliter, reservantur. Ibi reperies vestimenta serica, quædam aurea, quædam viridia, quædam rubea, quædam leucophaea, quædam rigata, quædam depicta, quædam cælestina, quædam rosata, quædam æstiva, sicut theristra subtilia, atque stricta, quædam hiemalia, quædam ruralia, quædam civilia, quædam pluvialia, quædam nivalia, quædam diurna, quædam nocturna, quædam retorta, quædam distorta, quædam stricta, quædam lata, quædam curta, sive brevia, quædam longa, quædam cum alis magnis, quædam cum manicis strictis, quædam sine manicis ullis: quædam clauduntur ante, quædam retro, quædam a latere, quædam, sicut in iuvenum phantasia patet, tanta abominabili brevitate curantur, ut supra nates, & supra umbilicum ascendant: dumque æstivo tempore superiora indumenta deponunt in propria domo, vel alibi, anteriora, & posteriora iuenculis, atque aliis more canum ostendunt. Quot mutatoria reperies ibi, quot camisas sericas, vel byssinas, vel tanto sumptu, & arte confutas, quod tales facere, vel tenere ampliusque illas gestare, *Doctores determinant esse mortale*. Quot alia linea, & superflua paramenta, quæ raro, vel numquam ducuntur in usum? Quot vasa argentea, & deaurata, & arte mirabili fabrefacta ad gloriam, & ad pompam servata? Hæc, & consimilia considera in deauratis, & pretiosis manticis reservata. Circumspice cubiculi parietes carnalitatibus multiplici actu sæpe depictos, ut verificetur in omnibus talibus, quod Ecclesiastes i. cap. ait: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Et quia omnia talia multitudine, atque confusione in Confessoribus, Prædicatoribus, & Consiliariis minus doctis, minusque rectis, ac minus considerantibus tria specula antedi-

ta, discretum iudicium liciti, & illiciti obruant, & confundunt; plerique peccatum mortale in talibus esse non putant; sed quodlibet horum cuiuslibet libet, illi omnino licet; illique non licet qui ad hoc marsupium plenum undecumque non habet, cum talibus sit lex pro ratione voluntas. Propterea sequitur quod Matth. xv. Dominus ait: *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus si cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt*. Sermon. xlv. art. III. cap. III. Tom. I.

IX. *Regula octava*. Si ad hæc omnia minimum intenderit Confessarius, si in suo ministerio solam animarum salutem, Deique gloriam, omni mundano respectu neglecto, spectabit, haud difficile illi erit media incedere via. Sed meminerit oportet hanc viam mediam arctam, angustam, rigidamque esse, ut Evangelium testatur. Rigor tamen iste evangelicus cum sit, caritate, & benignitate lenitur, non legem laxando, sed summa tolerantia, & ferventi zelo mores corrigendo. Spretis ergo quorundam recentiorum placitis, evangelica momenta in memoriam revoca. Abscindendam manum, eruendum oculum occasio occurrit; ut hinc colligamus, quam gravis, quamque severa sit devitandi scandalii obligatio. Væ mundo a scandalis. Quia nolunt homines syrtes, & scopulos debita vigilantia cavere; idcirco adeo frequenter in naufragia impingunt. Disturi sunt aliqui, nos Concionatoris, aut Declamatoris, non Theologi personam agere. Verum isti, quantum sit christianæ Theologiæ tradendæ ratio, penitus ignorant. Nos Evangelii, non Casuistarum Theologiam docere studemus. Methodum quam Evangelistæ, quam Paulus, quam Patres omnes adhibuere, consulant censores isti, & propriæ criticæ illos pudebit. Id mihi dolet, quod eloquentia, quod sermonis efficacitate caream illa sine qua christiana Theologia languet, hominum infirmitate spectata. Utrique divina doctrina nostræ vanæ eloquentiæ lenociniis non eger. At hominum mentes mundi præstigiis occupatæ, quibus suadenda est sacra doctrina, vehementi ratione, verborumque aculeis sæpe vellicandæ sunt, ut aptæ reddantur ad veritatem suscipiendam.

# LIBER SECUNDUS IN DECALOGUM.

## DISSERTATIO PRIMA.

### DE RELIGIONE.

#### PRÆLOQUIUM.

Hactenus præludia in Decalogum præmisimus; nunc mandata ipsa discutienda sunt. Virtutes theologice, fides, spes, caritas, Deum ipsum sub peculiaribus suis rationibus spectant: & homines suis interioribus actibus credunt, sperant, diligunt. Ibi tamen haud sistunt, sed foras debent erumpere, ut cultum externum præscriptum a religione Deo exhibeant. Dei quippe fidem, & dilectionem necessario consequitur cultus exterior eidem præstandus. Si enim dominus quisque colendus est, quanto magis Deus, qui solus Dominus, solus omnipotens, solusque est universi istius præpotens effector? Plura nobis hac de re suppeditat Lactantius *Lib. IV. cap. xxviii.* „Hac (inquit) condicione gignimur, ut generanti nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus: hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, & Deo religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit. „Sub duplici aspectu Lactantius hominem considerat, ut filium, & ut servum. Quatenus filius, Deum Patrem amare; quatenus servus, Dominum revereri, eique inservire debet. Hinc infert sapientiæ, & religionis societatem: illam ad filios, hanc ad servos spectare docet. „Apparet (inquit ibi cap. iv.) quam inter se coniunctæ sint sapientia, & religio: sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem; religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent, & honorare; sic hi dominum colere, ac revereri. Deus autem, qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, & Patris, & Domini, & amare eum debemus, quia filii sumus, & timere, quia servi. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est Deum scire, consequens colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videatur. Alterum enim positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus rivis ex uno fonte manantibus: Fons autem sapientiæ, & religionis Deus est, a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. „Hanc religionis necessitatem fusius explicat *Lib. VI. cap. III. & cap. IX. & Lib. VII. cap. v.* Libro autem de ira Dei *cap. vii.* invehitur in impios, qui Deum negantes, omnem derident religionem: quos sic adoritur. „Nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit. Propterea *nullum est animal*, ut ait Cicero, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat: & hæc est hominis, atque mutorum vel præcipua, vel sola distantia. „Plura alia possem ex Lactantio exscribere, quibus ostendit brutis accensendos esse homines qui Deum ignorant, aut religione non colunt. Quid quod vel ipsi impii, tametsi insitam cordibus Dei notitiam excutere frustra adlaborent; attamen extrinsecus colendum, timendumque Deum asserunt? Religionem hanc, seu primum firmumque cuiusque societatis, Reipublicæ, & Principatus fundamentum constituunt. Scelestus ipse Macchiavellus Principibus suadet externam religionis professionem, quam corde contemnunt, ut populos sibi subiectos facilius regant, ac indivisam Rempublicam servent. Opus est, inquit, ut quantumque ad religionem fovendam, amplificandamque congrua sunt, *etiam si Principes aliter*

sentiant, amplectantur, augeantque. Quod illis tanto diligentius faciendum est, quanto maiori prudentia, rerumque naturalium cognitione præcellunt. Hæc impiorum effata factis sunt ut intelligamus, quam densa sint illorum impietatis tenebræ, quam spissa caligo. Omnium Rerumpublicarum, ac Principatum firmum asserunt fundamentum religionem. Religionis erga supremum Numen ideam hominum mentibus tam alte inscriptam fatentur, ut absque religionis freno in ordinem redigi, & in obedientia contineri minime posse agnoscant. Et eo ipso tempore in dubium revocant, debeant ne Principes intus credere quæ exterius se credituros simulant. Verum ad implendam ignominia eiusmodi impiorum faciem, ut Deum tandem confiteantur, quemadmodum Regius Propheta scribit, factis nunc est quædam Paganorum scita transcribere ex Petro Gregorio *Lib. VIII. de Republ. cap. II. n. 5.* „Hoc innatum (inquit) & insculptum naturali, & rationali lege videtur, ut religioni multum homines tribuant, & auctoritati divinæ, & quæ arbitrantur ei coniuncta eo vinculo, ea maiori in veneratione habeant. *Omnes* (inquit Cicero v. in Verrem) *religione moventur, & deos patrios a maioribus acceptos diligenter sibi colendos, & retinendos arbitrantur.* Et Quintus Curtius *Lib. IV. Nulla res, inquit, efficacius multitudinem regit quam superstitione.* Neque Ethnici hoc lumine naturali caruerunt, utpote homines habentes impressam in anima quoque Dei imaginem. Quamquam enim aberraverint in pluralitate deorum falorum, tamen remansit de divino Numine reverentia eius, & meras. Et proinde legislatores illustriores, qui regio hoc munere in ferendis legibus usi sunt, inventionem legum in Deum, sed per diversa nomina, & media retulerunt. Zoroastres Bactrianis, Persisque leges tradens, in Horomasim; Trimegistas Ægyptiis, in Mercurium; Moyses Iudæis, rectius in patrem totius naturæ verum Deum; Minos Cretensibus, in Iovem; Charondas Charthaginensibus, in Saturnum; Lycurgus Lacedæmonis, in Apollinem; Draco & Solon Atheniensibus, in Minervam; Numa Pompilius Romanis, in Ægeriam nympham; Mahometes Arabibus, in Gabrielem; Zamolxis Scythis, in Vestam; Plato Magnæsiis, & Siculis in Iovem. Denique Mæcenas proluxa oratione, quam refert Dio Cassius *Lib. LII. hist. modum rationemque regendi imperium Augusto Cæsari promens, hæc inter alia eidem suadet. Deos semper, & ubique ita cole, ut moribus patriæ receptum est. Ad eundem quoque cultum alios compelle. Peregrinarum vero religionum auctores odio, & supplicii prosequere, non deorum modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nihil quoque aliud magni faciet; sed propterea etiam quod qui nova numina introducunt, multos ad peregrinarum legum usum pelliciunt: unde coniurationes, coitiones, & conciliabula existunt, res minime commoda principatui unius. Itaque neque deorum contemptorem, neque præstigiatores ullum tolerabis.* Ipsorum ergo Ethnicorum testimonio, religio vinculum est humanæ societatis, quo fracto, concidat necesse est principatus omnis, mutuumque commercium. Quemadmodum navis gubernatore inter procellas destituta, continuo periclitatur; ita homines a primo, unicoque rectore Deo seiuncti, & per abrupta abeuntes, nullam coire societatem valent. Quare religio a religando nuncupatur, quod homines invicem, ac Deo omnium provisori, & moderatori iungit. De hac autem religione in præsentiarum sermo nobis erit, eiusdemque officia, & obsequia in supremum Numen manifestabimus.

## CAPUT I.

*Errores, propositiones damnatæ, & laxæ in religionis materia recensentur.*

I. Deliria impiorum, qui religionem omnem de medio sustulerunt, recensimus in Prolegomenis ad Decalogum. In præsentia hæreses, propositiones damnatæ, & laxæ eorum qui religionem profitentur, breviter perstringuntur. Primus error adversus orationem, quæ inter præcipuos religionis actus computatur, fuit *Messalianorum*,

at animadvertit Castro verbo *Oratio*. Hi enim contendebant, solam orationem, excluso baptismo, ceterisque operibus ad salutem sufficere. Nullam agnoscebant in baptismo utilitatem. Dæmonem expelli sola oratione, corpusque passionibus liberari; animam non solum mala liberari voluntate, sed etiam futura prævidere, effutiebant. Istius hæresis Auctor dicitur Adelphius. Secundus error *Messalianorum*, seu *Psallianorum*, qui græce appellantur *Euchitæ*, idest orantes, eo spectabat, ut numquam ab oratione esset cessandum; quemadmodum refert D. Augustinus.

„*Lib. de hæres. cap. LVII.* sed continenter eidem insistendum. Tertia hæresis, directe his duobus erroribus contraria, orationem ut profus inutile respuebat. Præcipuus istius hæresis fautor fuit Pelagius, qui teste Augustino *Lib. de hæres.* dixit, orationes quas facit Ecclesia pro infidelibus, & aliis peccatoribus, ut convertantur, sive pro fidelibus, ut perseverent, frustra fieri, quod ad hæc omnia error sit liberi arbitrii potestas. Hinc inferebat inutile, ac superfluum esse a Deo petere quod propriis viribus prestare valemus. Quem errorem quotidiana hominum infirmitas, & rebellium appetituum intestina lucta explodit. Quarta hæresis fuit VViclephi docentis, haud esse pro singulari persona orandum; quod non plus iuxta ipsum oratio pro uno oblata illi prodest quam aliis quibusque. Quem errorem damnant sexcenta Scripturarum oracula, quæ referunt orationes Deo fusas ab Ecclesia pro Petro, & a D. Paulo pro Thessalonicensibus. Denique hic error proscriptus fuit in Concilio Constantiensi *Jess. VIII.*

II. Propositiones damnatæ ab Innocentio XI. anno 1687. in Constitutione cuius initium est *Celestis Pastor*, sunt sequentes, quas Quietistæ excogitarunt.

1. „Oporteret hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.“
2. „Velle operari active est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: & ideo opus est seipsum in Deum totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.“
3. „Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.“
4. „Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis.“
5. „Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in quam transformata remanet, ac divinizzata; & Deus tunc in ipsa remanet: quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum. Et hac ratione Deus vivit, regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.“
7. „Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.“
12. „Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere,

„nec de inferno, nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cuius spem purgare debet.“

14. „Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & velle quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii, *Petite, & accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus interitis, quæ nolunt habere voluntatem; imo huiusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.“

15. „Sicut non debent a Deo rem aliquam petere; ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.“

18. „Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.“

20. „Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur. Eius locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.“

21. „In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cuiuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum; sed absque productione ætuum, quia Deus in his sibi non complacet.“

Plures alias hoc de argumento damnatas in præfata Constitutione propositiones referre possem, quas missas facio, alibi relaturus. Adiciam dumtaxat unam propositionem, quæ mea quidem sententia, laxa videtur.

III. P. Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap. IV. §. 2. num. 4.* „Ego hic sentio, quod supra cap. I. §. I. num. 8. dixi de præcepto fidei, spei, & caritatis, non dari scilicet certum tempus & determinatum in quo directe obligat; sed esse illud in quo obligat indirecte, quando scilicet urget necessitas alicuius boni acquirendi, vel mali, vel tentationis averrendæ, quæ acquirere, vel avertere sine Dei auxilio non posse tunc animadvertimus.“

## CAPUT II.

Natura, & actus religionis, quam præscribit primum Decalogi mandatum.

I. Pura dicta sunt in secundo prolegomeno de primo Decalogi mandato, quod in affirmans, & negans distingimus. Affirmans est, quod cultum unius Dei præcipit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: Matth. iv. Istius servitutis, & obsequii momenta explicat ipsemet Deus Moysis ore. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis*: Exod. xx. Hic Deus Hebræos alloquitur, quorum se Dominum appellat. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius: Psal. lxxv. Non quod omnium nationum, & creaturarum Deus non sit; sed quia gratiarum, donorumque affluentia sibi populum illum devinxerat. Idcirco populum suum appellabat, seque eiusdem Deum, & Dominum. Non enim *fecit taliter omninationi*: Psal. cxlvii. His ergo verbis, *Deus tuus*, beneficia, & rationes Deum colendi, adorandique exprimentur. Hinc inferitur, ut ii qui peculiare gratias, & largitiones a Deo acceperunt, strictiori religionis vinculo teneantur, & grati animi obsequia abundantiora rependere ipsi debeant. Si hac ratione Iudæi præ ceteris populis Deum colere, & adorare astringebantur; quam servitutem, quæ obsequia præstare Christiani Deo debebunt? Deus Iudæos populum vocabat suum: semetipsum Abraham, Isaac alisque Patriarchis manifestavit: infinita edidit prodigia, quibus a suorum inimicorum tyrannide eriperet populum suum: terram fluentem lacte, & melle eisdem impertiit. Verum enim vero quid hæc sunt comparatione illorum quæ in Christianorum gratiam operatus est Deus? Nos non modo populum suum, sed gentem sanctam, regale sacerdotium, genus electum, populum acquisitionis vocat. Quanto ergo maius est debitum nostrum colendi, & adorandi Deum? Non modo beneficia, quibus cultum, & obsequia excitet nostra, in memoriam nobis Deus revocat; sed poenas quoque, & supplicia minatur ingratis: subdit enim: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*.

II. Negans mandatum est, quod diis alienis cultum exhiberi vetat. *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile. Non adorabis ea, neque coles*. Duplicem hic cultum diris devovet, & illorum qui nullis externis signis deos colebant, ut in more apud Romanos erat sub initium regni, teste Varrone; & aliorum, qui deos in simulacris, & imaginibus colebant. De his latius in prolegomenis disputatum. Ad religionis ergo, quam primum hoc Decalogi mandatum præscribit, naturam enucleandam pergamus.

III. Et ut ab eiusdem etymologia initium ducamus; *Religio*, inquit D. Thomas 2. 2. q. lxxxii. art. 1. videtur dicta a relegendo ea quæ sunt divini cultus: quia huiusmodi sunt frequenter in corde revolvenda, secundum illud Prov. iii. In omnibus viis tuis cogita illum. *Quamvis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod Deum religere debemus, quem amiseramus negligenter &c. Vel potest intelligi religio a religando dicta: unde Augustinus dicit in Lib. de ver. Relig. cap. iv. Religet nos religio uni omnipotenti Deo. Sive autem religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione eius quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione; religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse est enim cui principaliter alligari debemus, tamquam in deficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem; quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & fidem protestando recuperare debemus.*

IV. Communis religionis finitio hæc est. *Religio virtus est quæ debitum cultum Deo exhibet tamquam primo omnium principio*. Dicitur cultus debitus Deo, non quod quilibet cultus peculiaris, quem nos ex mera libera devotione Deo offerimus, non sit religiosus, sed quia cultus absolute ei debetur; ita ut qui nullum ei cultum exhiberet, peccaret contra primum præceptum. Ceterum quia mandatum istud, ut cultum iubens, affirmans est; ideo non continenter, omnique tempore debitum imponit colendi Deum, quemadmodum de actibus fidei, spei, & caritatis diximus; sed tantum pluries in anno. Multos actus edimus religionis, qui consilii sunt, non præcepti, ut patet in votis. Soli tamen Deo actus isti debentur propter infinitam eiusdem excellentiam; quemadmodum pietate colimus homines propter illorum virtutes. Religio virtus est non theologica, quia Deum proxime non spectat, sed

sed moralis, cuius obiectum cultus est Deo exhibendus. Ita docet Angelicus 2. 2. qu. lxxxii. art. 5. *Duo ergo in religione considerantur. Unum quidem quod religio Deo offertur, scilicet cultus; & hoc se habet per modum materia, & obiecti ad religionem. Aliud autem est id cui offertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur; non quod actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingunt, sicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus.... Offertur autem Deo debitus cultus, in quantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt; puta sacrificiorum oblationes, & alia huiusmodi. Unde manifestum est quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia, vel obiectum, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cuius obiectum est ultimus finis, sed est virtus moralis, cuius est esse circa ea quæ sunt ad finem.*

V. Deus dicitur finis, & obiectum remotum, non proximum, religionis, seu finis cui cultus exhibetur propter infinitam illius excellentiam. Neque hæc divina excellentia est ratio formalis ipsius virtutis religionis, sed tantum cultus, qui propter talem excellentiam Deo offertur. Consule super hæc re Sylvium in commentariis D. Thomæ ad hunc locum. Divina bonitas ratio formalis caritatis est: unde caritas est virtus theologica, quia in Deum immediate fertur. Divina autem excellentia non ita ratio formalis religionis est, ut eam in Deum directe elevet; sed tantum eam dirigit in cultu Deo offerendo. Quapropter dicitur, quod cultus iste Deo offertur propter immensam illius dignitatem, & supremum principatum in omnes creaturas. Quamvis ergo religio virtus theologica non sit, inter morales tamen princeps est propter maiorem cum Deo propinquitatem, ut docet Angelicus loc. cit. art. 6. Religio autem multo propinquius accedit ad Deum quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea quæ directe, & immediate ordinantur in honorem divinum: & ideo religio præeminet inter alias morales virtutes.

VI. Duo sunt actuum religionis genera. Alterum interiorum, ut sunt devotio, & oratio; alterum exteriorum, qui pariter in tres classes tribui possunt. Quippe alii corpus ipsum Deo subiciunt, ut adoratio; aliis vero actibus homo res exteriores, ut sunt sacrificia, oblationes, decimæ, primitiæ, ceteraque id genus, Deo immolat: quæ omnia uno nomine oblationis comprehendi solent.

Postremi denique sunt ii quibus aliquid in divini honoris protestationem adhibetur, ut sunt iuramenta, in quibus nomen Dei invocatur; vota, quibus aliquid Deo promittitur. De his omnibus suo loco disputandum erit.

## CAPUT III.

De devotione, eiusque effectibus, & causis.

I. Primus interior religionis actus devotio est; cuius hanc tradit finitionem Angelicus 2. 2. quæst. lxxxii. art. 1. *Voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde Exod. xxxv. dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque devota primitias Domino*. Voluntas, quæ in finitione ponitur; non potestatem, seu potentiam exprimit, sed actum, & exercitium eiusdem facultatis. In definitionibus siquidem virtutum sæpe loco actuum potentia ponuntur. Ceteræ particulæ, nempe *prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*, peculiarem devotionis naturam produnt. Hæc quippe promptitudo, quæ animum constituit expeditum, celerem, atque præservidum in divino servitio, & in illorum executione quæ in Dei honorem cedunt, est singularis prærogativa, & tessera, quæ devotionem distinguit a ceteris virtutibus. Hæc animi promptitudo, & expedita voluntas, non est in quadam cordis teneritudine, aut in sensibili affectu, seu lacrymulis sita; sed in exacta observantia eorum quæ Deo reddenda sunt.

II. Effectus igitur devotionis esse solent cordis lætitia, interior animi suavitas, gustus, & delectatio. Non est tamen necesse ut eiusmodi fructus devotio pariat; cum plures pii, sanctique fideles his omnibus priventur; nec propterea minus fervidi, & expediti sint ad religionis negotia. Eiusmodi effectus alimenta infantium, & pabula tyronum dici solent. Maturior ergo devotionis fructus est exacta mandatorum Dei observantia, quæ sæpius recensitos edit effectus; licet non raro quoque eorundem sterilis sit, ut ex Sanctorum actibus colligitur: siquidem hi frequenter ariditates, tristitiam, animique deiectionem patiebantur. Quare concludit Angelicus loc. cit. art. 4. *Devotio per se quidem principaliter spiritualem mentis lætitiā causat; ex consequenti autem, & per accidens causat tristitiam*.

III. Du-

III. Duplicem devotionis causam assignat D. Thomas *loc. cit. art. 3.* Altera est, & potissima, Deus ipse, qui ubi vult spirat, uberiorque effundit gratiarum, donorumque copiam, quando, & ubi, & quibus expedire sua infinita sapientia cognoscit. *Causa devotionis extrinseca, & principalis* (inquit) *Deus est: de quo dicit Ambrosius super Luc. cap. ix. quod Deus quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit; & si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset.* Altera causa interior est meditatio, videlicet tum divinæ bonitatis, clementiæ, aliorumque attributorum divinæ naturæ; tum nostræ egestatis, & infirmitatis. Priorem meditationem lætitia, & hilaritas consequitur; posteriorem humilitas, animi demissio, superbiæ, & vanitatis contemptio. *Causa autem intrinseca ex parte nostra* (pergit Angelicus) *oportet quod sit meditatio, seu contemplatio. Dicitur enim, quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est obiectum voluntatis. Unde & Augustinus dicit in Lib. de Trinit. quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradit divino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem que est parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundum illud Psal. lxxii. Mihi adherere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: & hæc consideratio excitat dilectionem, que est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo imitatur, secundum illud Psal. cxx. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum, & terram. Et hæc consideratio excludit presumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subiiciat, dum suæ virtuti imitatur.*

IV. De tempore quo urgeat devotionis actus, disputare Theologi solent. Salmanticensis *tract. xxi. cap. ix. punct. 2. n. 7.* cum Trullencho decernunt, difficile assignari posse tempus quo eiusmodi devotionis actus obliget, si sermo sit de obligatione *per se*; cum nullum sit eiusdem obligationi designatum. Hac ratione usi sunt Probabilistæ recentiores, maxime Tamburinus, ad tollendum de medio præceptum caritatis, fi-

dei, & spei, quorum nullum *per se* obligare vel intra quinquennium, vel in vitæ decursu docuerunt. Quare ex temporis indeterminatione difficile inferunt definiri posse momenta quibus tales actus urgeant. Hinc tamen minime inferri potest, numquam *per se* urgere istius virtutis obligationem. Immo adeo homini cuique meditatio necessaria est, sicuti fufius infra dicturi sumus, ut sine ea vix fieri possit ut salvus quispiam evadat. De tempore autem quo urgeat, idem dicendum ac de oratione, aliisque adfirmantibus mandatis. De obligatione *per accidens* planum est urgere, cum instet contrarii vitii periculum, nempe acediæ de rebus spiritualibus. Obligat quoque, dum actus religionis, aliarumque virtutum, ad quos edendos devotio requiritur, elici debent. Audiamus pium Caletanum *hic* in commentariis. „ Ex huiusmodi namque meditationibus, quæ quotidianæ esse debent in religiosis, & spiritualibus personis, omisso vocalium orationum multiloquio voluntario, devotio, aliarumque consequenter gignuntur virtutes: nec religiosi, aut religiosæ, seu spiritualis etiam nomine vocari potest qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. „ Quomodo namque effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque navigatione haberi nequit; sic nec religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, ac vehiculorum.“

## CAPUT IV.

De oratione, eiusque natura, & divisione.

I. **A**lter religionis actus oratio est, quam sic definit D. Thomas 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 1.* ex Damasceno. *Oratio est petitio decentium a Deo.* Singulæ particulæ definitionis patent. *Petitio* generis locum obtinet. Per hanc enim oratio convenit cum alia petitione, quæ oratio non est. *Decentium*, quod vices gerit differentiarum. Per hanc quippe particulam indicatur, decencia esse debere quæ oratione postulantur. *A Deo.* Hæc est ultima particula, quæ orationem actum religionis ostendit. A Deo enim solo petendo dona omnia tum naturalia, tum supernaturalia, confitemur illum omnium rerum principium, illius excellentiam reveremur, eidem subicimur, & nostræ egestatis præsidia ab illo solo petimus. Ex hac definitione hanc infert consequentiam Angelicus. *Ergo patet quod oratio, de qua nunc lo-*

quimur, est rationis actus. Cuius illationis hanc præmittit rationem. Res in ordinem digerere, ac in finem dirigere, actus est intellectus. Porro oratio, cum sit petitio auxiliorum, quibus hominis infirmitas sublevatur, re ipsa disponit, & dirigit; quæ munia ad intellectum pertinent. Igitur oratio actus est intellectus practici. Opponunt hic quidam Scholastici, quod religio est in voluntate, atque in eadem quoque constitui debet oratio; cum eiusdem religionis actus dicatur. At D. Thomæ affectu respondent nihil ob stare quod virtus religionis residens in voluntate, possit media alia potentia, non media alia virtute, actum orationis elicere. Et quia hæc præter institutum nostrum sunt, satis est eadem innuisse.

II. Oratio multiplex. Primum tribuitur in interiorem, seu mentalem, & in exteriorem, seu vocalem. Utramque nobis Scriptura sancta describit, commendat, iubet. De priori *Psal. xxvi. dicitur: Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: & Psal. xxxviii. In meditatione mea exarscet ignis.* Hæc oratio haudquaquam sita est in quadam mentali inertia, & otio, seu in sola suspensione intellectus, & in passiva quadam receptione, ut Quietistæ contendebant; sed in actibus intellectus, & voluntatis, quibus divina attributa, bonitatem, clementiam, & beneficia infinita quæ nobis confert Deus, ferventi studio recolimus, quibus nostram egestatem, atque infirmitatem perpendimus; in actibus amoris, desiderii, fiducia, aliisque piis affectibus, quibus cælestia concupiscimus, tota resplendet. Istius internæ orationis gradus supremus contemplatio nuncupatur, qua mens Deum ipsum, eiusdemque immensas perfectiones, veluti e sublimi specula, supra nubes, & inferiorum sensuum, ac humanarum affectionum, perturbationumque vicissitudines elata, summa tranquillitate contemplatur; eidemque cælesti quodam dulcedinis glutino, & ferventis amoris, castissimæque dilectionis vinculo iungitur. Verum de his consule mysticæ Theologiæ Doctores. Illud dumtaxat admonerim, contemplationem hanc sterilem, si vera sit, minime esse, sed christianarum virtutum fecundam. Quo ergo anima sublimioris contemplationis dono illustrata est, eo efficacius, & frequentius in christianarum virtutum exercitia erumpere debet. Quietistæ ex hac contemplatione itatum otii, quietis, seu suspensionis ab operationum exercitio inferebant, Quapropter merito damnatae

fuerunt ab Innocentio XI. anno 1687. propositiones, quarum censum dedimus capite primo huius Libri.

III. Altera oratio vocalis est, quæ mente, & verbis perficitur. De hac loquitur Apostolus ad Hebr. *xiiii. Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo, id est fructum laborum conscientium nomini eius.* Tametsi verba necessaria absolute non sint ut Deo egestatem nostram, & infirmitatem manifestemus, cum illum nihil lateat; nihilominus necessaria sunt hæc exteriora signa: tum quia homo mente, & corpore constat, & secundum utramque partem Deo se subicere debet, illique inservire: tum etiam quia non sola anima, sed & corpus divinis indiget auxiliis: tum denique quia hæc exteriora verba excitant interiores affectus, pioque animi motus facilius accendunt, & fovent; ac necessaria sunt ad manifestandam interiorem orationem, & ad excitandam proximi devotionem, quemadmodum loquitur Augustinus *epist. cxxi. cap. ix. In ipsa ergo fide, & spe, & caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequitur effectus, quem ferventius præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apostolus, Sine intermissione orate, quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla, nisi eterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Tandem dividitur oratio respectu hominis qui orat, in privatam, & publicam. Hæc a publico ministro peragitur; illa a persona privata ad sui libitum, & sola mente, vel mente & verbis simul fit. Publica vero semper debet esse vocalis, ut D. Thomas docet 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 12.* *Duplex est oratio: communis, & singularis. Communis quidem oratio est quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur: & ideo oportet quod profertur: quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est ut ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. Oratio vero singularis est quæ offertur a singulari persona cuiuscumque sive pro se, sive pro aliis orantis: & de huiusmodi orationibus necessitate non est quod sit vocalis.**



## CAPUT V.

## De orationis necessitate.

I. **T**Riplex fuit error circa orationis necessitatem, ut D. Thomas 2. 2. *quest.* lxxxiii. *art.* 2. testatur. Alter illorum qui divinæ providentiæ regimini res humanas subtrahebant, ex quo vanam esse, & inutilem orationem esse dicebant. De his dicitur Malach. iii. *Dixistis: Vanus est qui servit Deo.* Secundus illorum qui constituebant omnia ex necessitate evenire, sive ex immutabilitate divinæ providentiæ, sive ex necessitate stellarum, sive ex connexione causarum: quam positionem consequitur orationis superfluitas, & vanitas. Tertius illorum qui asseriebant divinæ providentiæ ordinem mutationi, & varietati obnoxium esse, eumque precibus nostris mutari. Hæc autem omnia explodit Angelicus I. *Part. quest.* xxii. *art.* 2. & 4. & alibi. Hic vero concludit, quod *ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proveniant.*

II. Disputant Theologi sit ne oratio necessaria necessitate quam vocant medii; ita ut nemo sine ea salvus fiat, vel fieri possit. Adfirmant D. Thomas *loc. cit.* & in *IV. dist.* xv. *quest.* xiv. *art.* 1. Durandus in *IV. dist.* xv. *quest.* xii. *num.* 5. Ioannes a S. Thoma 2. 2. *quest.* xxxviii. *dist.* xxvii. *art.* 3. Lessius *Lib. II. de iustit. cap.* xxxvii. *dist.* 3. Bonacina *disp.* 1. *de Hor. canonicis quest.* II. *punct.* 1. *num.* II. Layman *Lib. IV. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Azorius *Lib. IX. cap.* xxxiv. Filliucius *tract.* xxiii. *cap.* II. *quest.* III. Patricius Sporer *tract.* II. in *precept. Decal. cap.* VII. *sect.* 4. *num.* 21. Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap.* 10. §. 2. *num.* 2. Constantinus Roncaglia *tract.* VII. *quest.* 1. *num.* 5. Castropalaus *tract.* VII. *dist.* 1. *punct.* 9. Sylvius in 2. 2. *quest.* lxxxiii. *art.* 2.

III. Sunt aliqui, ut Ledesma, Aragon, Villalobos, qui contendunt orationem esse necessariam dumtaxat necessitate præcepti. Salmanticenses *tract.* XXI. *cap.* IX. *punct.* 3. §. I. *num.* 13. mediam se insistere viam aiunt, asserentes cum Auctoribus primæ sententiæ, orationem esse necessariam necessitate medii, si spectentur decreta divinæ providentiæ, statuentis auxilia divinæ gratiæ petentibus solum conferre. Ceterum, si absolute res consideretur, hanc necessitatem non agnoscunt. Hinc inferunt, non repugnare in aliquo raro

casu Deum non petentibus auxilia præbere. Verum hoc est, mea quidem sententia, divinare; & sine ullo fundamento Scripturarum, vel Patrum definire, quid Deus, præter leges constitutas a sua providentia, facturum sit; quod humanæ mentis profecto iudicium fugit. Theologi omnes necessitatem orationis defendentes loquuntur attento ordine præsentis providentiæ, & humanæ naturæ infirmitate considerata. Quod Deus aliqua auxilia ad ostensionem suæ liberalitatis valeat concedere non petentibus, nemo id negat, cum reapse primam gratiam prævenientem, primasque illustrationes non petentibus largiatur; immo aliquando hominum mentes prævenit, ut altiora petant.

IV. Missis itaque eventibus qui in alterius providentiæ dispositione accidere possunt, aut in aliquo perraro casu, quo Deus vellet auxilium quoddam etiam non petenti conferre, dico orationem esse necessariam ad perseverantiam, atque adeo ad salutem æternam, necessitate tum medii, tum præcepti. Quam sententiam non Theologi modo n. 2. relati, sed omnes communiter defendunt; nec video quod ab aliquo negari iure possit. Idque evincitur auctoritate Concilii Tridentini *sess.* VI. *cap.* XI. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis.* Hanc doctrinam pluribus in locis Augustinus docet. *Serm.* I. de S. Stephano. *Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Item de dono perseverantiæ *cap.* XVI. *Sunt etiam qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Immo, cum constet Deum alia etiam non orantibus, sicut in initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam; profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur ne dum non timemus, tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.* Gennadius etiam *Lib. de eccles. dogmat. cap.* lvi. hæc habet. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire: nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum nisi orantem, auxilium promereri.* S. Prosper *Lib. II. de vocatione gentium* necessitatem orationis cum divinæ providentiæ immutabilitate pulcherrime componit exemplo Tobie, qui, quamquam Deus ab æterno decrevisset sani-

tatem

tatem eius uxori conferre, iussus tamen est pro eadem orare. *Orationum sollicitudinem divinæ electionis proposito non resolvit, uno testimonio evidenter probabo, ut cetera studio brevitate omittam. In libro igitur Tobie ad filium eius Tobiam Raphael Angelus dicit cap. VI. secundum lxx.* Memor esto mandatorum patris tui, quoniam præcepit tibi accipere debere uxorem de genere patris tui. Et nunc audi me: noli computare dæmonium illud, sed postula eam. . . Surgite primum ambo: & deprecamini Dominum cæli, ut detur vobis misericordia, & sanitas: & nolite timere, tibi enim destinata est ante secula. . . . Quamvis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi. . . . cum implende voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritum. Ratione quoque ab humanæ naturæ fragilitate petita orationis necessitas evincitur. Tanta siquidem est humanorum appetituum adversus rationem, & mentem rebellio, & tanta colluctatio, ut sine gratia vix pugnare, nedum vincere possimus. Porro hic est a divina providentia institutus ordo, ut gratia hæc non impertiatur, nisi prævis precibus flagitetur. Quod Deus possit non petentibus dare, nemo in dubium vocaverit; sed in præsens nobis sermo est de orationis necessitate, posito divinæ providentiæ ordine. Nonne ipsius naturæ instinctus mendicium impellit ad eleemosynæ petitionem, & infirmum ad medicinam implorandam a medico? Coniunctio quoque Deum inter & hominem, mutuumque commercium eiusmodi orationis necessitatem ostendit. Si enim mutis, ignavis, otioque diffluentibus dona sua Deus effunderet, cum aliunde in terrena propensi sint, vix divini benefactoris, effectorisque recordarentur. Hæc ultronea, & liberalis donatio eorumdem ignaviam, otium, Deique oblivionem foveret. Quare magnopere elucet Dei misericordia in hoc ipso imposito onere petendi sua dona, cum eo pertineat pondus illud, ut homines Deo strictiori, perpetuoque ligamine iungat, utque mutuum coniunctionem servet, foveatque.

V. Nihil adversus hæc rationum momenta adversarii, quod obiciant, habent. Dicunt, Paulum non orantem, sed persequentem Christum, a Deo præventum, atque in sinum Ecclesiæ investum. Cur, inquiunt, ex natura rei pugnat quod aliquis sine precibus gratiam obtineat? Hæc sunt argumenta

quæ referunt Salmanticenses, qui ob eadem suam mediam excogitarunt viam. Verum laborant Auctores isti evidenti æquivoco. Nec enim quæstio est, impertiatur ne Deus quampiam gratiam alicui non petenti; quin, ut iam dictum est, primas illustrationes, gratiamque prævenientem, & excitantem absque precibus largitur. Concedimus Paulum Christum persequentem, secus orantem, a Deo vocatum. Quid inde? An non oravit Paulus, antequam reciperet a Deo lumen, quo mentis caliginem excuteret? Sed fac numquam preces suas Deo obtulisse. Hinc ne inferatur, ipsum sine precibus in gratia perseverasse, sine precibus æternam assecutum fuisse gloriam? Porro necessitatem orationis defendunt Theologi ad consequendam secundam gratiam, ad perseverandum in gratia, ad gloriam obtinendam: & hanc veritatem propugnant, spectato præsentis providentiæ ordine, & attenta humanæ naturæ infirmitate, & egestate. Quare aberrant toto cælo qui causam istam ad id revocant quod absolute, & ex natura rei non repugnat.

VI. Divinum orandi præceptum omnes ad unum Theologi adfirmant: illud perspicue produnt divina testimonia. Evangelista Lucas *cap.* XVIII. *Oportet semper orare, & non deficere.* Matthæus *cap.* XXVII. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: & cap.* VII. *Petite, & accipietis.* Paulus ad Theosal. v. *Sine intermissione orate: & ad Timoth. I. cap.* II. *Volo viros orare in omni loco. . . . similiter & mulieres.* Hoc peculiare mandatum his verbis demonstrat D. Thomas 2. 2. *quest.* lxxxiii. *art.* 3. *ad 2. Non solum petere que desideramus, sed etiam recte aliquid desiderare sub præcepto cadit: sed desiderare quidem cadit sub præcepto caritatis; petere autem sub præcepto religionis: quod quidem ponitur Matth. VII. Petite, & accipietis.* Ratio ex iis quæ dicta sunt, patet. Oratio necessaria est necessitate medii, attento præsentis providentiæ ordine, ut communiter fatentur Theologi; sed quæ necessaria sunt necessitate medii, necessaria etiam sunt necessitate præcepti. Verum divina oracula, egestas humanæ naturæ, necessitas coniunctionis hominum cum Deo, non secus ac rivulorum cum perenni fonte, adeo manifesta sunt, ut superfluat omnis ratiocinatio.

VII. Dissidium non parvum est inter Theologos super tempore definito quo mandatum illud per se obligat. Penes omnes certum est obligare indirecte, & ut aiunt, per accidens, tempore gravis tentationis, vel necessitatis

firatis acquirendi aliquod bonum, aut evitandi aliquod malum, cum opus aliquod arduum est aggrediendum; cum te vel contritione, vel sacramento ad gratiam disponere vis, & in primo instanti usus rationis; quidquid in contrarium scribat Castropalaus tract. VII. disp. 1. punct. 7. num. 4. ubi asserit sententiam de conversione hominis in Deum non esse adequate firmam. Nam illa est firma quam ipse docet, vix integro biennii spatio urgere præceptum amandi Deum? Sed hoc alibi. Lis ergo tota sita est in obligatione per se. P. Thomas Tamburinus Lib. II. in Decal. cap. 4. §. 2. num. 4. hæc scribit. Ego hic sentio quod sup. cap. 1. §. 1. num. 8. dixi de præcepto fidei, spei, & caritatis: non dari scilicet certum tempus, & determinatum, in quo directe obligat; sed esse illud in quo obligat indirecte, quando scilicet urget necessitas alicuius boni acquirendi, vel mali, vel tentationis avertende, quæ acquirere, vel avertere sine Dei auxilio non posse tunc animadvertimus. Multis opus non est, ut hanc opinionem refellamus. Siquidem doctrina quam de fidei, spei, & caritatis mandato Auctor iste tradidit, & ad quam hanc suam de orationis præcepto opinionem revocat, proscripserunt ab Alexandro VII. in propositione 1. Homo nullo unquam vita sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium: (illæ particulæ ex vi præceptorum idem præferunt ac directe, & per se:) tum ab Innocentio XI. propositione VI. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum. Tamburinus ibi constat in sua doctrina, quæ, exclusa obligatione directa caritatis, necessario reicere quoque debet directam obligationem orationis. Porro hanc doctrinam directe contineri in recensitis propositionibus proscripserunt, mihi certum videtur. Res sua natura patet: & utriusque præcepti eandem esse obligationem, Tamburinus ipse fatetur. Illud solum admonere iuvat, ex Tamburini doctrina consequi, homines exemptos per se esse a religionis colendi Dei iugo. Si enim absolute, & vi præcepti non tenerentur colere Deum, illum invocando, eique gratias pro acceptis beneficiis agendo; compertum est religionem nullam amplius futuram; deficiente siquidem eius actu præcipuo, qualis oratio est, ipsa quoque cessaret. Quod quam sit ipsi communi sensui, nedum christianæ professioni, adversum, nemo non videt.

VIII. Missa ergo Tamburini nimis laxa,

ne plus dicam, opinione, communis Theologorum sententia est, præceptum orationis per se aliquando obligare. Non convenit tamen penes omnes, quodnam sit tempus illud in quo obliget. Quod non obliget singulis temporis momentis præceptum istud, ut nonnulli hæretici contendebant, teste D. Augustino heres. LVII. cum id fieri nequeat, fatentur Catholici omnes. Suarez Lib. I. de orat. cap. ult. num. 16. Lessius Lib. II. de iustiz. cap. XXXVII. dub. 3. num. 12. Castropalaus tract. VII. disp. 1. punct. 7. num. 12. Ioannes a S. Thoma 2. 2. quæst. LXXXIII. art. 5. Prado Tom. II. cap. xxx. quæst. IV. num. 33. censent dilationem unius mensis gravi culpa non carere. PP. Salmanticensibus minis aspera, & severa videtur sententia hæc. Quare tract. XXI. cap. IX. punct. 3. §. 2. num. 17. definiunt semel tantum in anno urgere mandatum hoc, hac ratione, quod docuerint, semel quoque in anno obligare præceptum caritatis. Nos vero e contrario censemus, quod sicuti nostra sententia pluries in anno instant mandata fidei, spei, & caritatis, pluries quoque in anno urgeat religionis, seu orationis, mandatum. Quod autem laudata sententia, quæ singulis mensibus Deum precandi mandato astringi fideles docet, nec dura sit, nec severa nimis, evincitur facile: quia nemo sanæ mentis profecto gravis culpæ insontem assereret Christianum illum qui integro mensē in Deum nec semel mentem erigeret, nec quidquam ab eo peteret, nullumque cum illo orationis, ut ita dicam, commercium haberet. Nonne vel ipsius naturæ ratio, sensusque ipse communis tantum fœcordiæ, oblivionis, acediaque in religionis negotio gravis flagitii damnaret? Nonne quisque moratus Christianus sibi vitio verteret, & ignaviæ non levi, si vel integro die nil de Deo cogitaret, nullam illi offerret precem, eumque nec semel invocaret, nec eidem ulla referret grates? Quid quod divina oracula sine intermissione nos orare docent, monentque numquam ab oratione desistendum? Congruo igitur sensu, & humanæ imbecillitati accommodato explicanda hæc Evangelii oracula sunt. Causabuntur ne severitatis, aut rigoris nimii præfata oracula divina, quæ, nemine dissentiente, præceptum continent? Non hoc in sensu, quod continuatio orationis cadat sub præcepto; sed præceptum orandi exprimitur verbis quæ frequentes actus imponunt. Illæ ergo particulæ semper, sine intermissione non imponunt continuationem orationis sub præcepto;

cepto; sed indicant crebrius frequentandam esse orationem, atque orationi insistendum, ut D. Paulus monet. Clarius iam iam rem explicabo. Respondeas nunc velim. Dicendus ne est sine intermissione orare ille qui semel dumtaxat in anno orat? Quis defenderit, semper orare illum, & nunquam deficere qui ultimo tantum anni die mentem in Deum erigeret? Hæc potius paradoxa, & divinis oraculis, & rationi ipsi adversa sunt.

IX. Dicimus ergo servandum esse, quoad fieri potest, celestium oraculorum sensum, nimirum orationem nostram continuam esse debere, non physice, sed moraliter. Ad hanc vero moralem continuationem non est necesse quod continenter oremus; sed satis est ut frequenter quanta porro sit oporteat hæc frequentiam, ut moraliter sine intermissione orare dicamur, fateor me non posse ad apicem definire. Ad minus semel in mensē dicunt Theologi supra laudati. Adderem ego semel in hebdomada. Huius, tantum rigoris, & austeritatis? Austeritas hæc ex Evangelio, quod sine intermissione orandum docet, proficiscitur. Nec video quod congruentiori modo consistere hæc non intercisca continuitas valeat, quam si dicamus semel saltem in hebdomada orandum. Repeto quod supra indicavi, has particulas semper, sine intermissione non esse in mandato, sed sub consilio. Verum exprimentur nobis vim præcepti imponentis frequenter orandum. Quare frequentia hæc moralem continuationem præfert. Transcribam doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. XXXVIII. art. 16. in corp. De oratione dupliciter loqui possumus: uno modo secundum seipsam, alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu, vel virtute. . . . . Et secundum hoc oratio debet esse continua. . . . Sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua: quia oportet aliis operibus occupari. Clarius ad 4. ibi. Aliquis continue orat vel propter continuitatem desiderii, ut dictum est; vel quia non intermittit quin temporibus statutis oret, vel propter effectum, sive in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio. Non me latet hanc doctrinam non arrire P. Suarez Lib. I. de orat. cap. xxx. num. 4. Verum quod opponit tanti haud est, ut tempus teramus in longiore sermone; potissimum quod laudatus Auctor præter propter eodem capite num

Conc. Theol. Tom. II.

15. & 16. in D. Thomæ sententiam tandem concedit; ubi hæc scribit. Credo tamen tam necessariam esse orationem ad rectitudinem vite, ut non sit permittenda dilatio unius anni, nec fortasse unius mensis; quod usus fidelium satis confirmat. Vix enim invenietur aliquis tam negligens in divino cultu, & circa salutem suam procurandam, qui non aliqua privata oratione frequentius utatur. Quapropter in praxi non existimo esse necessarium, nos esse nimium sollicitos de tempore præciso huius obligationis, quia regulariter omnes præveniunt. Sed placet clarius adhuc rem hanc dispicere. Dico igitur præceptum orationis non modo singulis mensibus, aut singulis hebdomadibus, verum etiam singulis festis diebus ab Ecclesia præscriptis, urgere. Quia siquidem lege Ecclesia præceptum colendi Deum illigavit definitis diebus festis, eadem quoque determinavit præceptum orandi. Nonne fideles omnes festorum observatione astringuntur? Quomodo autem festa hæc servari, Deumque colere valent, oratione sublata? Eo ne festorum institutio pertinet, ut otio disfluant Christiani? Sola ne a corporeis laboribus abstinentia Deus colitur? Si præcipuus religionis actus oratio est, perspicue constat illos fideles diebus festis Deum non colere qui nullas Deo preces fundunt. Duplici itaque præcepto colendi, & orandi Deum fideles devincti sunt; altero naturali, divinoque, quod indefinitum est, plusque aut minus obligat iuxta circumstantiarum diversitatem; altero ecclesiastico, & determinato, vi cuius festis diebus, cum Missæ sacrificio interesse debent, Sacerdotum precibus suas addere debent, atque cum eisdem Deo sacrificio offerre, ceu membra, quæ unicum corpus efficiunt, cuius caput Christus est, cuius vices in oblatione sacrificii Sacerdotes gerunt. Hæc omnia tradit Angelicus in IV. Sent. dist. xv. qu. IV. art. 1. quæstionc. 3. Oratio cadit sub præcepto & determinate, & indeterminate. Determinate quidem ad aliquas orationes ex præcepto tenentur illi qui ex officio sunt mediæ inter Deum & populum constituti, sicut ministri Ecclesiæ: unde ex officio eis incumbit preces ad Deum in persona Ecclesiæ fundere: & ideo ex statuto Ecclesiæ tenentur ad horas canonicas dicendas. Sed indeterminate ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quæ non nisi divinitus dantur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ut ab ipso petantur; & etiam ex hoc ipso quod caritatis præcepto

N

tenet-

tenetur proximum sicut seipsum diligere, tenetur ei in necessitate beneficium esse, non solum per corporales elemosinas, sed etiam per spirituales; quarum una est oratio, ut prius dictum est. Sed omnibus etiam qui Ecclesiam ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse, cum ex canonum statuto teneantur diebus festis divinis officiis interesse, ut ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment. Hæc adeo perspicua sunt, ut interpretatione nulla egeant. Id solum est reliquum ut nimii rigoris spectrum, quod hodieum acriter oblici solet, exsufflemus. Quid namque oneris Christianis imponimus, quod reipsa Christiani bene morati non exequantur? Quis Christianorum solo fere naturæ lumine perfusus vitio sibi non duceret, si vel integrum transigeret diem sine ulla Dei recordatione? Quinam vel ipsorum qui ex infirmitate peccant, a culpa immunes se reputarent, si per integram hebdomadam nullam recitarent orationem, numquam in Deum mentem erigerent, nec ad petenda auxilia, nec ad rependendas pro acceptis beneficiis grates preces funderent? Quid quod ipsimet peccatores in sacramentali confessione, ut frequentissime ipse audivi, se de omissis consuetis in diem precibus accusant, culpæque reos iure ac merito sese existimant? Prudens Confessarius nullam reipsa experietur in praxi difficultatem. Nam Christiani optimis instructi moribus singulis diebus, nedum hebdomadibus, Deo preces offerunt. Si qui vero sint qui nec semel in hebdomada orant, dubio procul in peccatum corruent. Peccatores vero qui Dei numquam recordantur, orandi præceptum frequenter violant: tum quod tentationum fluctibus pene submersi a Deo auxilia, quibus evadant, petere negligunt; tum quod a terrenis animum paulisper seiungere ac in celestium veritatum meditationem erigere contemnunt. Christiani isti, mendici, superbi, agroti, ac stupidi sunt, atque adeo Deo perosi extrema premuntur egestate, & gravissimis laborant morbis. Si igitur aperire labia nolint, quibus propriæ infirmitati a divino medico pharmaca postulent necessaria, propriæque paupertati congrua subsidia; quis illos non arguet superbie, inertitiæ, atque impietatis in semetipsis, & ipsam Deum, quem ut supremum Dominum recognoscere, & adorare contemnunt?

X. Hinc colligas velim, nil severitatis doctrinam hanc continere, nullumque, præter evangelicum, animabus iugum imponere.

Continenter, & sine intermissione nos orationi insistere Deus iubet. Congruentius mandatum hoc explicare haud possumus, quam si ita illud interpretemur, ut sensus eiusdem servetur, & executio accommodata humanæ sit infirmitati. Dum autem statutus continuationem hanc moralem esse debere, quæ non exigit ut homo semper reapse oret, sed solum congruo tempore, & modo hominum conditioni apto; iam & legitimus divini præcepti sensus consistit, & homines minime duriore lege premuntur. Hæc quippe doctrina orationis exercitium fovet, Scripturas in obvio sensu interpretatur, unaque scrupulos abigit vel nimix sollicitudinis, vel extremæ ignavix. Siquidem mandata affirmantia, quæ indefinita, ad tempus quod attinet, obligationem imponunt, latitudinem excipiunt, parvitatem materiæ admittunt, potissimum in designando tempore quo tributum offerri debet. Quare nullis torqueri scrupulis debent Christiani, letaliter ne deliquerint ob quamcumque in orando negligentiam. Neque Confessarius debet, si quos tepidos, negligentisque invenerit, continuo, & sine prudenti iudicio gravis culpæ damnare. Cum enim difficile sit designare momentum illud in quo aut gravis urgeat obligatio, aut negligentia ad gradum mortalis culpæ pervenerit, prudentia summa opus est, antequam sententia proferatur.

XI. In dirimendis similibus controversiis pro fidelium directione hanc regulam servato. Certum est illos quoquo modo peccare venialiter qui orare, prout illorum fert conditio, negligunt. Satis hoc est ut hos increpes, corrigasque. Si confessiones excipis Christianorum quibus cor sapit, quique sint suæ salutis memores; ex centenis vix unum offendes qui pluries in diem non oret, Dei auxilium petendo, aut sanctum eius invocando nomen, aut grates illi referendo. Si perditæ, proiectæque conscientix fuerint, qui belluarum more, in continua Dei oblivione vitam degant, nulla in ferenda superiutorum itaru sententia aqua hæret: comperit namque est itos peccare. Non pauci Casuæ plus solliciti fuere de distinguendis peccatis letalibus a venialibus, quam de distinguenda malitia. Hanc porro malitiæ mentem pro arbitrio non raro definiunt. Nam una parte clare nobis innotescit præceptum divinum orandi sine intermissione; unde vero nos fugit, quanta requiratur temporis mora. Illud tamen nobis constat, Christianum quemque qui vel unicum diem

tran-

transigat, omni neglecta prece, levem aliquam perpetrare culpam. Hinc nos colligere debemus, suadendum esse frequens orationis exercitium, & increpandos negligentres. Sed, his fere omillis, acriter disputatur, quodnam sit spatium illud in quo quis mortaliter peccet, nisi oret. Et quia determinatum a lege tempus illud non est, statim conclamatur, scrupulis torquendas non esse fidelium conscientias. Quapropter in longum tempus trahendam esse inferunt non pauci divini mandati obligationem. Putant enim a scrupulis animas eximi, si a legis vinculo solvantur, aut eiusdem legis obligationem laxent. Facillime tota exhauritur difficultas. Experimento conscientiarum colligitur, quis fervet, aut violet orandi præceptum. Divi iusti in gratia non persitent, oratione contenta. Peccatores sine precibus haud a culpa resurgunt. Omnibus ergo precum frequentia inculcanda: & ex cuiusque animæ statu colligendum, quandonam gravis culpa contingat. Minus nobis probatur sententia quæ semel tantum in anno urgere præceptum contendit. Ut arbitramur, communis Christianorum sensus oppositum existimat. Pluries ergo non in anno modo, verum etiam in mense, quin & in hebdomada orare debet qui vel preferverare in gratia, vel culpam veniam a Deo impetrare desiderat. Quoties autem sub gravi culpa in hebdomada, in mente orandum, non ausim definire, nec definiri valet. Cum incertum ergo sit gravis obligationis tempus, & cum orationem continuam Deus iubeat, securiorem, & probabiliorem in tanto negotio amplecti viam debemus. Hæc porro probabilior via est, si moraliter continuas offerre Deo preces curemus. Id communiter præstant bene morati fideles, quorum vix unus est fortasse qui singulis diebus Deum non invocet, non petat auxilia, gratesque non reddat. Utinam omnes tam essent in bene orando ferventes, quam sunt in frequentanda oratione assidui! Exercitium potius orationis corrigendum est: quoniam, ut inquit alicubi Augustinus, ille recte novit vivere, qui recte novit orare.

XII. Ultimo loco inquirendum remanet, peccet ne contra religionis virtutem qui gravi tentatione pressus, puta contra castitatem, omitta prece, hanc violat: quod ita clarius proponi potest: Perpetrat ne talis duo crimina, alterum contra religionem, eo quod orationem negligit, ut tentationem repellat; alterum contra castitatem, quia tentationi assentitur? Negant Lessius *Lib. II.*

cap. xxxvii. dub. 3. Aragon. 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 3.* Villalobos *Tom. I. tract. xxiv. diff. 6. n. 3.* Prado *Tom. II. cap. III. quæst. IV. n. 46.* Salmanticenses *tract. II. cap. IX. punct. 3. n. 19.* Quorum hæc ratio est. Quando præceptum orandi urget ratione alterius præcepti, v.g. castitatis, ommissio orandi culpabilis est dumtaxat ob periculum violandi castitatis mandatum, quod obligat non solum ad castitatem servandam, sed etiam ad media adhibenda quæ huic fini congruunt.

XIII. Adfirmant e contrario Suarez *Lib. I. de Orat. cap. xxix. num. 8.* Ioannes a S. Thoma *disp. xxvii. art. 3.* Castropalaus *tract. VII. disp. I. punct. 8.* Medina apud Suarez in hanc eandem concedit sententiam. Perdoctus Suarez pro certo habet hanc esse D. Thomæ sententiam: quippe 2. 2. q. xxxviii. art. 3. ad 2. hæc scribit Angelicus: *Desiderare quidem cadit sub præcepto caritatis: potest autem sub præcepto religionis: quod quidem præceptum ponitur Matth. VII. ubi dicitur: Petite, & accipietis.* Hæc D. Thomæ sententia magis pia est, & rationi magis consentanea. Adde nostris temporibus esse fere certam. Nam præceptum naturale divinum positivum orationis peculiare est, atque per se obligat, nullo etiam ad tentationes, aliaque præcepta habito respectu. Quapropter diximus pluries in anno orandum esse, ut religionis obsequia Deo tribuamus. Urget præterea hoc idem præceptum tentatione premente contra aliud præceptum vel castitatis, aut fidei, ut adversarii fatentur. Hæc inter alia sunt definita tempora quibus implendum est præceptum religionis orandi Deum, & ab eodem petendi auxilia, quibus tentationum assequamur victoriam. Adversæ sententiæ æquivocatio in hoc tota sita videtur, quod existiment præceptum orandi tentationis tempore non imponere cultum Dei, sed totum esse ad finem sive castitatis, sive fidei servandæ: quod quam falsum sit, hoc pacto ostendo. Præceptum orandi peculiare est, & singulare religionis tributum Deo offerendum per se imponit. Hanc non audent propositionem negare adversarii; cum Theologi, uno Tamburino, vel altero excepto, communiter eam adprobent. Tempora quibus pensum illud religionis solvatur, sunt aut semel in mense, aut semel in hebdomada, aut semel, vel bis in anno iuxta multorum placita. Qui intra eiusmodi temporis intervalla orationis actum non exercet, dubio procul contra præceptum orandi delinquit. Præter hæc tempora sunt & alia, ut-

mirum illa in quibus tentationes imminēt gravissimæ aut desperandi, aut Deum odio habendi, vel desciscendi a fide, vel castitatem violandi. His in eventibus obligare præceptum dicunt, non *per se*, sed *per accidens*. Cur dicitur *per accidens*? Numquid ad tollendam obligationem eiusdem? Immo contra ad astringendam. Quare *Tò per accidens* non aliud indicat, nisi quod præceptum non obligaret, nisi tentatio urgeret, periculumque adesset peccandi. Obligat ergo præceptum tentationis tempore. Ergo omisso illud servandi criminosa est. Cur peccat Christianus, si nec semel intra annum orat? Quia semel in anno præceptum obligat. Ergo pluries peccat, si pluries obliget. Atqui iuxta adversarios ipsos pluries obligat, si pluries tentationes pulsant. Ergo peccant qui his tentationum intervallis non orant. Aut ergo negent adversarii oportet, præceptum orandi esse peculiare, & distinctum; aut concedant necessarium est, toties eum peccare, quoties non implet præceptum, dum obligat. Sub alio aspectu adversæ sententiæ hallucinationem excutiam. Præceptum orandi tentationis tempore non eo solummodo spectat, ut tentatio vincatur, verum etiam ut cultus Deo offeratur. Ideo enim talis a divina providentia institutus ordo videtur, ut tribulationum fluctus, & tentationum tempestates nos quodammodo confugere ad Deum cogant. Idcirco enim Deus frequenter nos tentari, & tribulari permittit, ut frequentius illum colamus per orationem. Et quamvis aliis actibus possimus Dei cultum testificari, inter præcipuos tamen religionis actus est oratio: quare peculiari mandato illam præcipit Christus Dominus: *Petite, & accipietis*. Accedit quod cum actus natura sua honestatem præferat ad salutem necessariam; propria virtus, ad quam talis pertinet honestas, obligat ad hunc actum. Neque doctrinam hanc negant adversæ sententiæ patroni, qui concedunt, præceptum orationis peculiare esse, & *per se* absolute obligare. Quo posito, ut sibi consentiant, nequeunt negare eiusdem violationem, quocumque tempore accedat, peculiarem contrahere malitiam.

## CAPUT IV.

*De conditionibus quæ comitari orationem debent.*

I. **P**lures sunt conditiones orationis. *Prima*, quod a voluntate deliberata pro-

cedat, sicut quodlibet opus bonum. Hæc tamen orandi voluntas necesse haud est ut explicita sit, & formalis; sed fat est virtualis. Si Psalterium, aut Breviarium animo studendi legeres, profecto non orares. Verum si Breviarium acciperes, ut debitum pensum Deo solveres, munerique tuo satisfaceres; quamquam expressa, & formali intentione careas, virtualis tamen adest. Altera conditio est attentio, quæ pariter aut expressa seu formalis, aut virtualis sit oportet. Tertia oratio est ascensio mentis in Deum, ut Augustinus, & Damascenus docent; aut petitio auxiliorum a Deo, ut ex D. Thoma docuimus; est denique patriæ cultus. Hæc autem fieri nequeunt absque attentione. Triplicem distinguunt Theologi attentionem, primam ad verba, secundam ad sensum, tertiam ad Deum. Harum quælibet sufficit. *Tertia* conditio est pietas, quæ eo spectat, ut pia, honesta, & decentia, atque propter honestum finem a Deo petantur. *Quarta* est humilitas, qua orans demisso animo se divinæ sicut maiestati, suamque extremam paupertatem, atque egestatem manifestat. Sic enim David sanctus orabat Psal. lxxix. *Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuva me.* Dicitur enim Eccli. xxxv. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* *Quinta* est fervor, quo preces Deo fundimus. Quæ enim vehementer desideramus, præsertim quoque petimus. Tepida, vel frigida oratio nulla est. Nos ipsi languidas dedignamur preces, tamquam argumenta animi qui parvi, aut nihili pendit quæ adeo languide exposcit. *Sexta* conditio est fides, qua firmiter credimus nos affecturos quæ petimus. *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis.* Item spes, seu fiducia, quæ fidem comitatur, animum erigit, atque sustinet. Spes timorem socium habet. Cuiusque dubitationis expers fides est. Idcirco, ut plus animi nobis Deus adiceret obtinendi quod petimus, non modo sperare, sed credere quoque vult nos affecturos quod postulamus. *Septima* conditio est perseverantia. Hanc perseverantiam pluribus in locis nobis altius inculcat Salvator noster, potissimum Luc. xi. exemplo, seu parabola amici qui media nocte ab amico tres panes petiit; quique, sui amicitie titulo, saltem propter importunitatem illos obtinuit. Huc pertinent oracula illa divina: *Oportet semper orare, & nunquam deficere: sine intermissione orate: & alia eiusmodi, quæ non tam continuationem, quam perseverantiam, & assiduitatem orationis nobis commendant.*

II. Qua-

II. Quatuor alias conditiones assignat Angelicus 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 15.* ut oratio obtineat id quod petit. Triplex assignari solet orationis effectus, nimirum meritum, satisfactio, & impetratio. Meritum ei debetur, quatenus ex caritate, media religione, proficiscitur, ut inquit Angelicus. *Oratio autem, sicut & quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice caritatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum cuius fruitionem meremur.* Procedit tamen oratio a caritate, mediante religione, cuius est actus oratio. Satisfactio quoque cuique meritorio actui convenit. Impetratio rei quam petimus, proprius est orationis fructus. Hæc quoque oratio, ut impetrans, suam efficaciam habet a gratia: quapropter subdit Angelicus ibidem: *Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit.* In responsione porro ad secundum argumentum quatuor conditiones describit, quibus secure impetremus quod postulamus. *Ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.* Prima ergo conditio pro secura, & certa impetratione est quod quis pro se petat. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo (inquit Christus) dabit vobis.* Ioan. xiv. Non dixit absolute, *Dabit*; sed *dabit vobis*. Ubi D. Augustinus tract. cii. in Ioannem hæc scribit. *Dabit vobis, quia sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis.* Altera conditio, quod necessaria ad salutem petantur, est etiam certa. Satis autem est quod sint omnino necessaria, aut quæ saltem ad salutem viam parent. Id patet ex divino oraculo. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo.* Ea autem Christi nomine postulatur quæ ad salutem ducunt. Tertia est quod *pie* petantur, videlicet pio animo, seu fide, spe, & caritate. De fide, & spe testatur Matth. xxi. *Si habueritis fidem, & non hesitaveritis, non solum de ficulnea facietis; sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare: fiet: & omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* De caritate hæc scribit Ioannes cap. xv. *Si manserint in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis:* quæ omnia intelliguntur in sensu conditionato: nempe si oratio habuerit conditiones necessarias, tunc firmiter credimus,

Conc. Theol. Tom. II.

certoque speramus nos affecturos quæ petimus. Ultima conditio est perseverantia, quam frequentissime nobis Scriptura inculcat, de qua etiam supra dictum est.

III. D. Thomas art. 16. inquit, utrum peccatorum orationes impetrent quidquam a Deo: cui quæstioni sic respondet. *In peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit.* Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id est secundum desiderium peccati, in hoc a Deo non auditur ex misericordia; sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius quæ concedit iratus, ut Augustinus dicit. *Orationem vero peccatoris ex bono nature desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia; observatis tamen quatuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.*

## CAPUT VII.

*Utrum solus Deus orandus sit.*

I. **H**actenus de honestate, & necessitate orationis, atque de conditionibus quæ eandem comitari debent, disputatum est. In præsens, cuiusnam sint preces nostre fundendæ, explicare convenit. D. Thomas 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 4.* quærit, sit ne solus Deus orandus. Decernit autem uno in sensu solum Deum orandum. Oratio enim actus potissimus est religionis, quæ Deum solum spectat seu finem, cui cultum suum offert. Accedit quod oratio sub aliqua ratione ad cultum patriæ pertinet. Cultus autem eiusmodi soli Deo debetur. Ratio autem peculiaris, vi cuius solus Deus orandus sit, hæc est. Solus Deus est primus, & unicus auctor omnium bonorum quæ nobis conferuntur. *Oratio porrigitur alicui, inquit Angelicus, dupliciter. Uno modo quasi per seipsum implenda; alio modo sicut per ipsum impetranda: Primo quidem modo soli Deo orationem porrigitur: quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam; quæ solus Deus dat, secundum illud Psal. lxxxii. Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

II. Hæc D. Thomæ ratio negotium aliquod facecit P. Francisco Suarez, qui Lib. 1. de orat. cap. ix. fuse eam explicat. Videtur

detur quippe præfata ratio diminuta esse. Siquidem non modo Deus solus orandus est, quia solus ille est auctor gratiæ; sed etiam quia ipse solus potest eam dare propria virtute. Accedit quod non solum Deus auctor est gratiæ, & gloriæ; verum etiam bonorum omnium quæ nec gratia, nec gloria sunt. Ergo non solum gratia, & gloria, verum etiam alia bona a Deo solo, ut prima & principali causa, perenda sunt.

III. Caietanus in commentariis ad hunc articulum multa adducit in explanationem angelicæ doctrinæ, quæ omnia eo pertinent, ut oratio, quæ non est ordinata ad affectionem gratiæ, & gloriæ, non sit vera oratio, & actus religionis, quæ Deum spectat tamquam finem, cui suam exhibet cultum. Doctrina Caietani Suarezio non arridet. Verum post longam impugnationem ambo tandem conveniunt: quorum omnium hæc est summa. Primum, quod nomine gratiæ non solum dona supernaturalia, sed quæcumque beneficia homini indebita, & a Deo solo peculiari providentia danda, intelligere possumus. Alterum, & hoc est potissimum, quod D. Thomas de ea oratione sermonem habet quæ promissionibus Dei innititur, seu de oratione christiana. Hæc autem non est de bonis inferioris ordinis, nisi prout viam sternunt ad bona divina, nempe gratiam, & gloriam. Omnia enim in hunc finem dirigere Christianus debet. Hic est genuinus doctrinæ angelicæ sensus, qui, ipso Suarez interprete, optimus est, veramque orandi rationem, quæ Christianum decet, ob oculos ponit.

IV. Aliam proponit laudatus Suarez difficultatem adversus rationem D. Thomæ, quod nimirum ex ea sequatur, nos non posse ab una divina persona quidpiam postulare, quin ab omnibus tribus petamus. Quippe opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Praxis autem Ecclesiæ contraria est. Siquidem in litanis singillatim singulæ personæ invocantur. *Pater de calis Deus, miserere nobis. Fili Redemptor &c.* Frequentior quoque usus est dirigendi orationem ad Patrem, ut patet ex collectis quæ in Ecclesiæ precibus adhibentur, quæque sic desinunt: *Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum &c.*

V. Hanc difficultatem resolvit idem Suarez, qui peroptime docet, nunquam invocandam esse unam personam cum reliquis in exclusionem: quia una sine altera donare quæ petimus non valet ob rationem indicatam,

quod opera Trinitatis ad extra sint communia, & indivisa; stultitiamque redoleret similis petitio. Hinc tamen haud impeditur quominus valeamus dirigere locutionem nostram ad unam personam, aliis duabus ommissis, non tamen exclusis. Si quidem personæ itæ reapse distinctæ sunt, & possumus cogitare de una, inquit laudatus Suarez, quin cogitemus de alia; & unaquæque vere Deus est: atque adeo a qualibet illarum petere licite possumus auxilia necessaria. Quod confirmat consuetudo Ecclesiæ, quæ & sigillatim, & omnes simul invocat. Nam post singularum invocationem omnes simul adorant dicens: *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.* Qui orandi usus eo spectare videtur, ut fidem de personarum distinctione, & de unitate naturæ, qua omnes tres unus Deus sunt, foveat. Quando ergo Ecclesia in suis collectis orationem dirigit ad Patrem, ceteras personas non excludit, sed potius includit. Ecclesia dirigere ad Patrem solet preces suas, tamquam ad primum principium, & fontem Divinitatis, ut docet D. Thomas in IV. dist. xv. quæst. iv. artic. 5. Insuper Pater proprie misit Filium suum in hunc mundum; quamquam reapse omnes tres personæ operatæ sint incarnationem. Et hac ratione nonnullæ preces ad solum Filium diriguntur, quia ille solus incarnatus est. In collectis suis Ecclesia non dirigit preces ad Spiritum sanctum: quia, inquit D. Thomas loc. cit. quæst. III. ad 2. Spiritus sanctus procedit ut donum, cuius magis proprium est dari quam dare; & ideo Ecclesia petere magis solet ut sibi a Patre, & Filio donetur Spiritus sanctus, quam ab ipso Spiritu sancto aliquid postulare. Accedit quod Spiritus sanctus nec est principium Deitatis, sicut Pater, nec factus est homo, sicut Filius. Quamvis autem in collectis Ecclesia ad Spiritus sancti personam preces non dirigat, in hymnis tamen, in litanis eundem Spiritum singillatim invocat: *Nunc sancte nobis Spiritus. Veni Creator Spiritus &c.* Orari etiam Deus potest, quin ad aliquam personarum expressum respectus habeatur. Eo ipso enim quod expresse non excludantur, re includuntur. Immo in nonnullis Ecclesiæ precibus oratur ipsa Deitas in abstracto: *Te summa Deitas &c.* Si plura aves, leges D. Thomam, & P. Suarez loc. cit. qui fultus hæc omnia explicat.

## CAPUT VIII.

## De Sanctorum invocatione.

Utrum vi præcepti teneamur invocare Sanctos.

I. Deum solum invocandum, orandumque, prout est solus auctor gratiæ, & gloriæ, ac omnium rerum præpotens effector, & conservator, hæctenus ostensum fuit. Quapropter Sancti orandi minime sunt ut auctores divinarum beneficiorum, aut gratiæ, vel gloriæ. Nihil sub hac ratione ab eis petendum: quod non voce modo, ut Calvinistæ calumniantur, verum etiam ipso usu, & praxi docent omnes Catholici. Legantur omnes libri, precesque quas Sanctis in eorum celebritatibus Ecclesia fundit. Non aliud in his occurrit, nisi Sanctorum invocationes, ut pro nobis apud Deum orent, & intercedant. Iste omnium Catholicorum sensus est, qui non tam ex verborum cortice, quam ex intimi cordis dictatis colligendus est. Quare, dum aliquando in similia verba erumpimus, *S. Petre, salva me: S. Antoni, da mihi corporis sanitatem &c.* non aliud intelligimus quam ut sua intercessione a Deo hæc nobis obtineant. Dum Virginem sanctissimam alloquimur in hymno: *MARIA mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe:* eodem in sensu, ut meram deprecatricem invocamus. Quid quod hac eadem via exponere debemus verba D. Pauli ad Rom. xi. *Ut salvos facerem aliquem ex illis:* & ad Cor. I. cap. ix. *Ut omnes salvos facerem?* Numquid Calviniani Paulum incusabunt, quod se redemptorem, non intercessorem, non adiutorem, iactaverit?

II. Accedit quod in hoc intercessorum genere Sancti non proximi, & immediati intercessores sint. Christus quippe est noister primus advocatus, & intercessor, qui solus Deo mundum reconciliavit, solusque dignam, & superabundantem oblationem pro peccatis nostris Deo obtulit. Dum ergo Sanctos invocamus, petimus ut per IESU CHRISTI merita apud Deum pro nobis intercedant; petimus ut id ipsi orent quod & nos ipsi oramus. Sed quia propinquiores, magisque grati sunt Deo ob sanctitatem qua ornantur; idcirco ad eorum patrocinium, & intercessionem confugimus, ut apud Deum per Christi merita nostri mediatores existant.

III. Porro haud sunt inutiles preces no-

stræ Sanctis factæ: quippe reipsa pro nobis orant, & intercedunt tum in genere, tum in particulari: quod pluribus Scripturarum testimoniis evinci potest; sed hæc testimonia legi possunt apud Gravinam, Bellarminum, Gotti, Natalem Alexandrum, aliosque pene innumeros catholicos Doctores, qui adversus Calvinum, & Lutheranos hanc catholicam veritatem propugnarunt. Ratio quoque ex ipsius fidei articulis eruta id evincit. Una quippe est Ecclesia militans, & triumphans sub duplii statu distincta. Tam Sancti in patria, quam Sancti in via unum efficiunt corpus mysticum, cuius caput Christus est; & Sancti omnes, sive ambulantes in terris, sive quiescentes in patria, sunt membra de membro. Porro cuiusque membri proprium est aliis membris inservire, & opem eisdem ferre.

IV. Quemadmodum autem solus Deus orandus est ut supremus, & primus, ac unicus auctor gratiæ, & gloriæ; ita quoque soli Deo cultus latræ debetur propter infinitam eius excellentiam; Sanctis vero cultus inferior, qui *dulia* vocatur. Iulianus Apostata primus omnium Sanctorum cultui bellum indixit, quem secuti sunt Eustathius Sebastensis Episcopus, Vigilantius, VViclephus, Lutherani, Calviniani, ceterique recentiores Apatholici. Ecclesia catholica deservit honorandos, colendosque Sanctos esse: idque evincunt Doctores catholici omnes innumeris Scripturarum testimoniis, atque perenni Patrum traditione. Si enim personæ cultus civilis debetur propter naturalem dignitatem, potiori iure cultus religiosus exhibendus est Sanctis propter excellentiam ordinis superioris, & supernaturalis. Sancti amici sunt Dei. Porro Scriptura dignos honore Dei amicos prædicat: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus:* Psal. cxxxviii. Verum, ne actum agam, qui cupit rationum momenta quæ evincunt Sanctos colendos esse, consulat Bellarminum, Gravinam, Natalem Alexandrum, Liberium, Gotti, & sexcentos alios Theologos, qui veritatem hanc strenue propugnarunt. His tamquam certissimis conititutis, ad id quod propositum, accedendum.

V. Duo de Sanctorum invocatione explicanda sunt: alterum penes omnes Catholicos certum; alterum quod disputationi obnoxium est. Primum certum de fide est, videlicet *pie, atque utiliter Sanctos, sive Angelos, sive homines, invocari.* Veritas hæc definita est in Concilio Tridentino adversus

Lutheranos, & Calvinistas his verbis fess. xxv. Mandat S. Synodus omnibus Episcopis &c. ut iuxta catholica, & apostolica Ecclesie usum, a primævis christiane religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum confessionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare: & ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Extra disputationem igitur est bonam, utilemque esse Sanctorum invocationem. Hanc veritatem firmis momentis muniunt laudati Theologi adversus Protestantés.

VI. Alterum quod in disputationem venit, est, sit ne eiusmodi Sanctorum invocatio Catholicis vi alicuius præcepti imposita; ita ut Catholicis lege graviter obligante Sanctorum opem invocare adstringantur. Vix est inter Theologos Polemicos qui hanc verset questionem. Hi quippe contenti fuere ea solum propugnare, atque explicare quæ Catholicos inter & hæreticos in discrimen adducta sunt. Porro certum est nullum extare mandatum expressum sive divinum, sive ecclesiasticum quod Sanctorum iubeat invocationem: quoniam neque ex Scripturis, neque ex Conciliorum aliquo id erui potest. Quare Tridentinum, quod pressius rem discussit, bonam dumtaxat, ac utilem definit Sanctorum invocationem. Hoc tamen nihil impedit quominus Theologi disputare ea libertate quæ Scholis conceditur, valeant, sit ne invocatio isthæc vi alicuius præcepti debita. Plures quippe in Ecclesia sacra obtinent consuetudines, moresque, quorum clara præcepta nondum rogata fuere. Et nihilo scius disputant Theologi, sint ne eiusmodi in mandatis.

VII. Primus quem ego legerim istius expressi præcepti assertor est Franciscus Sylvius, qui 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 4. concl. 2. hæc scribit. „ Si queratur, sit ne præceptum „ quod tenemur interpellare Sanctos ad oran- „ dum pro nobis; respondendum est affirma- „ tive: quia lege naturali tenemur eum or- „ dinem observare quem Deus instituit. Or- „ dinavit autem Deus ut inferiores ad sa- „ lutem perveniant subsidio superiorum im- „ plorato. Ergo debemus Sanctorum, quia

„ nobis superiores sunt, implorare subsidia. „ Accedit quod nostra indigentia tanta est, „ ut lege naturali merito exigat quod hoc „ medio utatur. “

VIII. P. Liberius a Iesu Carmelita in suis Controversiis Dogmaticis Tom. I. part. II. controvers. xi. coroll. notab. narrat, circa initium huius sæculi, quo scribebat, in urbe lites inter catholicos Doctores excitatas super hac questione de præcepto invocationis Sanctorum. Anno vero elapso 1740. Salisburgi occasione eiusmodi questionis tumultus, clades, iurgia, seditionesque ebullisse ferunt. P. Placidus Bockhn Ordinis S. Benedicti orationem e suggestu ad Academicos auditores habuit, in qua præceptum vigere invocandi Sanctos demonstrare aggressus est, accitis undequaque tum e Scripturis, tum ex Patribus cuiusque sæculi documentis. Orationem notis adiectis germanice, & latine typis evulgavit. Quo animi sensu exceptum fuerit ab Eruditis Iuvaviensibus proculsum opusculum, si quis assequi cupit, legat librum inscriptum, *Vindicta adversus Sycophantes Iuvavienses*. Nec enim mea interest his rumoribus immisceri.

IX. Omnium Theologorum quos mihi legere contigit, solus laudatus P. Liberius Carmelita controversiam hanc ex instituto discussit. Defendit ille non modo adversus heterodoxos honestam, utilemque Sanctorum invocationem; verumetiam lege, præceptoque devinctos fideles ad opem Sanctorum implorandam. Præceptum istud cum ceteris Theologis ultro fatetur nec divinum, nec ecclesiasticum esse, sed naturale. Animadvertendum tamen, quod in præsentis status, cum natura humana ad ordinem supernaturalem everta sit, quando Theologi dicunt nos vi legis naturalis ad aliquid agendum altrungi, haudquaquam excludunt principia, & leges supernaturales, immo eadem includunt. Eo ergo in sensu præceptum colendi, invocandique Sanctos naturale asseritur, quia positus principis generalibus religionis catholice, mens humana iisdem illustrata vi naturalis ratiocinii infert cultum, invocationemque Sanctorum.

X. Antequam rationes perstringo quæ pro istius invocationis præcepto afferri solent, illud præmittere operæ pretium existimo, licite quemque Catholicorum posse in utramque partem disputare. Quippe convenit penes omnes, Ecclesiam adhuc non definiisse, omnes, & singulos fideles aut ligari, aut exemptos esse a lege invocandi Sanctos; sed

dum-

dumtaxat bonam, utilemque esse eorundem invocationem. Ob hoc tamen quod Ecclesia perspicue non declaraverit, hoc extare præceptum, continuo inferri non potest, vetitum Theologis esse disputationem intra iustos limites coercitam instituire. Plurima quippe sunt a quibus definiendis ob causas æquissimas abstinuit Ecclesia, quæque libera Theologorum permisit disceptationi. Illud quoque extra disputationem constitutum est, præceptum colendi, invocandique Sanctos in Ecclesia catholica obtinuisse semper respectu communitatis fidelium: quod significanter exprimit Theologi Scholastici dicentes pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Sacerdotes enim vi præcepti tum in Missa, tum in divinis laudibus Sanctos colunt, & invocant. Ex his duobus sponte fluit tertium, nemini licitum esse in alterutram partem censuram quampiam intorquere, propterea quod aut rejiciat, aut propugnet eiusmodi invocationis præceptum, non tamquam quid definitum ab Ecclesia, sed tamquam probabilibus documentis innixum. Utrum postea expediat contentio- nis funem texere super hac questione, infra quid ipse sentiam manifestabo. His delibatis, rationum momenta quæ præfatus P. Liberius fuso calamo expendit, paucis perstringam.

XI. Et primum Iob cap. ult. vers. 8. dicitur: *Ite ad servum meum Iob, & offerre holocaustum pro vobis. Iob autem servus meus orabit pro vobis.* Hinc Catholici omnes colligunt, absolute & universim, tamen oraculum peculiare sit, utilem esse, bonamque invocationem Sanctorum. Porro, cum hæc verba vim præcipiendi clare prodant, quidni legitime inferri valeat præceptum universale pro omnibus fidelibus, quemadmodum Doctores inferunt omnibus utilem esse invocationem istam? Et reapse in laudato textu præceptum contineri conceptis verbis adfirmat sapiens, ac pius Bellarminus Lib. I. de Sanctis. B. cap. II. ad sextum argumentum, quod his verbis sibi obiicit. *Nul- lum extat Scripture mandatum, vel promissio de invocatione Sanctorum: non igitur Sancti invocandi sunt.* Cui argumento hoc præbet responsum. *Quod ad mandatum attinet, nullum certe mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit. Exempla plurima sunt in utroque testamento, ut supra demonstravimus. Promissio denique minime desideratur, cum innumerabilia signa & prodigia ad invocationem Sanctorum facta, satis re-*

*stentur, Deum audire eos qui Sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquid a Deo adhibent. Quamquam in Lib. Iob cap. ult. particulare mandatum, exemplum, & promissionem habeamus: ex quibus de toto genere invocationis iudicari potest. Ite ad servum meum Iob: en mandatum. Et orabit pro vobis: en exemplum. Et ego suscipiam faciem eius, ut non vobis imputetur stultitia: en promissio. Mandatum itaque hic agnoscit Bellarminus. Nec refert quod peculiare sit. Nam etiam adolescenti petenti, quid sibi aciendum sit pro æternæ vitæ consecutione, respondit Dominus Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quis hinc inferre ausit, illi tantum adolescenti, & non omnibus iis qui æternam beatitudinem assiqui volunt, impositam esse mandatorum observationem?*

XII. Altera rationitur præcepto quo fideles obstringuntur, ut vicissim pro se ipsis, dum vitam degunt, orent. Quod mandatum a nemine iare negari potest, cum perspicue habeatur in verbo scripto: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Iacob. V. Hanc rationem peroptime confirmat Angelicus in IV. dist. XLV. quæst. III. art. 2. ad 2. *Sancti qui sunt in patria, magis sunt accepti Deo quam in statu viæ. Sed Sanctos qui sunt in via, constituere debemus interpellatores pro nobis ad Deum, exemplo Apostoli, qui dicebat Rom. XV. 30. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per caritatem Spiritus sancti, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Ergo nos multo fortius petere debemus a Sanctis ut nos iuvent orationibus ad Deum. Quod iterum repetit, & confirmat 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 7. ad 1. ubi explicans dominicam orationem advertit petitiones pro pluribus esse. *Dicendum, quod, sicut Cyprianus dicit in Lib. de orat. dom. idcirco non dicitur Pater meus, sed noster, nec da mihi, sed da nobis, quia unitatis magister noluit privatam precem fieri, ut scilicet quis pro se tantum precetur: unum enim orare pro omnibus voluit, quoniam in uno omnes ipse portavit.**

XIII. Ex quibus hæc conficitur argumen- tatio. Nemo in controversiam vocat præceptum mutua orationis inter vivos. Porro qua ratione hoc admittitur præceptum, eadem admitti debet & aliud colendi, invocandique Sanctos: quippe communio Sanctorum, qua omnes tamquam membra unicam constituimus corpus, non solum eos qui

qui vitam mortalem degunt in terris, verum etiam eos qui vitam beatam vivunt in caelis, comprehendit. Hæc autem communio sua natura exigit mutua membrorum officia. Aut ergo negent oportet unicam esse Ecclesiam Sanctorum sub diverso statu militantis, & triumphantis; aut concedant necessum est hanc mutuam omnium communicationem, reciprocamque invocationem. Quæ sane ratio potiori iure evincit præceptum invocandi Sanctos in caelis existentes, quam vivos in terris peregrinantes a Domino. Siquidem talis est a divina providentia institutus ordo, ut infima per media ad Deum assurgant. Inter Deum autem & nos medii sunt Sancti, qui, utpote Deo propinquiores & proximiores, atque excellentiori sanctitate fulgentes, & efficacius intercedunt, & securius a Deo, qui constituit per eosdem in nos sua auxilia derivare, exaudiuntur. Quam rationem sic exponit D. Thomas in IV. dist. xlv. quæst. v. art. 2. *Iste ordo est institutus in rebus secundum D. Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum: unde cum Sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divina legis ordo requirit, ut nos, qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in Deum per Sanctos medios reducamur: quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas suum effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos: sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt; ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia eius sumamus, mediantibus Sanctis: & inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, & quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent. Hæc omnia magis elucet in Angelorum invocatione, de quibus scribit D. Paulus ad Hebr. cap. i. *Nonne omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis? Deus ergo constituit Angelos nostros advocatos, & custodes, ut nobis assistant, & nos dirigant. Negabis ne hunc a Deo constitutum ordinem, quo nos omnes Angelorum ministerio regamur? Si igitur nostri sunt patroni, & custodes a Deo nobis dati; nostrum non erit, urgente necessitate, eorundem opem implorare? Quis ita desipiat, inquit peroptime Caietanus Tom. III. opusc. tract. XII. cap. iv. ut asserat non posse, immo non debere pupillum, aut peregrinum illius advocati præsidium petere quem sibi a Principe de-**

stinatum scit ad suam in Curia perorandam litem? Agelis. Quia Deus constituit IESUM CHRISTUM Filium suum nostrum primum apud se advocatum, ut interpelleret pro nobis; nonne præcepto devincimur ad eiusdem invocationem? Si ergo Deus pariter constituit Angelos, tamquam inferiores, & secundarios patronos, & advocatos, custodesque nostros; qua ratione ab eorundem invocationis debito liberi erimus? Utiq; solus Christus est noster primus, immo unicus mediator, unicus & solus qui propriis, & non alienis meritis apud Patrem mereatur salutem nostram, & pro eadem orat, & intercedit. Idcirco ad Christum primum omnium confugere, & recipere nos debemus, & omnia eiusdem meritorum intuitu petere. Hoc est primum nostrum debitum, hoc potissimum est mandatum. Ergo, cum Deus Angelos destinaverit, ut æternæ salutis nostræ negotio invigilent, tamquam ministri inferiores, & medii inter Christum & nos, ut nomine, & meritis eiusdem Christi Domini pro nobis intercedant, impetrent, postulentque supplicias; quis inficias ire ausit, nostri muneris esse eosdem suppliciter invocare? Iterum igitur arguo. Aut negent ministerium, & custodiam quam in homines Angeli, Dei dispositione, & mandato, exercent; aut concedant oportet nos lege teneri ad eosdem invocandos. Nimis enim a ratione, & a recto ordine abluat quod Deus voluerit eos nobis patronos destinare, & quod ab eorundem implorando subsidio, egestate premente, nos exemerit. Porro quod diximus de Angelis, idem de Sanctis asserendum. Omnes quippe Catholici fatentur Ecclesiam regno, exercitui, & familiæ comparari. Iltius principatus, exercitus, & familiæ non modo Angeli, verum etiam sancti Apostoli, ceterique a Deo instituti sunt præsidēs, & rectores proximi, & inferiores. De his enim dicitur: *Constitues eos Principes super omnem terram. Nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Nos ergo, veluti pupilli sub tutoribus Angelis, & Sanctis peregrinamur a Domino, ut inquit D. Paulus ad Gal. iv. *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus usque ad præfinitum tempus a Patre.* Præsidēs, tutores, & custodes vi officii proprii invigilare pupillis, & familiis sibi commissis debent. Porro qua ipsi lege astringuntur munere proprio fungi, eadem pupilli tene-

tenentur tutoribus suis, ac patronis aperire proprias egestates, infirmitates, atque superiarum necessitatem. Hæc ratio, ut ego quidem arbitror, non decentiam modo, sed necessitatem quoque infert.

XIV. Hæc omnia, inquis, per Christum, qui est mediator Dei, hominumque, petenda sunt. Verum præter ea quæ dicta sunt adversus responsum istud, iterum illud repellere lubet D. Thomæ verbis ex II. Sent. dist. xxvii. art. 6. ad 2. *Meritum Christi est sicut radix omnium meritorum, a quo omnium merita efficaciam trahunt: unde est quodammodo sicut causa universalis, quam oportet ad effectus determinatos applicari per causas particulares, sicut sunt sacramenta, & orationes Ecclesie: & inde est quod non tantum Christum oramus, sed etiam Sanctos eius, quorum meritis, & precibus eius auxilium percipimus.* Quamquam Christus Dominus sit noster primus, & principalis solus mediator, atque suo infinito meritorum valore nos redemerit, nobisque ianuam cæli aperuerit, vult tamen ut sua merita mediis sacramentis a se institutis nobis applicentur: quia, cum ipse causa sit universalis salutis nostræ, ministerium inferiorum causarum in suæ Ecclesiæ regimine adhibere voluit. Igitur sicuti hunc præfinitum ordinem servare tenemur in sacramentorum perceptione, ita eundem servare debemus in Sanctorum invocatione. Porro quod hæc invocatio, seu Sanctorum ministerium, & officium immenso Christi merito non modo nullum irroget præiudicium, sed eiusdem augeat splendorem, & maiestatem, hinc sane patet quod ille ipse hunc ordinem constituerit. Et quis unquam dixerit, Regis maiestatem vilescere, quod immensam habeat Principum, & ministrorum multitudinem, quorum intercessione beneficia sua distribuere velit; iubeatque subditos ab his sequestribus gratias postulare? Quis negaverit in maiorem Regis splendorem immo hæc omnia cedere? Sed audiamus Anglicum Doctorem in IV. dist. xlv. quæst. III. art. 2. *Sicut non est propter defectum divine potentie quod mediantibus secundis causis agentibus operetur; sed est ad complementum ordinis universi, & ut eius bonitas multipliciter diffundatur in res, dum res ab ea non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordie ipsius quod oporteat eius clementiam per orationes Sanctorum pulsare: sed est ad hoc ut ordo prædictus conservetur in re-*

bus. Dicit fortasse quispiam, D. Thomam ex Pseudo-Dionysio doctrinam quam hætenus adduximus, quemadmodum & plurimalia, mutuatum fuisse. Porro Pseudo-Dionysius platonice commentis refertus est, ut inquit pereruditus Anonymus, qui non ita pridem hoc de argumento dissertationem elegantis stilo exaratam publici iuris fecit. Silentio nunc præterire iuvat, constitutum adhuc non esse extra cuiusque disputationis aleam, supposititia esse opera Dionysio adiudicata. Sed hæc etiam facta positione, quid hinc? Commentum ne platonice est ordo iste quo ad Deum Sanctorum ministerio ascendimus? Scilicet, inquit. Nemo quippe, nisi hospes prorsus in Philosophia sit, ignorat a Platonice varios dæmonum, geniorumque gradus confictos, quorum ope homines ad Deum ascendunt. At nunquid eadem est Catholicorum doctrina, qua Angelos, Sanctosque Deum inter & mortales homines medios asserimus, cum Platonice de dæmonum, geniorumque præfinitis? Pseudo-Dionysius platonice commentis refertus est, potissimum quod Angelorum, Sanctorumque ministerio Deum uti in universi regimine asserat; quod homines eorundem intercessione ad Deum ascendere doceat? Qui hæc obruderet, non modo philosophica, sed & christiana dogmata ignoraret. Perperam ergo, ut platonice commentum, reiicitur doctrina quæ habetur in Libro sub nomine Dionysii vulgato. Quis eruditorum ex Catholicis saltem Dionysio opus de cælestibus hierarchiis abiudicavit, quod præfinita, & deliria Platonice ibidem doceat, aut tueatur? Id solum quidam obiciunt, quod Dionysii tempore tam compta non erat de Angelorum ordinibus doctrina, quemadmodum ipse enucleate explicat. Nemo vero illius doctrinam Platonice lue inquinatam criminatus est. Lubet verba transcribere P. D. Nicolai Le Nourry ex Apparatu ad Biblioth. Max. Vet. Patr. dissert. x. cap. xviii. ubi post relata utriusque partis argumenta super hac controversia, hæc scribit. „ Quædam alia argumenta ab „ Antiareopagiticis adferuntur, quæ quia „ vel levissima sunt, vel veritati, certæ „ que orthodoxorum doctrinæ, & traditioni „ palam refragantur, iis excutiendis, & re- „ censeendis lubentes superfedemus. Quid e- „ nim, ut cetera taceamus, levius eo mo- „ mento quod plenis buccis concrepant, do- „ ctrinam de Angelorum hierarchiis, & or- „ dinibus, quæ tam enucleate ab Auctore „ no-

nostro explicatur, Dionysii saeculo fuisse incompertam? Nihil quippe de his ille docuit quod ex Scripturis sacris, ac maxime Pauli epistolis primitus non accepit. Non imus quidem inficias, illum pro ingenii sui viribus, ea quae ex sacris fontibus hauserat, fusus enodasse, atque etiam amplificasse. Sed nulli mirum videri debet, hominem doctum, & ingeniosum, multaque platonicae Philosophiae eruditione praeditum, de caelestibus substantiis plura post divinas Scripturas retrastasse, iisque nonnulla addidisse, quae ex sanioris Philosophiae placitis desumpta, sacris christianae fidei accommodaverit dogmatibus. "Qui scire avert", quantum doctrina catholica de Sanctorum intercessione distet ab interpretamentis Platoniorum, legat integrum librum decimum D. Augustini de Civitate Dei. Nec enim huius loci est longiorem hac de re habere sermonem. Si enim doctrina Pseudo-Dionysii de Angelorum, Sanctorumque intercessione eadem esset ac illa Platoniorum de demonum, genitorumque gradibus; non modo necessaria, sed neque bona, aut honesta esset Sanctorum invocatio: quod nemo dixerit ex Catholicis.

XV. Quid quod D. Thomae doctrina plurimis Scripturarum exemplis firmari potest? Unum & alterum indicabo. Azarias in medio fornacis babilonicae Deum orat sanctorum Patriarcharum intercessione media. *Ne, quiesumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipas testamentum tuum: neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.* Dan. III. Eandem orandi formam adhibuit Moyses, dum pro populi flagitiis preces Deo fundebat: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* Exod. XXXII. Patriarcha Iacob morti proximus filiis suis benedixit dicens: *Deus in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Isaac; Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudine super terram.* Gen. XLVIII. Alphonfus a Castro Lib. de heres. verb. Sancti, haec scribit: *In quibus verbis illud est advertendum, quod Iacob PRÆCEPTUM invocari super filios Iacob nomina patrum iam defunctorum.* Ex his ergo documentis

non modo honestatem, sed necessitatem quoque invocationis Sanctorum iure inferimus. Quae necessitas utique absoluta non est; sed quae, posita providentia qua Deus constituit secundarum ministerio caussarum gratias suas nobis donare, necessario inferitur. Illorum quippe mediocum usus necessarius est quem nobis a Dei lege praescribi scimus. Et tamen in expressa, & peculiaris lex de Sanctorum invocatione in Scriptura non extet; ex principiis tamen generalibus, atque ex exemplis ibidem narratis, praecipuum illud Sanctos invocandi eruitur.

XVI. Tertium quod allegari argumentum solet ad evincendam invocationis Sanctorum necessitatem, ex *litanis* Sanctorum arcessitur. Consuetudo universalis utriusque Ecclesiae, tum Graecae, tum Latinae, semper obtinuit invocandi Sanctos in praefatis *litanis* recensitos: quae *litaniae rogationes* quoque dictae sunt, quod ad Deum rogandum, eiusdemque misericordiam implorandam sunt instituta. Appellatae etiam sunt *processiones*, quia ex uno Martyrum loco ad alium, sive ab una ad aliam Ecclesiam discurrendo recitabantur: qui mos hac etiam aetate nostra stans temporibus usurpatur. Mos pariter fuit, estque has *litanias* recitandi, imminente aliqua calamitate. Theodosius junior, teste Hieronymo *epist. ad Eustochium*, aeris inclementia vexante, has *litanias* indixit, in quibus ipse veste humili indutus, populo sequente, incessit: & optata serenitas apparuit. Gregorius Magnus easdem feria quarta, & sexta recitandas praescripsit ad Siciliam saevae tyrannidi subducendam, ut colligitur ex *Lib. IX. epist. xlv.* Ut urbem quoque a pestis flagello eximeret, *litanias* praecipit, ut patet ex *Lib. XI. epist. II. Litaniam Clericorum exeat ab Ecclesia S. Iohannis Baptistae. Litaniam virorum ab Ecclesia B. Martyris Marcelli. Litaniam Monachorum ab Ecclesia Martyrum Iohannis, & Pauli. Litaniam ancillarum Dei ab Ecclesia beatorum Martyrum Cosmae, & Damiani. Litaniam feminarum conjugatarum ab Ecclesia beati primi Martyris Stephani. Litaniam viduarum ab Ecclesia beati Martyris Vitalis. Litaniam pauperum, & infantium ab Ecclesia beatae Martyris Caeciliae.* Duplex nunc in Ecclesia *litaniarum* genus: alterum maiorum, minorum alterum. Maiores recitantur in Ecclesia triduo ante Ascensionem Domini, tamen in quibusdam Ecclesiis alio tempore mos obtinuerit easdem canendi. Consuetudo illas recitandi ante Ascensionem per vestuta est. De illis quippe mentionem facit

Con-

Concilium Aurelianense primum c. XXIX. Epaunenfe cap. XXVII. Gerundenfe cap. III. De *litanis*, seu rogationibus loquitur Augustinus *serm. de temp. more veteri*, quia editio vetus in manibus est, 172. & 173. seu feria 2. & feria 3. rogationum, & in vigilia Ascensionis. Has rogationes recitandas esse iubet S. Gregorius magnus sub initium Libri Registri. *Solemnitas annua devotioris nos, fratres dilectissimi, admonet, ut litaniam quae maior, ab omnibus appellatur, sollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.* Hanc piam consuetudinem amulabantur Ariani solemnium pompa, ut narrat Socrates *Lib. VI. hist. cap. VIII.* & Socrumenus *Lib. VIII. cap. VIII.* quam celebrationem illis prohibuit Arcadius Imperator, ut constat ex *Lib. XXX. de her. cod. Theod.*

XVII. Neque dicere fas est, recensita documenta praecipuum iniungere Ecclesiasticis dumtaxat has *litanias* recitandi, secus fidelibus omnibus; atque adeo praecipuum utique extare in Ecclesia invocandi Sanctos pro generibus singulorum, ut dicitur, minime vero pro singulis generum, quod scilicet singulos fideles obliget. Siquidem praefata Concilia, & Patres absolute loquuntur, absque ulla limitatione, ut patet ex hisce verbis Concilii Aurelianensis. *Rogationes, sive litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita ut praemissum triduanum ieiunium in Ascensionis Domini solemnitate solvatur. Per quod triduum servi, & ancilla ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Eisdem fere verbis plura alia Concilia hoc idem praecipunt. Sed numquid, inquit, singuli Christiani vi praecipui urgentur ad rogationes celebrandas? Excitatis Conciliis pluribusque aliis, quae adduci possent, olim saltem devinctos fuisse fideles, & pluribus saltem in locis, nemini dubitare licet. Et quamquam nolim ego ex rogationum consuetudine inferre praecipuum universale quo omnes, singulique fideles teneantur Sanctorum invocare intercessionem; licet tamen elicere Ecclesiam hanc intercessionem praecipere reipsa primum Clero, deinde etiam laicis, sin privatis omnibus, populo saltem, & communitati.

XVIII. Argumentum, quo efficacius, ut mea praesert opinio, evincatur praecipuum, omnes singulique fideles astringens ad Sanctos invocandos, illud est quod ex celebratione festorum petitur. Vi quippe praecipui devinctantur fideles singuli celebrare dies fe-

stos Sanctis dicatos. Quo porro intentio Ecclesiae spectat in hac festorum institutione? Eo sane ut laudet Deum, adoretque in Sanctis suis, ut eidem gratias agat, ut Sanctorum acta meditetur, atque ipsorum exemplis ad virtutum officia excitentur fideles: deinde ut omnes eisdem Sanctos colant, adorentque, tamquam viros excellentes, Dei amicos, omniumque virtutum ornatu instructos: ut denique eorumdem opem, & patrocinium apud Deum implorent. Expendamus singulas propositiones. De praecipuo universali, quo omnes singulique fideles tenentur servare dies festos Sanctis dicatos, nullus est ambigendi locus. Quod haec festa sint in Sanctorum cultum, & adorationem instituta, res quoque certa est. De invocatione ambigendi locus remanet. Porro, ut scrupulum hunc amoliar, quaro, tenentur ne fideles vi praecipui sacrificio adsistere in Sanctorum festis? Utique. Tum: astringuntur ne se se ad intentionem Ecclesiae fideles conformare, dum sacrosanctum Missae sacrificium audiunt? Quis inficias ire auit? Planum ergo, compertumque est, Ecclesiam in Missae sacrificio praecipere Sanctorum invocationem. Id patet ex omnibus fere collectis quae in Missa recitantur, in quibus Sancti invocantur, eorumque subsidium imploratur. Sacerdotes, inquit, astringuntur vi praecipui Sanctorum intercessionem invocare; secus fideles. Secus fideles? Non ergo fideles, dum Missam audiunt, ad Sacerdotis celebrantis intentionem se conformare, eiusque precibus iungi animo, & mente tenentur? Sacerdoti sacrificium celebranti, die sancto Petro sacra, & hanc recitanti collectam: *Concede ut intercessionis eius auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur*: astringuntur ne fideles Missam vi praecipui audientes sua vota addere? Licite ne valent ab eodem Sacerdote sic orante, ac divi Petri opem, & intercessionem invocante, dissentire? Olim, antequam Latinae linguae usus aboleretur, fideles una cum Sacerdote celebrante Missam canebant. Quod tunc labiis, nunc corde praestant. Si olim renuissent collectas, quibus Sanctorum intercessio invocatur, canere, nonne scandalum grave patraissent? Quid itaque, si animo nunc ab eodem Sacerdote sic orante dissentirent? At, inquit, eruditus Anonymus, vetustissima collecta, quae in honorem Sanctorum olim recitabantur, nullam continebant Sanctorum invocationem; sed Deus tantum orabatur. Oppositum docet Dionysius Petavius antiquitatis, si quis alius, callentissimus Lib. XIV.



XIV. cap. XI. num. 13. *Huc adiungi possunt liturgia omnes antiqua graeca, latinaeque, in quibus B. Mariae, ac SS. omnium precibus, ac meritis veniam peccatorum, ac beneficia cetera impetrare studet Ecclesia.* Sed hac rem ita se habuisse. Nunc vi praecepti Sacerdotes has collectas cum eiusmodi invocatione recitant. Populus una cum Sacerdote votis suis sacrificium Deo offert: unum corpus cum ipso constituit. Omnia igitur membra in eundem finem consentire debent. Ex quibus omnibus sic colligo. Fideles vi praecepti tenentur Sanctos colere diebus iisdem Sanctis dicatis. Quia siquidem ratione tenentur cessare ab operibus, & Missa interesse; eadem astringuntur Sanctos colere, & venerari. Porro tamen adoratio actus distinctus, ac diversus sit ab invocatione, & quisque possit eos colere, quin illos invocet; tamen, cum vi praecepti colere eos debeat Missam audiendo in qua Sancti invocantur, nedum adorantur; consequi necessario videtur huic quoque invocationi obnoxios fideles esse. Dicamus ergo oportet aut fideles licite a Sacerdote celebrante in Sanctorum festis dissentire posse, quod absonum videtur; aut fateamur necesse est eosdem ligari ad illorum invocationem. Sacerdos Deo offert sacrificium ut persona non privata, sed publica, universum populum representans, & populi nomine, atque consensu offerens. Ille est minister Christi, eidemque populus iungitur, atque cum eodem Deo offert. Quapropter non solius Sacerdotis, sed populi quoque sacrificium nuncupatur. Idcirco Sacerdos peracto offertorio, ad populum conversus, inquit: *Orate, ut meum, ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.* Quomodo autem haec effari Sacerdos posset, si illo invocante in hoc sacrificio Sanctorum auxilium, & intercessionem, populus adsans contrariam haberet intentionem, nolletque cum eodem in hac invocatione partem habere ullam, eo quod ab eiusmodi invocationis lege liber sit? Sed Ecclesia, inquit, hanc invocationem minime iubet; atque adeo multiplicanda mandata non sunt. Scilicet. Multiplicari praecepta non debent. Idcirco Ecclesia distinctam, & expressam legem de Sanctorum invocatione non rogavit (si tamen non rogavit) quia praecipiens celebranda Sanctorum festa, Missamque his diebus audiendam, reipsa praecipit cultum, invocationemque Sanctorum.

XIX. Auctoritate Concilii Tridentini necessitas invocationis Sanctorum evincitur. Integrum Tridentini decretum, quod ad rem

nostram pertinet, lectorum oculis subiiciendum est. „Mandat S. Synodus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae, & apostolicae Ecclesiae usum a primævis christiana religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, operam, auxiliumque confugere. *Illos vero qui negant, Sanctos aeterna felicitate in caelo fruenter INVOCANDOS ESSE &c. damnat Ecclesia.*“

XX. Hoc decretum continet partes duas. In prima Concilium definit bonum, atque utile esse suppliciter eos (Sanctos) invocare. Honestatem, & utilitatem actionis Concilium principio statuit. Quo posito, ultra pergit, alteramque decreti partem addit, in qua Sanctos invocandos esse praescribit, eosque damnat qui invocari debere Sanctos negant. *Illos vero qui negant Sanctos aeterna felicitate in caelo fruenter invocandos esse &c. damnat.* Id invocandos esse idem praefert ac invocari debere. Duo ergo statuit Concilium. Alterum honestatem, alterum necessitatem spectat invocationis. Si Tridentinum solam declarare voluisset bonitatem, atque utilitatem invocationis, ut reipsa in prima parte declaravit, in altera decreti parte adversus heterodoxos, negantes praefatam honestatem, & utilitatem, repetivisset praefatam dicendi formam hoc pacto: *Illos vero qui negant bonum, ac utile esse suppliciter eos invocare, damnat Ecclesia.* Verum quia ultra bonitatem, & utilitatem, exercitium quoque invocationis praescripsit; idcirco aliam phrasim adhibuit significantem quod Sancti debeant invocari. *Illos vero qui negant Sanctos aeterna felicitate in caelo fruenter invocandos esse &c. damnat Ecclesia.* Damnandi ergo videntur iuxta Tridentinum qui negant Sanctos invocandos esse. Dices: Qui negant Sanctos invocandos, negant bonitatem, & utilitatem invocationis. Consequentia haec falsa est, nec ab adversariis opponi iure valet. Nam ipsi clamant, aliud esse debitum invocandi; aliud uti-

utile esse invocationem. Dicimus, inquit, utile esse invocationem; negamus vero quod debeamus illos invocare. Atqui Tridentinum docet, quod debeant invocari, dum statuit invocandos esse. Ergo secundum Tridentinum tenemur Sanctos invocare.

XXI. Tandem ubi est expressum mandatum quod Sanctos colere, & venerari debeamus? Et tamen ultro fatentur contrariae opinionis patroni, vi praecepti colendos esse Sanctos. Porro iisdem verbis Tridentinum loquitur, & de cultu, & de invocatione. Si ergo necessaria est cultus, necessaria quoque est invocatio. Si dicunt, ex praecepto observandi festa Sanctis dicata colligi mandatum eosdem colendi; ex eodem pariter praecepto inferitur mandatum alterum illos invocandi. Immo in Missa, quae est potissima actio a praecepto imposita, aequae expressa est invocatio, ac cultus: atque adeo duo haec eadem lege praescribuntur.

XXII. Hastenus disputatum de Sanctorum invocatione; nunc de Beatissima Virgine omnium Sanctorum, & Angelorum Regina aliqua dicenda forent. Non est loci huius eiusdem immensa celebrare praecordia, & dignitatem. Illam eminere supra omnes spiritus caelestes, atque innumeris decoratam praerogativis norunt omnes. Inter per multos Scriptores qui eiusdem encomia pangunt, & quasi infinitam dignitatem exaltant, B. Albertus Magnus mirandum in modum excellit. Inter Theologos recentiores Dionysius Petavius singulari eruditione omnium antiquorum elogia in Beatissimae Virginis commendationem colligit. Quae omnia eo tandem recidunt ut sit Christi Mater. Hinc enim misericordiae mater appellatur: peperit enim nobis infinitam misericordiam, Christum pariendo. Miserorum spes, afflictorum solatium dicitur. *Mediatricis* etiam officium tum antiqui, tum recentiores Theologi tribuunt. Nec officit quod unus sit mediator hominum Christus. Quoniam Christus Dominus unicus, & solus, utique Paulo Apostolo teste, mediator hominum est apud Deum tamquam principalis causa, & propriis non alienis meritis, pro nobis apud Patrem interpellans. At hoc non excludit alios mediatores secundarios, ac ministros, qui ipsius meritis simul pro nobis intercedant. Porro cum Beatissima Virgo mater sit nostri primi mediatoris Christi, post hunc ipsa est praecipua mediatrix, & patrona nostra. Post hanc Angeli & Sancti. Tam Virgo, quam Angeli, & Sancti

virtute meritorum Christi nobis impetrant divina beneficia: quia omnia illorum merita valorem a Christi meritis accipiunt. Officium autem mediatoris est inter dissidentes sequentem, mediumque se se constituere, & eos ad concordiam revocare; preces, & supplicationes Deo offerre pro clientibus, quorum tutelam suscepit. Haec omnia incredibili efficacitate Sanctissimam Matrem pro nobis apud Deum praestare, una voce testantur omnes tum Patres, tum Theologi. Leges quae laudatus Petavius scribit *Lib. XIV. de Incarnatione, praecipue cap. IX. & seq. P. Franciscus Suarez T. II. in 3. p. disp. ni fallor. VII. sec. 3.* hanc statuit conclusionem, *Dicendum est, Beatam Virginem invocandam esse, & honorandam ab hominibus. Conclusio est de fide ex communi usu, & consensu totius Ecclesiae, ac perpetua traditione Sanctorum, qua colligitur ex omnibus supra adductis. Ubicumque enim dicunt Beatam Virginem orare pro nobis, & ipsam orant, & a nobis orandam esse docent. Praeterea in Canone Missae, & in Liturgiis Iacobi, Basilii, & Chrysostomi saepe fit invocatio, & oratio ad Sanctissimam Virginem: ex quo evidenter colligitur hanc esse apostolicam traditionem.* Si celeberrimus iste Doctor defendit orandam a nobis esse Virginem Sanctissimam vi apostolicae traditionis; si de fide est, per ipsum, invocandam esse: quis dixerit, Suarez docere nulla nos lege adstringi ad eius invocationem? Vide quae tradit Suarez in *Defens. Lib. II. cap. IX. num. 14. fol. 97. de invocatione SS.* Quis dixerit, Christi fideles aequae salvos fieri posse, sive invocent, sive non invocent B. Virginem? Quippe, etiam si invocationis praecceptum non urgeret, cum summae tamen utilitatis sit eiusmodi invocatio; qui tanta patrona, & mediatrice utitur, facilius, securiusque beatitudinis portum attinget.

#### §. UNICUS.

*Nonnullae animadversiones in hanc questionem.*

XXIII. **R**ationes in medium attuli quae evincere possunt. Ceterum non is ego sum, ut praeccepta multiplicare velim absque gravatione. Porro, utrum exposita rationum momenta eius sint ponderis, & efficacitatis, ut reapse hanc praeccepti necessitatem evincant, sapientum esto iudicium. Tanta apud me vi possent, ut si evidentem persuasionem non

non ingerant, valde tamen probabilem mihi efficiant sententiam, quæ hoc nos astringi mandato defendit. Quapropter, ut mea minima præfert opinio, neutra sententia aliqua censura plectenda est; sed libere in utramque partem disputare Theologi valent, donec, expensis utriusque sententiæ momentis, quid sit probabilius, appareat. Ut observat laudatus P. Liberius, nemo unquam ante ipsum ex instituto hanc quæstionem discussit; quæ tamen digna illustratione est.

XXIV. Potissimum adversæ sententiæ argumentum est, quod neque in Scripturis, neque in aliquo canone hoc habeatur præceptum; & propterea Theologi communiter conceptis verbis ab hoc præcepto fideles solvunt. At respondent præcepti defensores, utique non reperiri expressum mandatum in Scripturis, neque Ecclesiam peculiare edidisse præceptum; verum plurima esse quæ licet præcepto peculiari & expresso non iubeantur, tamen iubentur vi præcepti universalis, in quo tamquam in principio, & radice particularia continentur. Quot præcepta non habentur in illo principio universalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*? Mandatum universale est naturæ lege impositum, quod quisque sibi providere debeat, suisque necessitatibus, mediis congruis ad hunc finem. Porro iuxta varia egestatum genera diversa præcepta occurrunt. Mandatum universale est honorandi parentes, quod est quartum Decalogi. Parentum autem nomine superiores omnes, præpositos, virosque excellentes omnes venire, communis sententia est. Porro, cum Sancti in cælo regnantes summa sint excellentia cælesti, atque supernaturali pollentes, digni sunt cultu religioso, & ordinis superioris. Quænam admodum enim si dignitas naturalis, & civilis sit, civilis honos, & cultus ei debetur; si divina, debetur divinus cultus; ita si inferior sit divina, & superior humana, cultus mediis debet ipsi deferri, ceu maxime ipsi conveniens. In hoc igitur præcepto honorandi parentes, præceptum colendi Sanctos; & in mandato sibi consulendi mediis omnibus congruis, necessitate urgente, mandatum eisdem invocandi continetur. Accedit quod præceptum istud colendi, invocandique Sanctos non obscure ex secunda Tridentini decreti parte, & ex præcepto sanctificandi festa eisdem dicata colligitur. Ad Theologorum auctoritatem quod spectat, verum habet plures negare præceptum istud expressum, & ut ipsi dicunt, directum. Ita omnes fatentur. Sed advertendum, Theologos istos, negantes præceptum

hoc, communiter adversus heterodoxos disputasse: & quia, ut illorum reprimerent audaciam, satis ipsis erat evincere, bonam utilitatemque esse invocationem Sanctorum, idcirco ab asserendo præcepto illo abstinuisse, quod ex mandato celebrandi festa, aliisque universalibus præceptis elicitur; remque hanc indictam relinquere absque examine ullo. Quod itaque negent reperiri divinum, aut ecclesiasticum mandatum expressum directum, & peculiare; non propterea negant mandatum quod hactenus explicatum est. Istorum igitur auctoritas nullum infert præiudicium sententiæ adstruente tale præceptum. Quid quod laudati Theologi non pauci negant quoque præceptum colendi Sanctos ob rationem indicatam, quod illud in Scripturis non extet? P. Vitus Pichler in sua Theologia Polemica pag. 498. num. 7. hæc scribit. *Sciendum 6. Catholicos non asserere quod detur præceptum positive, vel directe obligans ad colendos, & invocandos Sanctos; sed solum quod liceat colere, & invocare.* Nisi istius auctoris sententiam interpretemur, quod his verbis positive, & directe excludere tantum velit mandatum divinum, & ecclesiasticum expressum, directum, & peculiare, seu distinctum; difficile erit a nimia laxitate immunem eum defendere. Siquidem præceptum colendi Sanctos in festis eorum nomini dicatis nemo iure negare valet. Verum Theologus iste in laxiora plerumque propendit. Vide quæ adversus eundem scripsi in tractatu de usura contractus trini.

XXV. illud autem magnopere animadvertendum in hæc quæstione est ad plenam, exactamque sanctorum Patrum, & Theologorum intelligentiam assequendam, quod nec Beatissima Virgo ita est *mediatrix*, nec Sancti ita *mediatores* sunt Deum inter & homines constituti, ut vetitum nobis sit recta, illis omissis, ad Deum accedere. Patet nobis ad Deum nostrum, & Filium eius IESUM CHRISTUM accessus. Ipsum orare, invocare, adorare altissimo mandato astringimur. Illi, utpote statum nostrum plenius intelligenti, egestates, infirmitatesque nostras aperire potissimum debemus. Et, cum Filius eius Christus Dominus principalis *mediator*, & in sensu Apostoli explicato unicus, & solus sit, ad illum cum primis accedendum est, ut pro nobis interpellat apud Patrem. Cum ergo Patres docent mediis Angelis, Sanctis, & Deipara ascendendum ad Deum, non constituunt ordinem necessarium, qualis est in naturalibus, & physicis causis; sed ordinem

mora-

moralem, qui pro temporum, atque circumstantiarum diversitate variandus est. Sic e contrario, dum Patres aliqui, & Theologi necessitatem invocandi Sanctos reiiciunt, hoc in sensu explicandi sunt, quod etiam sine Sanctorum intercessione valeamus vota nostra præsequi, nullo interposito medio, Deo offerre, eumque, ceu clementissimum, primumque parentem nostrum, adire. Nec propterea excludunt ut superfluum, atque ut suo stato tempore necessariam, adorationem, invocationemque Beatissimæ Virginis, & Sanctorum. Iuvat transcribere verba sapientis Petavii de Incarn. Lib. XIV. cap. XVIII. n. 5. ubi explicat textum D. Ioannis Chrysostomi, quem adversus Sanctorum cultum opposuerat Molinaus. *De locis illis Chrysostomi quæ ad impugnandam Sanctorum invocationem Molinaus plurima concessit, illud primo loco respondemus: cuiusque modi ea sint, neque illis esse disertiora, validioraque ad extorquendam Catholicis implorationem Sanctorum, nec explicatu difficiliora quam quæ superioribus capitibus ad illam propugnandam adduximus, cum ex aliis Græcis, ac Latinis Patribus, tum ex eodem ipso Chrysostomo: deinde nihil aliud testimonii istis significare Chrysostomum, nisi hoc non absolute ac præfracte necessarium esse, Sanctos apud Deum intercessores adiungere: sed posse quemlibet sine sequestre, & intermuntio Deum adire, ab eoque postulare quæ volet: non, ut gentiles putabant, necesse hominibus esse qui ad supremum Deum aspirare velint, per interiectos minores deos, hoc est demones, ad illum contendere. . . Hoc sensu Chrysostomus negat Angelos, aut Sanctos, velut mediatores, necessario interponendos esse.*

XXVI. Hunc Petavii textum contra præceptum invocandi Sanctos allegatum vidi. Verum quisque animadvertere potest, non aliud colligi hinc posse præter confirmationem doctrinæ quæ data est supra, nimirum non absolute, & præfracte necessarium esse, Sanctos apud Deum intercessores adiungere; sed posse quemlibet sine sequestre, & intermuntio Deum adire. Ceterum quod debeant Sancti etiam coli, & invocari, nedum quod bonum, utileque sit eosdem invocare, docet ipse Petavius eodem loco cap. XVII. num. 4. *Illud breve, & efficax præscribimus: Sanctos & orare pro nobis, & a nobis INVOCANDOS esse, ex antiquorum, hoc est Ecclesie per totum orbem, perque omnia tempora*

Conc. Theol. Tom. II.

*pora diffusa, auctoritate constare.* Porro si universa Ecclesia perpetuis temporibus continenter docuit *invocandos esse Sanctos*, non videtur hanc perennem traditionem, quam apostolicam Suarez appellat, consilii tantum esse, non autem præcepti.

XXVII. Ut multa paucis contraham, virtus religionis Deum primo spectat, cui debitum cultum exhibet. Præceptum orandi, quod est religionis primarius fructus, Deum quoque respicit. Ipsum orare, ipsum invocare, eum adire, IESU Christo mediatore, atque interpellatore, debemus, nullo etiam interpolito alio inferiore internuntio. Increpandum profecto fidelis ille esset qui numquam, seposito sequestre, vellet nudata facie sese immediate ante Iesu Christi Redemptoris sui thronum sistere; eique sua vulnera, ut sanentur, suaque scelera, ut infinita illius clementia deleantur, humili demissione exponere. At numquid præceptum istud orandi, invocandique immediate Deum, excludit aliud honorandi, colendi, invocandique Sanctos, præceptum? Anne mandatum honorandi primum parentes, reiicit mandatum aliud honorandi ceteros dignitate illustres? Præceptum colendi, invocandique Sanctos sua habet statuta tempora, cum nempe recurrunt festa in illorum dicata honorem: quo tempore præcepto astringimur illos colere, & adorare. Porro actus potissimus adorationis est oratio, & invocatio, qua illorum merita, virtutesque veneramus, nostramque infirmitatem, & subiectionem magnopere protestamur, & recognoscimus, obsequium nostrum, & religionis officia illis impendimus. Vix enim explicari valet præceptum eos adorandi absque mandato eosdem invocandi; cum invocatio sit præcipuus adorationis actus, ut de adoratione Dei dictum est. Porro, dum eos adoramus, eorum merita, peculiarem illorum cum Deo amicitiam, intercedendi, impetrandique ab eodem beneficia maximam eorum efficaciam confitemur. Sordet fidelis gravissimis sceleribus, incredibili perfidia Dei clementia abusus est: contrariis discerpitur affectionibus, seque ad omnia flagitia impotenter pertrahi experitur: preces suas Deo obtulit, ut emendationis gratiam obtineret: sed in peiora semper relapsus sua iniquitate est: conscientia sua monstruosum spectrum contemplans tremis: non audeat præ confusione in cælum oculos attollere, Deo se invisum, eiusdemque presentia indignum recognoscit: suarum precum vim elevare sentit flagitia sua: hoc eodem tempore

ore

pore Beatissimam Virginem, Angelum suum custodem, Sanctosque in caelo regnantes comeditatur: perpendit summa istos apud Deum polleere virtute, efficacem esse eorum intercessionem, faciliusque illos quam semetipsum a Deo exaudiri. Quæro, si iste his in circumstantiis Beatissimæ Virginis, Sanctorumque negligeret patrocinium, si eos invocare renueret, consuleret ne meliori quo posset modo quemadmodum lege naturali attingitur, suæ saluti? Optime, inquis, ageret, remque sibi utilem faceret, si reciperet se se ad Beatissimæ Virginis, Sanctorumque intercessionem; sed ad id non astringitur vi præcepti, eo quod absolute a Deo impetrare gratiam valeat emendationis suæ. Ut latebram hanc, receptumque ocludamus, iterum quærimus, si homo in gravissima spiritali necessitate, atque in suæ æternæ salutis discrimine constitutus, teneatur efficaciori modo quo valet, sibi providere. Se indignum, ut exaudiat a Deo, agnoscit ex una parte; ex altera Sanctissimæ Deiparæ validissimum patrocinium, potentem Sanctorum intercessionem perspectam habet. Si utrumque negligit, quis adfirmare audeat, sincero suæ salutis amore istum flagrare? Si hæc argumentatio, reponis, consisteret; hic ad e-remum, ad cœnobium, ad aliquem rigidiorum ordinem confugere deberet, ut efficacius sibi prospiceret. Apage nugas. Quisque intra sui status & conditionis limites ea excipere adminicula, iisque uti mediis tenetur quæ securus ipsum ad finem conducunt; minime vero statum mutare. Eo autem gravior culpa est his in circumstantiis negligere Deiparæ, Sanctorumque intercessionem, quo & facilius est ad eos confugere, & gravior urget eorumdem protectionis necessitas. Si quis regis maiestatis læsæ reus indignum se obtinendi a Rege veniam patrati facinoris reputaret; haberet vero amicum Regi assidentem, eiusdemque voluntatis arbitrum: evaderet ne hic insultatæ notam, si amici sui summa apud Regem facultate pollentis intercessionem respiceret? Utiq; Deus non est sicut homo, qui peccatores sui que offensores dedigneret. Sed verum quoque habet, Deum facilius iustorum quam peccatorum preces exaudire; atque illorum qui sibi æstioris amoris vinculo adherent, ut est Sanctissima Virgo, Sanctique omnes in caelo regnantes, intercessionibus annuere. Hæc omnia evincunt, vi præcepti naturalis confugiendum incedendum ad Sanctorum patrocinium. Dum vero recurrunt illorum festa, præceptum urget

ecclesiasticum inclusum in mandato eadem festa servandi.

XXVIII. Obiicies. Si vigeret præceptum invocandi Sanctos, Confessarii interrogarent fideles, utrum opere impleverint eiusmodi mandatum. Hoc autem nunquam præstant, nec fideles admonent, vel hortantur ad istius præcepti observationem. Huic objectioni hoc præbet responsum laudatus P. Liberius, quod suis verbis expressum transcribere iuvat.

„Continet hæc obiectio miserabilem illam doctrinam qua utentes nonnulli Casuistæ abstulerunt de medio plurimorum præceptorum usum, & induxerunt plures laxitates in via Domini, quibus debuit operari anathematismus. Plurima non obligant, sincere obligantia apud omnes, si consuetudo, & praxis universalior Confessariorum esset regula excusans. Plurima omittuntur in illo foro debita variis prætextibus. Quis interrogat circa oblationem præcepti fidei, spei, caritatis, orationis, & similia? Ergo non dantur hæc præcepta? Quis dicet? Regula iuris est, quod *res legibus, non factis, sunt iudicanda*. “ Videntur qui omnes viri docti, piique nonnullorum Casuistarum nimiam lugeant laxitatem? Ecclesia vero urget istius præcepti observationem, dum servanda Sanctorum festa iubet.

XXIX. Obiicies iterum. Invocatio Sanctorum in propriam cedit utilitatem: quisque autem commodo proprio renuntiare iure valet. Præterea præceptum istud observari nequit: siquidem invocandi essent omnes Sancti, quorum immensa est multitudo. Resp. Invocatio Sanctorum cultum eisdem tribuit, simulque invocanti auxilia impetrat. Neutrum negligere fideles valent. Non cultum, quem ipsi debent ultro fatentur omnes. Non auxilia ad salutem consequendam, quia iis quæ ad salutem æternam viam sternunt, nemo renuntiare licite potest. Necessè haud est omnes Sanctos, sed satis est aliquos invocare; dummodo nemo excludatur a cultu. Quid quod Ecclesia omnium Sanctorum festum instituit prævio ieiunio, ut omnium simul memoria recolatur?

XXX. Postremo obiiciunt. Si quæ hæc tenus dicta sunt, quidquam evincerent, conquiretur Sanctos dumtaxat celebriores invocandos fore, utpote maioris efficacitatis ad id quod petimus impetrandum. Tandem Sancti nobis non occurrunt, nisi in imaginibus. Has venerari non astringimur, neque retinere. Ergo nec Sanctos eisdem re-

præ-

presentatos adorare. Resp. D. Thomas in IV. dist. xlv. quæst. III. art. 2. ad 2. plures rationes affert, quibus evincat inferiores quoque sanctos invocandos esse. Omnes quippe sunt amici Dei, consummata caritate eidem coniuncti. Deus suæ Ecclesiæ falli nesciæ organo omnes Sanctos in electorum albo præscriptos adorandos exponit, atque in istdem gloriam suam amplificare dignatur. Quo hoc pertinet? Eo sane ut nos excitet istorum exemplis ad certamina huius vitæ fortiter subeunda: atque ut efficacius ad id nos, qui ubique bonum proprium appetimus, inducat, illorum intercessione, atque mediatione plurima nobis impertire dona decrevit; quemadmodum, ut nos ad sui amorem, cultumque pertraheret, infinitam beatitatem, sui que ipsius possessionem nobis adpromisit. Innumera illa prodigia Sanctorum ministerio patrata, favores, & cuiusque generis gratiæ perpetuis temporibus fidelibus concessæ eorumdem opera, luce meridiana clarius evinunt, quam sit Deo invocatio Sanctorum accepta. Cum autem omnes Sanctos amicitia ligamine Deo federatos esse Ecclesia declaret, quisque eorum invocari potest: quia modo huius, modo illius intercessione Deus, prout suæ divinæ providentiæ magis expediens iudicat, dona sua nobis concedere dignatur. Ad imagines Sanctorum quod attinet, negatur illorum imaginibus nostram illigatam invocationem esse. Quamquam enim imagines deessent, Sancti nihilominus invocandi forent. Utrum postea imagines retinere, nedum venerari occurrentes, vi præcepti teneamur, infra dicturi sumus. Sane, si quis Catholicorum data opera imaginum usum negligeret, hoc prætextu quod earum usus non sit in mandatis, de fide suspectus haberetur, nec, accusatus, liber a tribunali sanctæ Inquisitionis abiret. Anne Ecclesia tot in Conciliis sacrarum imaginum usum adversus omnium temporum hæreticos propugnasset, tantaque sollicitudine altaribus, templisque affigi curasset; si indifferens omnino foret consuetudo easdem retinendi? Verum plura de hoc suo loco.

XXXI. Hæc sunt quæ cursim, & tumultuarie iudicio sapientum subiicio. Si maius occurreret otium, fortasse accuratius quæstionem hanc sub examen inducam. Plurima eorum que dicta sunt, ex laudato P. Liberio delibavi: quod ideo dico, ne aliorum plumis exornare me velle quisquam suspicetur. Antequam proluxa disputationi finem impono, ultimo loco animadvertendum ex-

hibeo, quod ego, tametsi a multiplicandis sine urgenti ratione præceptis alienus sim, ne iugum Christi plus iusto exasperare videar, & fideles legum multiplicium onere gravare, in opinionem tamen adstruentem præceptum invocationis Sanctorum propendeo: tum quod adductæ rationes id suadere mihi videntur, tum quod nullum novum onus Catholicis imponitur: re ipsa enim cultum, & invocationem præfatam opere implent, ac si severissimo mandato iniuncta eis esset; quin non raro & Sanctorum festa exactius servant quam dies dominicos; & frequentius ad Sanctos quam ad Deum interdum confugere solent: quamquam Sanctorum protectionem implorantes, eosque colentes, Deum in Sanctis colant, & invocent. Quare non tam calcibus, ut Sanctos colant, & invocent, quam instructione egerent, ut modum, rationemque in eorumdem cultu, & invocatione servent. Admonendi itaque sunt, Christum Dominum viam esse per quam ad Deum pergendum est. Hic solus est, & unicus qui propriis meritis cælorum ianuas, peccatis nostris oclusas, aperuit. Hoc in sensu solus, & unicus mediator est. Ceteri omnes Sancti, nec Beatissima Virgine excepta, eiusdem meritis & sibi impetrarunt, & nobis cælestia impetrant dona. Nec tamen hinc inferendum, ut quidam perperam arguantur, quod Sancti nequeant dici mediatores secundarii. Nam si isti, virtute meritorum Christi, tamquam eiusdem fideles ministri, & conitantes, in certaminibus, calamitatibus, & adversis quibusque, ac in prosperitatibus amici, advocati, & mediatores inferiores communi Ecclesiæ voce nuncupantur; inferiore quidem ratione, & modo, sed tamen ut secundarii mediatores a nobis colendi, & invocandi sunt. Inter hos omnes post Christum eminet Beatissima Virgo Maria, quæ est nostra secunda salutis ancora, refugium, & solatium nostrum, cuius invocationem, non modo utilem, sed necessariam asserit P. Franciscus Suarez laudata *disp. xxiii. sec. 3.* sub finem his verbis: *Sentit ergo Ecclesia Virginis intercessionem, & orationem præ omnibus aliis sibi esse utilem, ac necessariam. Est ergo B. Virgo a nobis præ omnibus oranda.* Hinc etiam ob singularem suam eminentem dignitatem cultum peculiarem & proprium hyperdulæ sibi vendicat. Secundum Christum, & B. Virginem invocandi sunt etiam Sancti, ut in pluribus divina splendeat maiestas, & ab omnibus laudetur. Amen.

## CAPUT IX.

Pro omnibus viatoribus orandum, etiam pro animabus in purgatorio detentis, quibus prodesse vivorum suffragia ostenditur.

I. **A** Deo compertum est pro omnibus qui in terris degunt, sive fideles sint, sive infideles, sive amici, sive inimici, sive iusti, sive peccatores, orandum esse, ut nec haeretici ipsi in discrimen vocare audeant. Textus quippe Scripturae divinae manifesti sunt. *Orate pro invicem, ut salvemini*: inquit Iacobus cap. v. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*: subdit D. Paulus I. ad Timoth. II. Denique D. Matthaeus Evangelista expresse praecipit pro inimicis orandum, ac si pro iis qui inimici non sunt, mandato non egeremus. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Rationem tradit Angelicus Doctor 2. 2. *quest. lxxxiii. art. 7.* Omnes siquidem mortales tenemur amore caritatis diligere. Quemadmodum Christus pro omnibus mortuus est, ita pro omnibus est orandum. *Pro peccatoribus* (inquit Angelicus) *orandum, ut convertantur; & pro iustis, ut perseverent, & proficiant.*

II. A precibus nostris excluduntur beati, quia sunt in termino, in quo omni felicitate illis debita gaudent. Ob hanc contrariam rationem non licet pro damnatis preces fundere, quia & hi sunt in termino propriae damnationis, ubi nulla spes salutis adest: unde frustraneae essent orationes nostrae pro illis, & ex errore proficerentur; quasi istorum damnatio non esset aeterna. Pro omnibus tamen defunctis fidelibus orandum quos certo nobis non constat in peccato mortali decessisse. Haec omnia communia sunt.

III. De animabus in purgatorio detentis controversia est Catholicos inter & haeticos. Lutherani, & Calviniani negant suffragia nostra defunctis prodesse. Praecursores huius erroris habuere Arianos, aliosque, quos refert Epiphanius *haeres. lxxv.* Quoniam vero Doctores catholici absque numero lato calamo suffragia vivorum defunctis prodesse strenue demonstrarunt; idcirco paucis rem hanc perstringam. Et primum suffragia nostra defunctis prodesse clare habetur in *Lib. II. Machabaeorum cap. XII.* ubi de Iuda Machabeo sic legitur: *Duodecim mil-*

*lia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, & religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Ut ab hoc textu adeo explorato se expellant Lutherani, negant librum hunc libris divinis authenticis accensendum esse. Quoties documenta quae ad illorum refutandos errores adducimus, adeo pervia sunt, & comperta, ut nulla cavillatione eludi queant, fracta fronte sacros libros tanquam supposititios & apocryphos calumniantur. Verum Ecclesia catholica Dei spiritu directae declaravit, perenni Patrum traditione librum hunc divinum esse.*

IV. Evincitur ratione sententia catholica. Ecclesia sive militans, sive triumphans unum corpus constituit, ut dictum est supra, cuius caput est Christus. Ergo omnia membra & invicem, & cum capite communicare debent, ut ait Apostolus I. Cor. cap. XII. Invicem sollicita sunt membra; & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Si itaque animae purgatorii sunt Ecclesiae membra, sicutque nobiscum, & cum Deo fide, spe, & caritate coniunctae; consequitur ut viventes debeant eiusmodi defunctas animas iuvare; quemadmodum unius corporis membrum adiuvat alia membra. Hunc influxum unius membri in alia eiusdem corporis membra supra latius explicuimus. Accedit universalis praxis Ecclesiae, cuius nomine Sacerdotes omnes in Missae Canone orant pro defunctis. Solent quoque afferri innumerae earumdem animarum apparitiones, & revelationes, quibus palam factum est virorum suffragiis liberatas has animas fuisse. Omnes quae narrantur, non esse authenticas vel ipse concesserim. At omnes ut apocryphas reiicere stultitia non caret.

V. Opponunt haeretici illud Apocalypsis v. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos: & illud ad Galatas VI. Quae enim homo seminaverit, haec metet: tandem illud II. ad Cor. v. Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* In his locis sermonem haberi de vita aeterna, docet D. Thomas in *II. dist. xlv. quest. II. art. 1. ad 1.*

ad 1. Sed aliud est, quemquam suis meritis consequi debere aeternum praemium; aliud longe diversum, poenarum debitum aliorum solutione remitti posse. Quae doctrina aliis conceptis divinae Scripturae testimoniis confirmari potest. Nam D. Paulus I. ad Cor. xv. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Duplici interpretatione hunc textum exponit Angelicus hic lect. 4. *Si oratio unius prodest alteri, quare non etiam baptismus? Ad hoc est duplex responsio. Una est, quod opera quae faciunt vivi, profunt mortuis propter unionem caritatis, & fidei: & ideo non profunt nisi illis qui decedunt cum caritate, & fide: unde infidelibus nec oratio, nec baptismus vivorum profunt; tamen oratio prodest illis qui sunt in purgatorio. Alia responsio, & melior: quia bona opera valent mortuis, non solum ex vi caritatis, sed etiam ex intentione facientis. Sicut, si ego dicerem psalterium pro aliquo qui est in purgatorio, qui tenebatur dicere, ut satisfaciam pro eo; valet quidem quantum ad satisfactionem solum illi pro quo dico. Si plura cupis, consule Angelicum ipsum loc. cit. Neque opponant haeretici nullius ponderis esse D. Thomae auctoritatem, cum sit Auctor recentior. Quoniam eodem sensu loquuntur antiquiores Patres. Nam Cyrillus Ierosolymitanus *catechesi v.* inquit: *Oramus pro omnibus qui inter nos vita functi sunt, credentes magnum esse animarum iuvamen. D. Dionysius Areopagita Lib. de caelesti Hierar. part. III. cap. VII.* scribit: *Praeces fundere pro mortuis, a magistris nostris a Deo accepimus.* Sint supposititia, ut plures contendunt (quod tamen adhuc demonstratum non est) opera sub nomine Dionysii vulgata; Auctor tamen, quicumque sit, vespustus est. Sed quid ultra pergo? cum & Doctores catholici pleno in lumine rem hanc constituerint, & Concilium Tridentinum *sess. xxv. decret. 1.* definit, *animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissime vero acceptabili altaris sacrificio, iuvari.**

VI. Opponunt iterum. Sanctos in caelis existentes non orare pro animabus purgatorii; alioquin, cum preces illorum efficaces sint, purgatorium illico evacuaretur. Ergo nec nos orare debemus. Praeterea nulla est vivorum cum mortuis communicatio, ut Philosophus docet. Ergo orationes nostrae defunctis in purgatorio existentibus non profunt. Resp. Sancti in caelo regnantes non sunt in statu merendi, aut satisfaciendi sive

pro se, sive pro aliis; orant tamen tum pro vivis, tum pro defunctis, impetrando aut poenarum remissionem, aut peccatorum veniam. Impetratio sola nititur liberalitate concedentis. Et quia Deus, ut sua iustitia locum habeat, non semper exaudit beatorum preces pro defunctis sibi oblatas; idcirco Sancti conditione, apposita, nimirum si divina iustitiae congruat, pro defunctis orant; & sic purgatorium non evacuatur. Brevius: simplex muliercula non ita pridem saperdae cuidam simile argumentum oblicenti respondit: Purgatorium numquam evacuatur: quia quotidie animarum plures illinc exeunt, & quotidie plures illuc ingrediuntur. Hoc naturali, simplici responso os turgidi, vanique sapientis femella obstruxit. Nullum vivorum cum mortuis civile commercium; at mutua inter illos communicatio fidei, spei, & caritatis. His sacris iunguntur vinculis, quibus unum corpus, & unam Ecclesiam, vario statu distinctam, efficiunt: atque adeo viventes, cum sint in statu merendi, satisfaciendi, & impetrandi, defunctis extrema calamitate afflictis succurrere valent.

XII. Ut clarius quae dicta sunt percipiantur, doctrinam D. Thomae huc transcribere iuvat. Inquit ille in IV. dist. xlv. *quest. II. artic. 1. quest. I. Meritum Deum obligat ad sui remunerationem ex iustitia stricta, si est meritum condignum; vel potenciali, sicut est amicitia, si sit meritum congrui, quo Deus obligatus ex gratitudine premiat. Impetratio autem non obligat Deum ex iustitia; sed petitum obrinet ex sola liberalitate largientis.* Oratio, & quodlibet aliud opus bonum triplicem habere effectum potest, meritum, satisfactionem, & impetrationem. Duplex autem distinguunt Theologi meritum, de condigno, & de congruo. Hoc meritum fundatur in caritate. Qui orat, bonumque operatur, si gratia divina ornatus sit, atque adeo caritate ardet, orans sibi de condigno praemium vitae aeternae meretur. Hoc tamen praemium, cum sit infiniti valoris, nequit iustus aliis de condigno mereri. De congruo tamen hoc praemium, nempe gratiam, & beatitatem, aliis obtinere valet. Quoniam meritum istud in liberalitate concedentis, & in amicitia cum orante fundatur. Hinc patet clarior explicatio illius textus: *Opera enim illorum sequuntur illos: quia quisque sibi tantum de condigno, seu ex iustitia, mereri potest aeternam mercedem; aliis vero solummodo de congruo, ut dictum est.*



tia plene satisfacta brevi remaneat. Quoposito, non incongrue ratiocinatur Soto, non esse videlicet verisimile quod Deus infinite misericors tanto tempore sua presentia, suove vultu privare velit sponas illas quas aeterno amoris foedere sibi copulatas habet, quæque erga ipsum summo amore ardent, & ab eodem summopere amantur. Quæ sane veritas, posita altera quod divinæ iustitiæ brevi tempore satisfieri valeat, aucto pœnarum rigore, potius favet opinioni quæ credit plura lustra non esse cruciandas animas illas, quam contrariæ, quæ ad sæcula usque supplicia hæc protrahit, & durationem extendit. Hinc est quod D. Thomas docet, animabus quæ nullum hic in terris benevolum suffragatorem habent, applicari a Deo sacrificia oblata pro illis quæ aut non indigent, aut capaces non sunt talis beneficii. *Credibile tamen est*, (inquit Angelicus in IV. dist. xlv. quest. 11. artic. 4. quæstiunc. 3. ad 2.) *quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis superstit his pro quibus fiunt ut scilicet eis non indigeant, aliis dispenseretur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum in sermone de dormientibus sic dicentem: Deus tamquam iustus committetur impotenti possibilitatem, tamquam suscipiens vere defectuum commutationem negotiabitur: quæ quidem negotiatio attenditur, quod id quod deest uni, alter supplet. Nihil tamen certi hac in re constitui potest, aut definiri. Sed ex meris coniecturis divinari licet, quid magis congruat divinæ misericordiæ: quæ, si vel in peccatores dives est, ditissima, & effusissima sane credenda est erga animas illas quæ sibi consummata caritate coniunctæ sunt.*

## CAPUT X.

*Qui orare debeant, & quorum orationes certo exaudiantur.*

I. QUI omnium consensu orare nequeunt, sunt divinæ personæ ut divinæ sunt, quæ nullum habent superiorem quem orare valeant. Oratio autem actus religionis est, qui ab inferiore erga superiorem exercetur. Christus autem Dominus, cum ratione humanitatis inferior sit Deo, & seipsum ut Deum, & alias divinas personas orare valet. Et reipsa pro nobis in celo interpellat. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Hebr. v.

II. Quæst. I. *Utrum peccatores orare debe-*

*ant, & exaudiantur a Deo? Resp. Sermo haud est de peccatoribus qui in publicis ministeriis nomine Ecclesiæ orant. Exploratum est enim istos & orare debere, & impetrare aliquid a Deo iis pro quibus orant. Peccatores quoque privatos orare debere certum est. Quod autem ad impetrationem attinet, docet Angelicus 2. 2. quæst. lxxxiii. artic. 16. quod si peccator quidquam a Deo petat secundum desiderium peccati, numquam exauditur ex misericordia, sed interdum ad vindictam; ut dum quis vindictam de inimico a Deo postulat, quam Deus in pœnam præcedentium criminum permittit. Peccatores quoque qui reipsa flagrant iniquitatis amore, affectumque fovent erga pravas consuetudines, non exaudiantur, nisi forte in vindictam. Quapropter dicebat David Psalm. lxxv. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Contra vero peccatores qui peccatum detestantur, pioque desiderio afficiuntur, plerumque quod petunt impetrant. Sic exauditi fuere Manassæ, Publicanus, mulier peccatrix, latro, & innumeri alii. Huc pertinet illud: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nec officit, peccatores destitutos esse gratia sanctificante: quoniam hinc tantum infertur eorum orationem non esse meritoriam; non autem quod non sit impetratoria. Iam dictum est supra, posse orationem esse impetratoriam, ut est hæc peccatorum pœnitentium, quin sit meritoria; & contrario posse esse meritoriam quin sit impetratoria, ut est oratio iusti qui implorat aliquid ei minime congruens: quo modo oravit Paulus II. Cor. xii. ut a se Deus auferret stimulum carnis, quod non obtinuit: & tamen eius oratio fuit vitæ æternæ meritoria. Id etiam accidit, dum iusti orant pro aliis: licet enim sæpe non impetrent quod petunt; oratio tamen eorum est meritoria. Sæpe autem est meritoria simul, & impetratoria, ut dum iustus petit vitam æternam suo tempore sibi dandam: meretur etenim simul, & impetrat vitam æternam. Peccatores autem, utpote destituti gratia sanctificante, nequeunt fundere preces meritorias, sed tantum impetratorias. Exscribamus verba Angelici. *In peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantum peccator, idest secundum desiderium peccati, in hoc a Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam. . . . Orationem vero peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi**

*quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia; observatis tamen quatuor promissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.* loc. cit. Hæ conditiones conferunt ad rectam intelligentiam illius propositionis allati textus: *Orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit.* Quæ propositio, ut animadvertunt etiam Franciscus Suarez, & Sylvius in commentariis ad hunc articulum, non est ita accipienda, quasi oratio solis naturæ viribus edita salutaris sit, seu Deo grata in ordine ad salutem æternam spiritualem. Patet siquidem Angelicum ex adiectis conditionibus *pie, & perseveranter* sermonem habere de oratione facta a peccatore Dei illustratione, & pia affectione, seu actuali quadam cælesti gratia prævento, & pœnitentiam anhelante: quapropter art. 15. statuit, ipsum orare esse quoddam donum Dei. Opponit ergo naturam culpæ, ut ex integro textu colligitur, non gratiæ.

III. Obiicies. Ioannes cap. ix. inquit: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Et Proverb. xxviii. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Resp. D. Thomas loc. cit. sibi opponit eiusmodi textus, quibus sic responderet. *Dicendum, quod, sicut Augustinus dicit super Ioannem (tract. xlv.) illud verbum est cæci adhuc inmundi, idest nondum perfecte illuminati; & ideo non est ratum: quamvis possit verificari, si intelligatur de peccatore, inquantum est peccator: per quem etiam modum oratio eius dicitur execrabilis.* Effatum ergo illud prolatum a cæco non est absolute verum. Si enim peccatores non exaudiret Deus, inquit Augustinus loc. cit. frustra dixisset Publicanus: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Vel, si velimus asserere sententiam cæci veram esse, intelligenda est de peccatore, ut peccatore petente ut Deus relinqueret aliquid falsum, videlicet quod peccator bonus sit; quod fieri nequit. Hac ratione explicanda est altera auctoritas, nempe orationem illius peccatoris esse execrabilem qui obstinato animo in peccato perseverat.

IV. Quæst. II. *Sunt ne invocandæ anime in purgatorio existentes, ut pro nobis orent?* Resp. Adfirmant plures gravissimi Theologi. Bellarminus Lib. II. de Purg. cap. xv. Franciscus Sylvius in supplem. III. Part. g. lxxi. art. 5. Lessius Lib. II. cap. xxxvii. dub. 5. numer. 23. Layman tract. I. cap. I. num. 5. Bonacina de Flor. canon. quæst. I. punct. I. Castropalaus tract. vii. disp. I. punct. 4. &

alii. Bellarminus probat hanc sententiam D. Thomæ rationes confutando. Quamquam, inquit, D. Thomas contrarium doceat, eius rationes non convincunt. Non prima, quod nempe Deum non vident: quia tempore veteris testamenti orabant sancti defuncti pro vivis; cum tamen nec ipsi Deum viderent. Neque secunda, quia sunt in tormentis: quoniam dives orabat in inferno pro fratribus suis. Non tertia, quod sint nobis inferiores: tum quia nos oramus pro Episcopis, & Pontificibus: tum etiam quia licet purgatorii animæ sint nobis inferiores ratione pœnarum, superiores tamen sunt ratione gratiæ, & caritatis, in qua confirmatæ reperiuntur. Tandem pro se orare possunt: ergo etiam pro nobis.

V. Oppositam sententiam defendit D. Thomas 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 4. ad 3. & art. 11. ad 5. & in IV. dist. xv. quæst. 14. art. 5. ad 2. Sylvester verb. Oratio. Torre 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 4. disp. 6. Ioannes a S. Thom. disp. xxvi. art. 8. Navarrus in Manual. cap. I. de orat. num. 22. Alensis IV. Part. quæst. xxvi. memb. 3. art. 5. §. 1. Abulensis in cap. vi. Matt. Prado Tom. II. cap. xxx. quæst. xv. Azorius I. Part. Lib. IX. cap. x. quæst. x. Antonius a Spiritu sancto IV. Part. titul. v. cap. III. §. 2. Salmanticenses XXI. cap. ix. punct. 3. §. 2. num. 24. & D. Thomas loc. cit. art. 4. ad 3. hæc scribit. *Dicendum, quod illi qui sunt in hoc mundo, aut in purgatorio, nondum fruuntur visione Dei, ut possint cognoscere ea quæ nos cogitamus, vel dicimus; & ideo eorum suffragia non imploramus orando, sed a vivis petimus colloquendo.* Deinde art. 11. ad 3. *Illi qui sunt in purgatorio, licet sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas quas patiuntur: & secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis.* Igitur animæ degentes in purgatorio preces nostras non audiunt, nec agnoscunt: carent enim visione Dei, in quo possunt preces, & egestatem nostram agnoscere. Porro frustra eos imploramus qui nos audire nequeunt. Hoc nobis heterodoxi obiiciunt argumentum respectu Sanctorum in celo regnantium. Cui nos respondemus, Sanctos in celo lætantes reapse agnoscere preces nostras sive in Verbo, sive alia ratione. Debent ergo & contrariæ sententiæ patroni modum assignare quo animæ purgatorii nostras dignoscant preces: alioquin semper consistet doctrina D. Thomæ, quod frustra oratur ille qui orantem audire nequit. Accedit quod rationi congruere non videtur, rem preces fundere ad Regem pro

pro aliis eo ipso tempore quo ipse detinentur in carcere ad persolvenda debita contracta ob offensas Regi illatas. Postremo Ecclesia nunquam consuevit preces suas dirigere ad animas purgatorii, ut pro nobis orent; quod argumento est, ipsam sentire præfatas animas pro nobis orare non posse.

VI. Ad obiecta adversariorum facilis est responsio. Primum est. In veteri testamento refertur patres orasse pro vivis, dum extabant in limbo. Ut clarior evadat responsio, observandum, aliud esse quod animæ defunctorum orent pro populo universo, & in communi, ex notitia, antequam decederent, habita; & aliud longe diversum, eas orare ut a viventibus interpellatas pro hoc vel illo. Primum non negatur. Sic Moyses, Ieremias, alique patres pro populo orarunt vi notitiæ quam habuerunt, dum in vivis erant. Ad secundum, idem dicendum de divite orante in inferno pro fratribus suis: istius tamen oratio vera non fuit; sed naturalis quædam, & violenta exclamatio. Nec enim damnati velle bonum possunt vel fratribus, aut cuiquam. Ad tertium dicimus, verum esse nos orare pro Episcopis, & Pontificibus: quia licet inferiores simus ratione dignitatis, & gradus; sumus tamen viatores, & in statu orandi. At animæ purgatorii non sunt in statu orandi, ut dictum est, quatenus a nobis interpellatæ, quia nequeunt nostras agnoscere supplicationes. Coniecturæ quas affert D. Thomas, non seorsim accipiendæ sunt, sed coniunctim, simulque unitæ. Quare unica fere ratio cur animæ purgatorii non orent pro viventibus, sigillatim est, quia eas latent istorum supplicationes, & egestates. Hæc tamen adeo luculenta non sunt, ut probabilitatem adversæ sententiæ negemus: potissimum quod D. Thomas, ut optime advertit Sylvius, non ex instituto rem hanc discussit. Porro licet animæ præfatae non orent pro aliis ob rationem allatam; certum tamen nobis videtur quod orent pro seipsis: quoniam potissi-

ma, & fere unica ratio cur pro nobis non orare diximus, est, quod ignorent supplicationes nostras. At eas minime latent proprie calamitates; atque adeo divinam clementiam exorare valent. Et quamquam in carcere sint ad solvendum debitum, nil obstat quin ad divinam se recipere clementiam valeant. Hanc opinionem defendunt Ioannes a S. Thomas, Torre, Layman, Salmanticenses, Palaus, & alii.

VII. Angelos, Sanctosque in cælo regnantes orare posse pro nobis viatoribus, & quod reipsa orent, non modo generatim, sed sigillatim, etiam certum est, & ex iis quæ dicta sunt, constat. Orant autem & petendo quæ nobis profutura vident, & nostras preces Deo offerendo. Nec obstat quod beati sciunt quæ Deus facturus est, & an exauditurus sit preces hominum; atque adeo superfluum fore eorum intercessionem. Quoniam non est exploratum, perspecta omnia esse beatis quæ ad illorum statum minime pertinent. Quæ de re consule D. Thomam I. Part. quæst. cxiii. art. 8. Caietanum 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 4. & III. Part. quæst. x. art. 2. Quando agnoscunt quæ Deus concessurus, aut negaturus petentibus est, tum simplici affectu, & conditionato Deum orant, quemadmodum oravit Christus, ut liber a morte crucis evaderet. Quod damnati non orent oratione vera, quæ ex fide, & pia affectione proficiscatur, iam diximus supra, ubi indicatum est, damnatos interdum quædam a Deo petere, ut petierunt Iobi tribulationem, quæ petitiones haud sunt orationes dicendæ.

VIII. Omnes denique viatores, sive iusti, sive peccatores, orare valent. Istorum orationes semper a Deo exaudiuntur, nisi vel res quæ petitur, incongrua sit, minusque expediens divinæ gloriæ; vel orans obicem ponat, deficiatque aut in fide, aut in perseverantia. Ne multa. Si oratio quatuor assignatis conditionibus ornata sit, semper impetrat quod petit.

## DISSERTATIO II.

DE

HORIS CANONICIS.

## CAPUT I.

Propositiones damnatae recensentur.

IN die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto. Alexander VII. prop. 34. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die presenti, & crastino. Idem prop. 35.

Restitutio a Pio V. imposta Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena. 20.

Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit sua obligationi, si officium per alium recitet. 21.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. 33.

Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia pars maior trahit ad se minorem. 54. Innocentii XI.

## PROPOSITIONES LAXÆ.

P. Thomas Tamburinus Lib. I. in Decalog. cap. III. §. 7. verb. Beneficiarius num. 1. & 2. Dicemus infra Lib. II. Beneficiarium tenent beneficium possidentem non obligari ex probabili sententia ad horas canonicas persolvendas. Quid ergo erit, si quando, omnibus ex penis, ambigatur utrum beneficium sit tenue nec ne? Resp. Puto probabile cum Vasquez obligari, & item probabile non obligari cum Caramuel. Quare alteram ex his sententiis, quam tibi libet, amplecti licet.

Idem Tamburinus Lib. II. meth. celebr. Miss. cap. VI. num. 5. Itaque qui dum Missam ex præcepto audit, vel officium divinum persolvit, quæstionem philosophicam secum mente voluntarie obvolveret, vel sua negotia cogitaret, modo externam attentionem haberet, quia scilicet non poneret distractiones externas eius generis, quas diximus num. 1. ex probabili dicta opinione præceptum satis adimpleret. P. Georgius Gobat tract. v. n. 821. Pro-

„babilis multo est essentiam orationis con-  
„sistere cum perpetuis distractionibus, seu  
„evagationibus mentis. Ita Cardinalis de  
„Lugo ex instituto. Tamburinus Lib. IV.  
„in Decal. cap. II. §. 1. “  
„Ioannes Caramuel in Theologia fundamen-  
„tali n. 442. „Homo sum, temetipso fra-  
„gillior, præditus acri, & igneo ingenio.  
„Uno momento cælos verso, altero ad sub-  
„terranea descendo. Nulla in Oratorio mo-  
„vetur musca quæ mihi non sit impedimento.  
„Attendere lectioni desidero, & quoad pos-  
„sum attendo; sed distractiones non evito.  
„Involutarias millies, interdum etiam vo-  
„luntarias; & nihilominus nullo crucior scrupu-  
„pulo, nullo dubio angor: quia prudenter  
„suppono, me ad actionem internam non  
„teneri: eam habere bonum esse, & ea  
„carere nequidem esse levem culpam: me  
„ad lectionem tantum, & attentionem exter-  
„nam obligari: me legisse totum quod Ru-  
„bricæ iubent, ita certo scio, ut possim iu-  
„rare: ergo me ne venialiter quidem pec-  
„cavisse in hac materia certo scio, & ita  
„certo, ut possim iurare.

Leander de sanctissimo Sacramento tract. VIII. disp. v. quæst. xxxvii. „Respondeo  
„secundo etiam probabilis, quod etiam  
„Concionator quotidianus, qui solum volun-  
„tarie, aut etiam ex mercede concionatur  
„quotidie in Quadragesima, excusetur ab  
„horis quotidianis dicendis, si commode illas  
„recitare non possit. Et certe, si hæc no-  
„stra sententia non esset probabilis, & in  
„praxi tuta, vix vix Prædicatoribus quadra-  
„gesimalibus, vix millies illis. “ Vide in-  
„tra cap. x. §. 3.

Idem Leander tract. VIII. disp. v. quæst. xlv. „Optime potest quis se exercere, & occupare in contemplatione divinorum, etiam si ex illa ira in extasim rapiatur ut postea minime recitare queat, vel quia raptus est per totum diem, vel quia ex illo manet ita fatigatus, ac defessus, quod facile non valeat. “

Gobat tract. v. disp. xi. num. 842. „Probabilis est non teneri ad ullam restitutionem qui cum voluntariis, & perpetuis distractionibus recitavit horas omnes. “

C A.

D I S-

## CAPUT II.

De horarum canonicarum, seu officii divini, nomine, numero, & definitione.

I. **E**xpositis iis quæ orationem univèrse, & generatim acceptam spectant, ordinis ratio postulat ut sigillatim de iis orationis partibus quæ horæ canonicæ nuncupantur, sermonem instituamus. Et ut ab earum nomine auspiciemur, horæ nuncupantur, non ab orando, ut quidam putarunt; sed quod constitutis, definitisque ab Ecclesia diei, noctisque horis celebrentur. *Canonicæ* dicuntur, seu regulares. *Divinum officium* etiam horæ istæ dicitur, quoniam in iis continentur ea quæ facere erga Deum debemus, suntque ex divinis litteris partim accepta. Dicuntur etiam officium ecclesiasticum, seu pensum quod vi præcepti Ecclesiæ Clerici solvere Deo debent.

II. Quæst. I. Quot sint horæ canonicæ? Resp. D. Antoninus, Archidiaconus, Francolinus, Rodriquez, pluresque alii, octo eas esse contendunt, videlicet matutinas vigiliæ, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completas. Istius partitionis hanc produnt rationem, quod matutinæ preces, & Laudes duas distinctas horas constituent. Siquidem utraque pars propriis hymnis gaudet, & suis initiis, utraque peculiaribus versiculis inchoatur: *Domine labia mea aperies: Deus in adiutorium meum intende: quemadmodum reliquæ horæ.* Denique olim divinum recitabantur, & hodie in nocte sanctissimi Natalis separantur Laudes a Matutinis.

III. Communissima sententia in præsens est septem tantum esse canonicas horas. Audiendus est Turrecremata, qui tract. lxxiii. in Regulam S. Benedicti, & in cap. Presbyter diff. xci. quæst. i. concl. 2. scribit. „Olim in multis provinciarum Ecclesiis nocturnas vigiliæ divinas fuisse, & seiunctas a matutinis laudibus, & a Monachorum „Conventibus plane secerni, & disiungi „& per orationes distinctas terminari solitas „esse, & tunc temporis octo horæ verissime „numerabantur. At vero nostris temporibus „usu receptam est ut matutinæ laudes simul „cum nocturnis vigiliis decantentur; ac proinde septem tantummodo horæ supputantur. Scribit enim Amalarius in prologo de ordinatione Antiphonarii, se Romæ magistrum interrogasse, & præsertim Theodorum Archidiaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, an inter nocturnum officium, &

matutinum, idest Laudes, aliquod interitium esse deberet; & responsum accepisse, nullum, sed continuo inchoandas laudes per versiculum, *Deus in adiutorium meum intende.* Hanc sententiam defendunt omnes quos videre licuit, Theologi moderni. Ioannes Azorius Tom. II. lib. x. cap. i. plurimos tum Canonistas, tum Theologos allegat.

IV. Quæst. II. Cur septenario numero horæ canonicæ concludantur? Resp. P. Azorius rationes, seu congruentias affert loc. cit. istius numeri. Quarum prima est quod David Propheta septem designat tempora, quibus laudes Deo persolvebat ipse: *Septies in die laudem dixi tibi: Psal. cxviii.* Altera est quod septem donis Spiritus sancti, & septem petitionibus orationis dominicæ respondeant horæ istæ. Item septem sunt reliquæ gentes a Iudeis debellandæ, ut promissam illis terram possiderent. Septem sunt peccata mortalia, septem dæmonia, & septem nequitia: pluresque aliæ figuræ in Scripturis occurrunt, ut septem tubæ, quarum sonitu Iericultina arx corruit; septem candelabra Ecclesiæ, quæ adumbrant septem horas canonicas. Accedit denique quod septem diebus molitus est Deus prodigiosum illud mundi ædificium, & maximum nostræ redemptionis opus præfatis horis peractum fuisse videtur. Media quippe nocte a mortuis Christus surrexit, ut Græci Patres sentiunt; vel sub auroram, ut arbitrantur Latini: Mediam circiter noctem natus ex Virgine est. Hora matutina Concilium Pharisæorum, & Pontificum est initium de Christo perdendo. Hora prima ductus est ad Pilatum, & hinc ad Herodem, & rursus ad Pilatum. Hora tertia iudaici populi voces resonarunt: *Crucifige, crucifige eum:* flagellis fuit caesus, & spinea redimitus corona. Hora sexta cruci suspensus, & hora nona spiritum emisit, ad inferos descendit, Satanaque regnum delevit. Hora vespertina depositus, patibulo fuit, cum discipulis cœnavit; Eucharistiæ sacramentum inlittuit. Hora completorii oratione in horto peracta a Iudeis captus ad Annam, & Caipham ductus varia passus est ludibria. Recensitis horis, licet non præfato ordine servato, peracta fuisse redemptionis nostræ mysteria, ex sacra colligitur Historia. Quare Glossa in cap. i. de celebr. Miss. ut hæc nobis prodat mysteria sequentes versus adiicit.

*Hæc sunt septenas propter quæ psallimus horas. Matutina ligat Christum, qui crimina purgat: Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis: Sexta*

*Sexta Cruci necit: laus eius Nona bipertit: Vespera deponit: tumulo Completa reponit.*

V. Quæst. III. Quanam sit horarum canonicarum, seu officii divini definitio? Resp. Hanc tradit Cardinalis Bellarminus Lib. I. de bonis oper. cap. x. *Divinum officium est certa ratio publice laudandi, precandique Deum, mente simul, & voce, auctoritate Presulum Ecclesiæ instituta.* Dicitur certa ratio, quia non qualibet laus Deo oblata nomen obtinet officii divini, sed tantum ea quæ fit forma servata, & præscripta ab Ecclesia, constatque psalmis, hymnis, & precibus. Additur publice, quoniam divinum officium persolvitur publico nomine totius Ecclesiæ in bonum commune a publicis ministris. Dicitur laudandi precandique, ut distinguatur Ecclesia triumphans, quæ, cum post universale iudicium in omnibus suis membris triumphabit, solas laudes Deo persolvit: nunc vero Ecclesia, usquedum militat, & bellum agit, laudibus preces, & supplicationes adiungit. *Tō Deum* additum in finitione significat quod soli Deo divinum officium persolvitur. Nec refert quod aliud sit officium de Sanctis, aliud de tempore, aliud mortuorum. Quoniam in omni officio Deus laudatur sive in Sanctis suis, sive in semetipso; & dum mortuis refrigerium porrigitur, a Deo impetratur, psalmi, hymni, collectæ in Deum recta diriguntur. Additur mente simul, & voce: quoniam sic præcipit Ecclesia: idcirco additur ultima particula auctoritate Presulum Ecclesiæ instituta. Quod præceptum, recitandi nempe officium iuxta formulam institutam, ab Ecclesia latum est in pluribus Conciliis, ut in Milevitano can. xii. in Toletano IV. cap. ii. & a Gregorio VII. in Concilio generali numerus psalmorum, & lectio-num præscriptus est, ut habetur in can. in Die de Consec. dist. v.

IV. Quæst. IV. Quando primum canonicæ horæ institutæ fuerunt? Resp. Polidorus Virgilius Lib. de rerum inventionione primam horarum canonicarum institutionem refert in Pelagium I. aut in Pelagium II. In huius rei confirmationem adducit cap. Eleutherius dist. ix. quod decretum Pelagii esse dicitur. Alii Damaso, alii Gregorio I. præfatum institutionem tribuunt. Ioannes Azorius, qui rem hanc erudite dispexit, vetustiore esse harum horarum originem contendit Lib. X. cap. i. quæst. vi. Auctor constitutionum apostolicarum sub nomine Clementis vulgararum Lib. VIII. docet, Clericos statis diei, noctisque horis consuevisse psalmos, hymnos.

aliasque preces Deo fundere his verbis. *Preces facite mane, tertia hora, sexta, & nona, & vespere usque ad galli cantum.* Basilius quoque in Regulis copiosius disputatis interrog. 37. & sermone i. de Institutione Monach. ubi explicat illud Apostoli, *Sine intermissione orantes, & illud, Nocte, & die laborantes,* memorat matutinam horam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, Completam, & mediam noctem. Cyprianus in expositione orationis dominicæ idem docet. Hieronymus epist. ad Eustochium, *Horam Tertiam, inquit, Sextam, Nonam, Diluculum quoque, & Vesperas nemo est qui nesciat.* Epistola de obitu Paulæ hæc scribit: *Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabat.* Ioannes Chrysostomus hom. xxxix. ad populum Antiochenum Monachorum mores describens refert: *Ante lucem, cum gallus vocem dederit, omnes statim cum reverentia somnum deponentes exurgunt, excitante eos Prelato, & consistunt, sanctum constituentes chorum, & statim manus extendentes sacros hymnos decantant . . . . Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas orationes celebrant, & in quatuor partes diem dispartiti, dum singule partes implentur, psalmis, & hymnis Deum venerantur.* Extant adhuc hymni ab ipso Ambrosio compositi pro singulis fere horariis precibus. Lege eum Lib. VII. in Lucam. Hilarius in Psal. cxviii. Cassianus Lib. II. & III. de instit. Monach. septem horas Deum precandi recenset. Si plura cupis, lege laudatum Azorium. Ex quibus colligitur, per vetustam esse in Ecclesia consuetudinem septem horarum canonicarum, ut videre est in Martyrologio Adonis v. idus Ianuarii, & x. kalendas Augusti in vita S. Apollinaris, in Sozomeno Lib. VI. hist. cap. xxxiii. & xxxiv. in Socrate Lib. II. hist. cap. viii. in Theodoro Lib. II. cap. xiii. Et, ut advertit Azorius, fortasse Pelagius I. aut II. lege præscripsit quod antea solo usu peragebatur. Posteriorum temporum Scriptores crebrius harum horarum meminerunt. In Concilio Cabilonenli II. sub Carolo Magno celebrato can. lix. In Aquisgranensi sub Ludovico Pio cap. cxxvi. & seq. & in Agatenli, ut habetur can. Presbyter de Celebrat. Miss. Clerici ad horas canonicas persolvendas lege urgentur. Qua de re lege Isidorum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Rupertum, & Hugonem a S. Victore. Igitur, si substantiam spectes officii divini, origo illius apostolica dici potest. Legitur quippe Act. iii.



*Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Si modum, formamque consideres, institutio ecclesiastica est.*

VII. Quæst. V. *Quanam sunt partes maiores, minoresque officii divini, & quo tempore olim celebrata fuerunt?* Resp. Maiores partes sunt Nocturni, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Minores sunt psalmi, hymni, lectiones, cantica, antiphonæ, responsoria, versus, capitula, collectæ. Ad tempus quod attinet harum horarum, animadvertendum cum Bellarmino *Lib. I. de bonis operibus cap. xi.* quod olim apud Iudæos fecabatur tempus in duodecim horas nocturnas, totidemque diurnas: ex quo conseqnebatur, in hieme longiores fuisse nocturnas diurnis, & ætate diurnas longiores nocturnis iuxta nocturnum, dierumque brevitatem, aut longitudinem: quem horarum morem obtinuisse tempore Christi Domini colligitur ex illis verbis Ioan. xi. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Animadvertendum secundo, duodecim horas nocturnas in quatuor tributas fuisse partes, seu vigiliis: quarum prima incipiebat ab occasu solis, & desinebat hora tertia noctis: secunda ab hora tertia initium ducebat, & terminabatur in sextam horam: tertia fiebat a sexta in nonam: quarta tandem, quæ proprie dicebatur vigilia matutina, a nona hora incipiebat, & terminabatur in duodecimam. Harum vigiliarum meminerunt Evangelistæ. Marc. xiii. *Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Lucas c. xii. *mediam noctem, gallicque cantum sic exprimit. Si venerit in secunda vigilia, & se in tertia vigilia venerit.* Et illud mane, quod est in textu Marci, idem Marcus cap. vi. exprimit dicens: *Quartam vigiliam noctis.* Quarum vigiliarum mentio habetur in veteri testamento pluribus in locis. *Thren. ii. Iudic. vii. Exod. xiv. & apud Hieronymum in caput xiv. Matth.* Quatuor vigiliis nocturnis correspondent quatuor diei horæ, nempe tertia, sexta, nona, & vespertina, quibus celebriora negotia peragi solent: qua de re plurali Tertullianus *Lib. de ieiunio.*

VIII. Quibus positis, facilius est variæ consuetudinis plurium Ecclesiarum explicatio. Alicubi apud veteres tres nocturni tribus distinctis horis, seu tribus vigiliis nocturnis, celebrabantur, ut refert Hieronymus *epif. de custodia virginitatis* ad Eustochium: & D. Thomas lect. vi. in cap. xiv. I. ad Corinth. *Antiquitus enim dicebantur nocturna divisa*

*secundum tres vigiliis noctis; nunc vero dicuntur simul.* Aliibi tres nocturni simul recitabantur media nocte, iuxta illud *Psalm. cxviii. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Hoc tempus, inquit Bellarminus, potissimum Patres prescribunt, Athanasius *Lib. de virginitate*, Basiliius in *questionibus suis explicatis quæst. xxxvii.* Hieronymus *de obitu Paula.* Observat Thomas Valdensis, inquit Bellarminus, quod tamen nunc nulla Ecclesia dividat tres nocturnos in singulas vigiliis; tamen aliqua Monasteria celebrant officium nocturnum prima vigilia, alia secunda, alia tertia, alia quarta vigilia: atque adeo lingulis nocturnis vigiliis laudes Deo persolvuntur. Addit Bellarminus quod laudes matutinae, quibus iuxta Breviarii Romani formam nocturni iunguntur, debeant recitari ab initio crepusculi matutini usque ad ortum solis: quod confirmat ex ipso nomine matutini, & ex hymnis, in quibus auroræ mentio fit. Qua de causa in nocte Natalis Domini laudes a nocturnis separantur, & post celebratam Missam persolvuntur. Ex quo infert, minus absurdum esse Laudes a nocturnis separare, quam Laudes ante mediam noctem persolvere. Nec officit celebratio divini officii triduo ante Pascha sub occasum solis: quia id fit ad representandum maximum illud mysterium quo sol iustitiæ Christus Dominus occidit: idemque manifestat candelarum extinctio. De his mysteriis consule Amalarium *Lib. IV. de Offic. eccl. cap. xxi. & xxii.* Rupertum *de Offic. divini. cap. xxiv. & seq.* & Ioannem Azorium, qui *Lib. X. cap. ii.* fufè hanc materiam explicat.

IX. Quæst. VI. *Est ne peccatum separare Matutinum a Laudibus?* Resp. Probabilior mihi sententia est quæ defendit licitam eiusmodi separationem, nulla etiam occurrente causa. Quam sententiam propugnat Suarez *Lib. IV. de orat. vocal. cap. vi. num. 9.* Bonacina *disp. i. quæst. i. punct. 3. num. 6.* Sanchez *Lib. VII. Consil. cap. iii. dub. 30.* Filiucius *tract. xxiii.* Leander *tract. viii. disp. i. quæst. vi.* Navarrus *de orat. capit. iii. numer. 28.* Ratio est, quia ex primæva institutione semper licuit: nullaque ratio occurrat cur id nunc non liceat, potissimum extra chororum. Adderem fatius, meliusque illos se gerere qui privatim horas celebrant, si sub initium noctis, seu ad vespertinum, nocturnas horas celebrarent, dimitterentque laudum recitationem ad diluculum sequentis auroræ, ut hymni opportuno tempore iuxta eorum sensus recitarentur. Methodus servanda in eiusmodi

modi separatione est quod sub finem nocturnorum recitetur collecta illius diei: idque abque fundamento negat Sanchez *Lib. VII. Conf. c. iii. dub. 20.* quia, dum separantur laudes a nocturnis, vices gerunt istarum horarum distinctarum. Hoc facit Ecclesia in nocte Natalis Domini. Dicit etiam debet Pater noster sub finem nocturnorum, & initium laudum. Hæc est communior sententia, & probabilior, quam defendunt Suarez, Fabris, Diana, Trullench, & alii apud Leandrum *disp. i. quæst. vii.* Aliqui etiam recitant sub finem nocturnorum antiphonam quæ est ad canticum *Benedictus*: qui mos optimus est, utpote clarius exprimens horam esse completam.

## CAPUT III.

*De pœvetusta consuetudine recitandi in choro canonicas horas.*

I. **N**omine chori ecclesiastici intelligitur cœtus Religiosorum, qui una conveniunt ad fundendas Deo preces iuxta prescriptam ab Ecclesia formulam. Hanc precandi rationem ab ipsis Apostolis traxisse originem certum est, rei substantia spectata. De primis quippe Christianis legitur Act. i. *Erant perseverantes unanimiter in oratione.* Paulus Apostolus I. Corinth. xiv. describit ecclesiasticos conventus, & cœtus Christianorum simul comprecantium. *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum &c. . . .* *Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet. Similia habet epistolæ ad Ephes. cap. v. Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Iesu Christi. Tandem ad Coloss. 3. idem Paulus hæc scribit. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Quæ omnia, quamquam intelligi valeant de oratione etiam mentali, aut vocali privata, obvio tamen sensu publicam Ecclesiæ orationem præferunt: quod magis patet ex Patrum traditione. Clemens, iive Auctor Constitutionum apostolicarum *Lib. VIII. cap. xxxiv.* horas canonicas describit, & in communi recitandas docet his verbis. *Preces facite mane. . . . Quod si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis Episcopo in domo aliqua, ne ingrediatur prius**

*in Ecclesiam impiorum. . . . Quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, canat, oret, saltem duo simul, aut tres.* Iustinus Martyr apologia 2. pro Christianis hæc scribit. *Nos autem postquam ita ablucimus, expiavimusque eum qui credidit, & assensus est, eum ad eos qui fratres dicuntur, ducimus in eum locum quo conveniunt comprecandi causa contentis animis & pro se, & pro eo qui illustratus est, & pro omnibus aliis qui ubique sunt. . . . Tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nobis precibus, panis, ut dixi, vinumque, & aqua offeruntur.* Tertullianus in Apologia cap. xxxix. hæc habet. *Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplina unitate, & spei federe, convenimus in eorum, & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta preceationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Hic conceptis verbis describitur comprecatio, seu oratio in communi Deo facta. D. Basiliius *Epistolæ. lxxii.* ad Clerum Neocæsariensem clarius rem hanc exprimit. *Qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordantes sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum preceationis petit, inque labore, tribulatione, ac lacrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur: & nunc quidem in duas partes divisi, alternis succincentes psallunt.* Hæc omnia confirmat Hieronymus *epistolæ ad Sabinianum.* *Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diversarum gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat.*

II. Rationes quoque suppetunt quibus id evincatur. Ecclesia unum mysticum corpus, ut alibi dictum est, constituit, cuius caput Christus est, & nos membra. Igitur debemus uno ore, una voce, uno spiritu Deum laudare, & benedicere, colere, & venerari. Hæc porro precandi ratio non potest non esse Deo gratissima, cum ab eius sponsa Ecclesia, quæ sancta est, proficiscatur. Hæc autem communes preceationes Ecclesiæ auctoritate temporis decursu ad certam formam, ordinemque redactæ sunt, ut confusio, & perturbatio omnis tolleretur: idcirco canonicæ appellatur. Si plura hac de re cupis, consule P. Franciscum Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. ii. cap. i.* ubi crudite, & docte rem hanc dilucit.

## CAPUT IV.

*Sit ne laude dignum divinum officium cantu in Ecclesia persolvere. Quæ ratio cantus adhibenda.*

**I.** V Aldenses, Wiclephista, alique recentiores hæretici in Ecclesiis Romanæ cantum, quemadmodum in alios eiusdem sacros ritus, debacchati sunt, ut referunt Alphonsus a Castro verbo, *Horæ canonicæ*, Bellarminus, & alii. Verum consuetudo Ecclesiæ a suis primordiis obtinuit laudes Deo cantu persolvere. Quam honestam, piam, sanctamque consuetudinem declaravit Synodus Tridentina *sess. xxiii. D. Thomas 2. 2. quæst. xci. art. 2.* probat pium, utilemque esse cantum in divinis laudibus persolvendis. *Dicendum*, inquit, *quod laus vocalis ad hoc necessaria est, ut affectus hominis provocetur in Deum. Et ideo quæcumque ad hoc utilia esse possunt, in divinis laudibus congruenter assumuntur. Manifestum est autem quod secundum diversas melodias sonorum animi hominum diversimode disponuntur; ut patet per Philosophum in VIII. Polit. & per Boetium in prologo musica. Et ideo salubriter fuit institutum ut in divinis laudibus cantus assumeretur. Innumera occurrunt ex divina Scriptura documenta. Nam Moysis tempore consuetudo obtinebat canendi sacra cantica. *Exod. xv.* Psalmi Davidici in cithara, & cantu recitabantur: *II. Reg. vii.* In novo testamento *Matthæus cap. xxvi.* & *Marcus cap. xiv.* testantur, Christum Dominum post cenam hymnum dixisse cum discipulis suis. Porro Augustinus enarratione in *Psal. lxxii.* hymnum describit laudem Dei esse cum cantico. Quare multi pie credunt, inquit Suarez *loc. cit. num. 9.* Christum illum hymnum cecinisse. Et Chrysostomus aperte id testatur *hom. lxxxiii.* in *Matth. Hymnum cecinit, ut & nos similiter faciamus. Si Patrum traditionem cupis, hanc fuscè indicat P. Suarez loc. cit.**

**II.** Utilitatem istius cantus describit Isidorus *Lib. III. Sent. cap. vii.* *Pfallendi utilitas tristitia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat.* Multaque similia Basilii in *Psal. i.* Et idem Isidorus addit: *Bonum est corde semper orare: bonum est etiam & sono vocis Deum spiritualibus hymnis glorificare.*

**III.** Hæc omnia adeo clara sunt, ut in iis explicandis diutius non sit immorandum. Ratio potius in cantu adhibenda, seu qui modus canendi in Ecclesia congruus sit, & decens,

expendatur oportet. Duplex ergo distingui canendi ratio solet. Alteram vocant figuratam, alteram simplicem. Prima videtur absolute in divinis officiis interdicta. Nam in *Extrav. unic. de vita & honest. Cleric. inter com. Ioannes XXII.* hæc præscribit. *Interdum præcipue in diebus festis, sive solemnibus, liceat proferre supra canticum simplicem ecclesiasticum aliquas consonantias; sic tamen, ut ipsius cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de bene memorata musica immutetur.* Permittit Pontifex ad summum consonantias illas quas *contrapunctum* vocant. Martinus Navarrus in *Enchiridion cap. xvi. num. 33.* adfirmat peccare cantores qui in divinis horis celebrandis canunt *cantum organicum*, seu figuratum. *D. Thomas 2. 2. quæst. xci. art. 2. ad 4.* excludit a cantu ecclesiastico musicalia instrumenta. *Sicut Philosophus dicit in VIII. Politicorum, neque fistulas ad disciplinam est adducendum, neque aliquod aliud artificiale organum, puta citharam, & si quid tale alterum est; sed quæcumque faciunt auditores bonos. Huiusmodi enim musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formetur interius bona dispositio. In veteri autem testamento usus erat talium instrumentorum: tum quia populus erat magis durus, & carnalis: unde erat per huiusmodi instrumenta provocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum etiam quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Caietanus in commentariis in *art. i.* observat, tempore *D. Thomæ* organa non fuisse in usu; quemadmodum nec Ecclesia Romana coram Summo Pontifice organis utebatur: unde hæc adiicit in commendationem angelicæ doctrinæ. *Et si rationem in littera allatam ex VIII. Politicorum attentius meditati fuerimus, apparebit quod in ecclesiastico officio, ad quod suscipienda divinis interioris discipline gratia convenimus, iuxta illud, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam salutare Dei, non sunt admittenda instrumenta musica. Tantoque magis excludenda sunt, quanto divina disciplina interior excellentior est omnibus disciplinis humanis huiusmodi instrumenta repellentibus. Et licet per se loquendo hoc verum sit, potest tamen per accidens tolerari iam extensa consuetudo organorum propter nimiam elongationem hominum a divino cultu, ut vel sic allecti, divinis intersint. Consuetudo nunc invecata licitum reddit organorum usum. Tamen parce illis utendum, inquit idem Caietanus in *summul. verb. Organum*, pro ut solum conducunt ad excitandam devo-*

tio-

tionem, animosque spirituali lætitia perfundendos.

**IV.** Dicendum itaque cum laudato *P. Suarez*, cantum etiam musicalem non esse absolute, saltem attentam consuetudine fere universali invecata, illicitum in divinis persolvendis officiis, & in Missa celebranda. Talis tamen sit cantus oportet in quo auditores percipere præter vocis sonum etiam laudes divinas, quæ recitantur, possint. *P. Suarez cap. viii.* animadvertit, quod licet psalmi, & hymni hoc musicali modo decantati, non integre, & perfecte percipiuntur; tolerari tamen valeat præfatus cantus propter alios sanctos fines. Quid, si propter multitudinem tum instrumentorum, tum vociferantium nec integrum versiculum auditores perciperent? Respondet *P. Franciscus Suarez*, quod solus armonicus concentus interdum plus spiritualis delectationis, devotionisque excitare solet, quam psalmus clare, & distincte perceptus: *quia hæc sensibilia sepe magis nos movent.* *loc. cit.* Quod sensibilia magis permoveant sensus, plusque delectationis, & voluptatis carnalis, & sensibilis excitent, verum habet. Ceterum quod efficacius mentem, animumque in Deum efferant quam eloquia divina, quam psalmi Deo afflante dictati; non audeo ego asserere; quemadmodum nec ausim aut omnia musicalia instrumenta, aut cantum etiam figuratum, in divinis laudibus celebrandis adhiberi solitum, reiicere; dummodo tamen gravitas, maiestas, modusque fervetur; dummodo personæ ecclesiasticæ, virique graves, pii, & modestia ornatu præfatum cantum edant. Quid, si homines evirati, & theatrali professionem exercentes, a theatris ad Ecclesiarum choros transfrent? Quid, si divinos psalmos, hymnosque theatri more, gestu, modulationeque canerent? Porro an reapse frequenter contingat in celebrioribus solemnitatibus ecclesiasticis præfatos musicos laudes divinas canere, aliorum esto iudicium. Audi quid in hanc rem scribat Caietanus in *summul. verb. Organum.* *Nec excusantur ex eo quod sonus abstrahit ab omni materia, & quælibet melodia soni potest ad sacra verba applicari; tum quia secundum rei veritatem isti soni fiunt ut accommodati ad delectationem auditorum, qui non noverunt illos, nisi ut sonos illorum verborum profanorum, aut turpium; cuius signum audientes ex illo sono excitantur ad illa profana, seu turpia, ut experientia testatur; ita quod non est locus inficiationi: tum quia cantus etiam abstrahit ab omni materia; & tamen Ecclesia interdixit profanos cantus*

*Conc. Theol. Tom. II.*

*in Ecclesia, ut cantus theatrales, ut patet dist. xcii. cap. Cantantes. Memento hic apostolica sententia: Nolite errare: Deus non irridetur, aut fallitur. Involvuntur autem eodem crimine non solum pulsantes, sed quæ conducunt, & consentiunt pulsantibus hæc, ut impleantur Scripturæ: Gloriantur qui oderunt in medio solemnitate tuæ. Modus ergo tum in cantu, tum in instrumentorum fonitu servandus, dum divinæ laudes celebrantur. Quartis enim plus mali quam boni in cuiusque artis exercitio evenit, toties eiusmodi ars de medio tollenda est, ut cum Platone *D. Thomas* docet. Porro quis dixerit plus devotionis, & spiritualis gaudii & divini cultus excitari musicalibus instrumentis, & figurato cantu, quem evirati viri theatrali professionem exercentes in Ecclesiis non raro peragere hodie solent, quam sensibilis delectationis, & carnalis voluptatis? Audiamus quid ipsemet Augustinus expertus sit, dum eiusmodi instrumenta, cantumque audiebat: sic namque scribit *Lib. X. Confess. cap. xxxiii.* *Voluptates aurium tenacius me implicaverant, & subiugaverant. Sed resolvisti, & liberasti me. Nunc in sonis quos animant eloquia tua, cum suavis, & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco, non quidem ut hæream, sed ut surgam, cum volo. . . Sed delectatio carnis mee, cui mentem enervandam non oportet dari, sepe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior; sed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere, ac ducere conatur. Ita in his peccato non sentiens, sed postea sentio. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatus cavens, erro nimia severitate, sed valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavius, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutiusque mihi videtur quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sepe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperate fidei meæ, & nunc, cum moveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce, & convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in**

P

affe-

affectum pietatis assingat. Tamen, cum mihi accidit ut me amplius cantus quam res que canitur, moveat, penitenter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem.

V. Respondet P. Suarez cit. Lib. IV. cap. VIII. num. 2. peccatum quod in se recognoscatur Augustinus, vel non fuisse veram culpam, sed *penale peccatum*, nempe motum surreptionis ex fomite; vel fuisse veniale. Veniale fuisse Augustini peccatum, nec ipse repugno. Ad peccatum *penale* quod attinet, utique ex fomite, qui originalis culpa poena dici potest, originem ducit. At propterea ne rationem culpæ exuit, quando ex libera, & deliberata voluntate proficiscitur? Confiteatur sincere Augustinus se peccasse, dum plus eum cantus quam res que cantabatur, delectabat. P. Suarez autem contendit per se peccatum non esse, plus moveri cantu ipso quam re cantata. Nam hoc evenire potest ex conditione naturæ audientis.

VI. P. Suarez nonnulla hic habet quæ non omnino mihi probantur; ideo clarius dispicienda res est; & res quæque suo in loco, & gradu collocanda. Psalmi, hymni, seu ipse divinæ laudes sunt quæ mentem illuminare nostram debent, pios cordis affectus percipere, animamque in Deum erigere. Quoniam vero carcere corporis huius animus inclusus detinetur, sensibusque alligatus est, ac sensuum ministerio indiget; ideoque instrumenta quæ sensus adiuvant ad inserviendum animo in iis quæ Dei sunt, licita sunt. Dum igitur cantus, & cetera quæ cantum comitantur, ut soni harmonici, facilius divina eloquia in animos audientium deferunt, & dum in linea sistunt instrumentorum, quæ, ut cum Augustino loquar, eloquia divina comitentur ad excitandos sensus, sensuumque ministerio animam, & mentem in Deum erigant; tunc licita sunt, omnique culpa carent. Contra, dum psalmi, hymnique tali modo, artificiosque cantantur, ut nec verba, nec sensa percipi ab auditoribus valeant; sed sola harmonia, sola vocis inflexio, solum artificium musicale primas obtineat, & res quæ cantatur, veluti pedissequa sit, ipsique concentui deserviat; tunc illicitum, profanumque reputarem cantum eiusmodi; atque inter theatrales concentus reiiciendum. De hoc cantu sic loquitur Divus Antoninus II. Part. tit. IX. cap. XII. §. 3. „ Similiter, si cantatur officium, debent vitari cantus theatrales: quia non habent talia inducere ad devotionem, sed ad vanitatem, & delectationem sensualem: unde Hieronymus tractans illud Apostoli,

„ Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, ait: Audiant hec adolescentuli: audiant ii quibus cantandi in Ecclesia officium est, non ore, sed corde Deo cantandum: nec in tragediarum modum guttur, & fauces dulci modulamine leniende sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur in canticis. „ Nec est quod reponas, a Patribus improbari cantiones, resque profanas in Ecclesiis cantari: quoniam id sua natura vetitum est. Patres, Concilia, ipsique graviores Theologi damnant ipsa divina eloquia theatri cantu celebrari. Quid poro de illis dicendum feminis quæ in quibusdam Ecclesiis cantu plane theatri laudes divinas celebrant, quo turmatim homines confluant, omni alio sine ducti quam devotionis, & divini cultus; sed ut cantus suavitatem, instrumentorum concentum, artificiosas vocis modulationes audiant, atque in sola aurium voluptate quiescant; ut feminas ipsas, prociacultu, gestuque sese visendas, audiendasque obiectantes, spectent; quique non raro & manibus, & clamoribus, non secus ac in theatro, plaudunt egregie canentibus? Si isthæ profanatio tum divinarum laudum, tum sacri loci non est; quænam erit? Quæ ipse sentio, paucis exprimam. Musicales concentus qui hodie in Ecclesiis celebrari in magnis potissimum solemnitatibus solent, totidem sunt templorum, & divini cultus profanationes, quæ nullo prætextu a peccato purgari valent. Consuetudinem universalem obrudis? At ego pessimam voco corruptelam. Quid ergo? Omnes ne damnabis? Neminem ego damno. Sed morem pravum, & ab usum nimis absurdum improbo. Dum eiusmodi solemnes musicales cantus, & soni habentur, Dei templa in theatra, in fora, ne in lupanariorum veluti spectra dicam, vertuntur.

VII. Servandus ergo ecclesiasticus cantus simplex, & gravis organorumque usus Ecclesiæ consuetudine probatus. Viros Ecclesiæ dicatos cantu quoque figurato posse interdum celebrare divinas laudes, iure nemo improbaverit, spectata potissimum consuetudine. Ceterum modus, & ratio adhibenda. Et iis in Ecclesiis in quibus consuetudo non obtinet admittendi eiusmodi concentus musicorum, & instrumentorum, ea sancte custodiatur. Si quidem, quamvis figuratus cantus, instrumentorum varietate permixtus, licitus absolute sit; adeo tamen difficile est modum rationemque servare, & theatri profanationis declinare extremum, ut raro in praxi culpa omnis absit. Quare cantui simplici, & ad

Ec-

## CAPUT V.

De obligatione recitandi horas canonicas in choro, & de tempore, ordine, & loco quibus celebrari debent.

I. Hactenus demonstratum est, laudabilem esse pervevitam consuetudinem celebrandi horas canonicas, cantu etiam, & instrumentis musicalibus adiectis. In præfens obligatio recitandi præfatas horas in choro explicanda est. Nomine chori non solum intelligitur locus materialis, in quo laudes cantantur; sed etiam cœtus, immo potissimum conventus Religiosorum qui eiusmodi horas cantant. Porro extare præceptum quo personæ ecclesiasticæ ligantur ad celebrandum in communi, seu in choro præfatas horas, certum est, & a nemine Theologorum in discrimen vocatur. Hoc præceptum obligat omnes cathedrales, collegiatas, & Regularium Ecclesias, ut constat ex cap. Dolentes de celebr. Miss. & Clement. I. pariter de celebr. Miss. Si itaque ius canonicum spectetur, omnes Ecclesiæ cathedrales, collegiatae, parochiales, & regulares tenentur in communi recitare divinum officium. Adeo gravis est obligatio isthæ, ut Pater Dominicus Soto asserat Lib. X. de iust. & iur. quæst. v. art. 3. Si alius Religionis modus citra huiusmodi obligationem admittatur, certe vix nomen Religionis meretur, quippe quæ maximo Religionis splendore careat. Ordo tamen inclytæ Societatis IESU ab hac obligatione exemptus est a Gregorio XIII. in Bulla Ex Sedis. Qua de re consule P. Suarez Tom. IV. de Relig. Lib. I. cap. VIII.

II. Quæst. I. Tenentur ne omnes Ecclesiæ cathedrales, collegiatae, parochiales, & regulares sub gravi culpa recitare canonicas horas in choro? Resp. Quamvis omnes præfatae Ecclesiæ teneantur, rigore iuris spectato; attenda tamen consuetudine, quæ præceptum temperavit, aliqua tantum diebus dominicis, aut festis huic oneri subiaccant, aliæ omnino exemptæ sunt, ut communiter Theologi docent, & usus patet.

III. Quæst. II. Regularium Ecclesiæ, quæ chorum frequentant, tenentur ne sub letali culpa horas in choro recitare? Resp. Adfirmant omnes Theologi, si Marcum Vidal excipias, qui in sua Arca laxiorum opinionum inquis. I. num. 31. negat hanc obligationem sub mortali: cuius opinionem, ut scandali plenam, reiiciunt communiter omnes. Hæc obligatio proficiscitur ex iure communi, cui consue-

tudine contraria minime derogatum est unquam, cuius vis nunquam fuit imminuta, vel infirmata. Quare iis in Religionibus in quibus viget usus chori, tenentur Prælati, quos præceptum directe afficit, curare ut semper horæ canonicæ in choro recitentur.

IV. Quæst. III. *Præceptum cui subest Conventus, seu Ecclesia, recitandi horas canonicas in choro, afficit ne singulos Religiosos eiusdem communitatis?* Resp. Afficit singulos in communi, secus in particulari; seu præceptum spectat totam communitatem, cuius caput Prælati est: & idcirco ipse vi præcepti tenetur efficere ut laudes divinæ celebrentur in choro. Quod si Prælati suo muneri deesset, sineretque chori frequentationem in præceptis ruere, & ipsam omnino negligeret; tunc singulorum esset occurrere bono communi, & operam dare ut consueta chori frequentatio restitueretur. Neminem vero dictum præceptum afficit hoc in sensu ut singuli sub mortali chororum frequentare teneantur. Hæc enim obligatio tota proficiscitur ex Regula, & constitutione cuiusque Religionis. Porro si Regula, & constitutiones ad culpam nullam obligant, ut constitutiones Ordinis Prædicatorum; nullam omnino culpam absolute, & ex genere suo perpetrat qui choro abest: quamvis peccare possit ex negligentia, aut alio ex capite. Licet enim maiores nostri, divino hæc fulmine, noluerint Religiosorum conscientias legum severitate gravare; non ideo tamen eisdem legibus vim obligandi ad culpam ademerunt, ut facultatem subditis impertirent illas liberius, impudentiusque violandi. Quare vix in praxi leges præfatæ absque aliqua culpa violantur. Et quo maioris momenti lex est, eo gravior est semper transgressio. Unde cum constitutio frequentandi chororum sit gravissima; idcirco qui absque legitima causa absunt ob meram desidiam, aut ut suæ satisfaciant curiositati, vanisque studiis, quæ in nullum cedunt Religionis profectum, operam dent, a culpa immunes non sunt: cuius culpæ gravitas ex circumstantiarum varietate pensanda est. Opinio hæc communissima est, eamque defendunt Suarez *Tom. II. Lib. IV. cap. x. num. 15.* Castropalaus *disp. III. punct. 1. num. 12.* Pellizarius *tract. v. cap. VIII. sect. 1. q. IV.* Bonacina *disp. II. de hor. can. qu. 1. punct. 1. num. 9.* Leander *tract. VIII. disp. VI. qu. XIII.* Salmanticenses *tract. XVI. cap. 1. punct. 1. num. 7.* Raphael de la Torre *in 2. 2. de hor. can. contr. 10. disp. 1.* Diana, Tamburinus, & communiter omnes.

V. Obligat. Præceptum quod obligat com-

munitatem, obligat etiam singulos Monachos, seu Regulares. Qui enim constituunt communitatem, nisi privati? Si ergo præceptum astringit communitatem, eadem ratione astringit privatos. Resp. Negatur consequentia. Præceptum quod spectat mysticum corpus, directe spectat caput, quod eiusmodi corpus regit. Præceptum itaque Prælati, seu superioris immediate afficit, non hoc in sensu, quod Prælati vi præcepti teneatur choro interesse; sed quod onus ei incumbat curandi ut laudes divinæ in choro celebrentur. Quare lex recitandi officium divinum in choro non plus obligat superiorem quam alios Religiosos. Alio postea ex capite superior fortius, graviusque astringitur, ut nimirum aliis sit exemplo, ut sui præsentia subditos alliciat, ut ministerium suum impleat, ut curet præceptum celebrandi horas in choro exacte observari.

VI. Quæst. IV. *Prælati regulares possunt ne libere cum subditis dispensare, ne chororum frequentant?* Resp. Si ius commune spectetur, dubio procul dispensationem impertiri subditis valent, prout illis expedire videbitur: quemadmodum ab aliis constitutionibus pro temporum opportunitate liberare eos possunt. Obstat tamen videtur decretum CLEMENSIS VIII. iussu URBANI VIII. confirmatum anno 1624. in quo decreto hæc habentur: *Nullus omnino pretextu cuiusque privilegii, vel superioratus, etiam generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus superiores iis tantum diebus quibus eos legere, aut concionari contigerit, dispensare possint. Id quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos vero qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia superiores animadvertant ad præscriptum Regule, & constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.* Nonnulla super hoc decreto observanda. Et primo Pontifex non aufert potestatem Regularium Prælati, qua hi fruuntur dispensandi cum suis subditis vi suarum constitutionum; nimirum in hoc, aut illo eventu, prout varietas circumstantiarum feret, & ut Religiosi qui a choro eximuntur, aliis Religionis muneribus perfungantur. Sed illis vetat ne valeant aliquem Religiosum absolute dispensare ab onere frequentandi chororum, a quo nec ipsi Generales absolute, & vi generalatus eximuntur. Quod spectat illam clausulam, *Studiorum causa legitime impeditis,* ani-

animadvertendum, quod hi qui in litterarum studia incumbunt, ut legitime a chori frequentia abesse possint, & cum iisdem superiores dispensare valeant, debent illis excolendis scientiis potissimum operam navare quæ in decus, & commodum Religionis cedunt, & quæ ab ipsa Religione præscribuntur. Quare spectare debet sui Ordinis leges. Ordinis prædicatorum constitutiones præcipiant in ea studia maxime incumbendum quæ proximorum salutem, & catholicæ fidei splendorem promoveant. Hic quippe est Ordinis illius finis. Ceterum vix est scientia, & ars quæ, si recte excolatur, non possit suam habere utilitatem, & in Religionis ornamentum cedere. Verum de hoc alibi forte plura dicturus sum.

VII. Quæst. V. *Quot Religiosi requiruntur ut præceptum recitandi horas canonicas in choro impleatur?* Resp. Salmanticenses *tract. XVI. cap. 1. punct. 1. num. 6.* docent cessare præceptum recitandi horas in choro, si in Conventu non essent saltem quinque Religiosi expediti: quia impossibile non est obligatio. Pro qua opinione citant Marcum Vitalem, & Bordonium, quibus subscribit Pellizarius, & Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap. v. §. 1. num. 12.* ubi scribit, *excusari communitatem a choro, si constet solum ex quatuor, aut quinque. Quia tamen si quatuor, vel quinque, immo & duo sufficiunt ad rigorem chori; tamen cum sit probabilis opinio plures requiri ad constituendum chororum ex obligatione, ut scilicet cum aliquo decore alternatim cantetur, & ne tantum unus quotidianum tantum paucis ex obligatione imponatur, potest communitas Religiosorum hanc opinionem sequendo a dicto onere se tunc liberare.* Hæc opinio, quæ iurculus est Probabilissimi, laxa est. Quatuor Religiosi præcepto satisfaciunt, ut communior fert opinio, quam defendit vel ipse Leander *disp. VI. quæst. XI.* Cur ergo, dum quatuor choriæ degunt in Conventu, seu Monasterio, ab implendo præcepto exempti erunt? Quia contraria opinio, inquit Tamburinus, probabilis est. Cui nos respondemus, probabilem esse ad fovendum otium, ad subtrahendum Deo cultum; secus ad salutis portum consequendum. En quo semper novum Probabilissimi commentum recidat, eo nempe ut viam salutis, quam angustam Christus esse docet, laxet, ut vim elevet præceptorum, ut a legibus fideles eximat. Dicendum ergo, tres, aut quatuor Religiosos implere præceptum recitandi horas canonicas in choro, quando Conventus, seu Monasterium collegiatum est. Quare si tres, aut quatuor apti ad chororum

reperirentur in Conventu, & prætextu paucitatis Religiosorum omitterent frequentiam chori, peccarent; nisi aut ignorantia, aut parvitas materiæ eos excusaret a gravi culpa. Verum tamen est quod si longo tempore trestantum, aut quatuor Religiosi degerent in Coenobio, deberent ad Prælatum confugere, ut numerus augetur iuxta apostolicas Constitutiones. Nimis quippe grave onus esset, si tam pauci Religiosi deberent quotidie longiore tempore pensum horarum solvere. Hinc collige tres Religiosos sufficere ad implendum præceptum.

VIII. Quæst. VI. *Valent ne soli Novitii præceptum celebrandi officium in choro adimplere?* Resp. Sermo est de Novitiis qui nondum professionem ediderunt. Hos satisfacere præcepto adfirmat communior opinio. Salmanticenses *tract. XVI. cap. 1. punct. 1. n. 6.* Pellizarius *tract. v. cap. VIII. n. 49.* Antonius a Spiritu sancto *in Direct. Reg. tract. III. disp. VI. n. 1598.* Leander *tract. VIII. disp. VI. q. XII.* Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap. v. §. 1. n. 9.* & alii. Ratio est, quia in favorabilibus Novitii gaudent privilegiis Professorum. Nonnullum tamen facefit mihi negotium opinio hæc. Siquidem præceptum recitandi horas canonicas afficit communitatem Religiosorum, qui tenentur recitare officium divinum. Novitii autem nondum professi hoc onus subire minime astringuntur, cum libere illud omittere valeant. Nec enim ante professionem sunt pars communitatis, nec eidem incorporati. Quomodo ergo membra quæ non sunt illius corporis cui præceptum incumbit recitandi officium, possunt eiusdem supplere vices? Accedit quod præceptum recitandi officium, onus est: in odiosis autem, ut aiunt, Novitii non dicuntur Professi, nec subiacent Professorum incommodis. Quare, ut quod sentio sincere confitear, dubia mihi est ista; atque adeo tutior pars eligenda. Si igitur adessent Professi in Coenobio, istorum tres, ut arbitror, tenerentur interesse choro. Si nulli adessent, præceptum cessaret. Nec enim dicere possumus, Novitios tunc teneri ad divinum officium persolvendum. Astringuntur ergo Professi.

IX. Quæst. VII. *Quo tempore recitandæ sunt horæ canonicæ in choro?* Resp. Certum est definita esse tempora quibus canonicæ horæ persolvendæ sunt, ut patet ex *Clem. de cel. Miss.* ubi præcipitur, ut *horæ canonicæ in Ecclesiis debitæ horis devote psallantur: & ex Concilio Basiliensi sess. XXI. Horis debitæ, signi congrua pulsatione præmissa, per singulas*

las horas laudes divinae reverenter ab hominibus persolvantur. Porro tempora congrua quibus iure antiquo spectato horae canonicae celebrari debent, sunt haec. Matutinum circiter mediam noctem inchoandum, ut sumitur ex cap. 1. de celebr. Missarum. Hoc tempus pro Matutino semper designarunt antiqui Patres, Dionysius, Athanasius, Basilus, & alii, quos supra indicavimus, quippe auctoritatem allegant Davidis Prophetae dicentis: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Haec prima consuetudo temporis tractu variata est. In cathedralibus, collegiatis, Ecclesiisque secularibus fere omnibus contraria nunc obtinet disciplina. Refert tamen P. Suarez Lib. IV. cap. xv. Ecclesiam Parisiensem in Gallia, Segobientem, & Conchensem in Hispania morem hunc etiamnum servare. Plures Ecclesiae, & in Italia fere omnes, quin & in Hispania, & in Gallia celebrare solent Matutinum cum Laudibus circiter auroram, & statim Primam decantant. Aliae Ecclesiae anticipant Matutinum, illudque inchoant prima, aut secunda noctis hora. Consuetudines istae, & si quae aliae sunt, nihil mali praefertunt, & quaelibet Ecclesia servare suam debet. Sic enim in qualibet noctis vigilia Deus laudatur.

X. In Regularium Ecclesiis, sin in omnibus, saltem in plurimis, prima, & pervertita consuetudo semper viguit recitandi Matutinum circiter mediam noctem. Tempus istud non modo congruit Regularium statui, qui est poenitentiae, & perfectionis, sed etiam affert commodum incumbendi in litterarum studia, eo quod plus temporis superest iisdem vacandi. Corporis quoque sanitati magnopere expedit: illa quippe somni interruptione corpus purgatus, excrementa eiicit, viresque recipit. Haec omnia experientia compta sunt. Ipse enim video Religiosos omnes eo esse robustiores, quo ad nocturnas vigiliis frequentiores sunt. Debilibus, & iuvenibus solet tempus istud incommodum esse; verum assuetudo perutile illud iisdem efficit. Quare Monasteria illa in quibus haec sancta consuetudo viger, eam factam testamque custodiant, tanquam regularis disciplinae firmissimam basim. Et re ipsa videmus omnia Cenobia, quae ad Regulae, & constitutionum praescriptum vitam conformant, hanc disciplinam exacte servare.

XI. Reliquae horae sua statuta tempora habent. Prima Solis ortum, ut indicat principium hymni, *Laus lucis orto sidere.* Quod tempus haud est in puncto individuum situm,

sed morali; quod spatium comprehendit alicuius horae aut antecedentis, ut in hieme, aut subsequenter, ut in aestate, ortum Solis. Tribus aliis horis Tertiae, Sextae, & Nonae tempora destinata sunt earundem nominibus respondentia.

XII. Occurrit explicanda quaedam difficultas. Nam aliquando tributus dies erat in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas comprehendebat, ut advertit P. Franciscus Suarez loc. cit. & indicavimus supra, ubi dictum est noctem pariter in quatuor vigiliis tributam fuisse. Porro, si sic numeranda essent diei horae, dubium occurreret, an in fine, vel in principio praefatae horae persolvenda esset, officii pars. Si in fine, iam Nona esset dicenda in fine diei, Sexta tertia hora post meridiem &c. quae, ut advertit laudatus Suarez, absurda sunt. Servandus ergo modus communis has horas dinumerandi, ita ut singulis supputatis spatio viginti quatuor horarum dies cum nocte absolvatur. Tempus ergo Tertiae est hora tertia ante meridiem, Sextae meridies, Nonae tertia post meridiem. Consuetudo tamen obtinuit ut Tertia, Sexta, & Nona simul coniungantur. Alicubi Tertia iungitur Primae, & Sexta ante Missam recitatur. Nona autem post Missam in hieme. Quaelibet Ecclesia suam servet consuetudinem.

XIII. Tempus horae vespertinae maiori variationi obnoxium, eiusque spatium seu intervallum ambiguum est. Interdum pro noctis crepusculo acceptum fuit, & aliquando pro ultima quarta diei parte. Multorum sententia est, quondam celebrari Vesperas consuevisse post Solis occasum: idque ostendunt ex eo quod lucernarium partem Vesperarum appellat Concilium Toletanum I. cap. 10. & Isidorus de Regul. Monach. cap. vi. *In vespertinis autem officiis, inquit, primo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius unus, & laudes, hymnus, atque oratio dicenda: ubi per lucernarium prima intelligitur Vesperarum pars.* Alii probabilius sentent, olim tempus istius horae fuisse ultimam diei partem, quae proxime occasum Solis praecedat. Eadem ambiguitas de Completorio occurrit. Verum iuxta ambas opiniones relatas certum est, celebratum fuisse nocturno tempore, vel saltem in illo interstitio quod diem inter & noctem fluit, seu sub noctis crepusculum. Si hymnus, *Te lucis ante terminum,* attendatur, ante noctis initium celebrabatur. Si Monachorum consuetudines spectentur, oppositum occurrit. Monachi quippe Completorium celebra-

brabant post peractam coenam, vel collationem, ut conitat ex Regula XLVII. ex longioribus D. Basilii, & ex Regula D. Benedicti cap. XLII. Quin haec consuetudo diu obtinuit etiam in Ordine Praedicatorum. Verum penitus iam obsolevit. Et nunc Completorium ante Solis occasum recitatur fere ab omnibus.

XIV. Quaest. VIII. *Est ne obligatio gravis recitandi horas canonicas statis definitisque horis?* Resp. Negant plures peccare mortaliter communitatem Religiosorum quae aut anticiparet, aut postponeret recitationem divini officii. Valentia Tom. III. dis. vi. q. 11. punct. 10. Bonacina disp. 1. quaest. III. punct. 3. Gavantus in comm. Rubric. sect. 1. cap. v. tit. vi. n. 9. Layman Lib. IV. tract. 1. cap. 11. n. 6. Diana Tom. II. coord. tract. vi. resol. 72. num. 9. Leander tract. VIII. disp. vi. quaest. XXI. Caramuel in Regul. S. Bened. disp. ci. n. 1321. aliique Probabilitate: quia inquirunt, temporis circumstantia extranea est, nulloque modo pertinet ad officii substantiam, sed eidem accidit.

XV. Contraria sententia est probabilior, & ut ego quidem arbitror, unice vera, si perspicue explicetur. Et primo tempus recitandi horas, ut alias diximus, non est individuum, sed latitudinem admittit. Deinde certum est posse Praelatum ex legitima causa, puta eundi ad processionem, aut aliquod aliud opus peragendi, anticipare, vel postponere horarum recitationem. Tandem dari hic paritatem materiae, tum respectu temporis, tum respectu unius vel alterius horae, certum est. Quibus positis dico, notabilem praevensionem, aut dilationem horarum absolute, & ex genere gravem esse; atque adeo peccare mortaliter Praelatum qui absque legitima causa, & ex arbitrio praeveneret, aut differret notabiliter divini officii recitationem. Siquidem non modo praecipuum est recitandi divinum officium in choro; sed sacri Canonones in pluribus Conciliis praecipunt insuper divinas laudes celebrandas esse statis horis, & temporibus. Caietanus in Summul. verb. Hora oppositam opinionem defendit hac ratione, quod circumstantia temporis non pertineat ad substantiam materiae praecipuae: quae ratio saepius in similibus argumentis frequenter ab eodem repetitur. Pace tamen summi viri dixerim, ratio haec nullius momenti est, falsaque aequivocatione nititur. Nam, tamen temporis circumstantia sit extra actionis praecipuae substantiam, pertinet tamen ad substantiam praecipuae. Celebrare mane, vel vespere,

ut peroptime advertit P. Suarez, non pertinet ad substantiam sacrificii. Propterea ne absque gravi culpa vespere sacrificium celebrari valeat? De praecipuis Ecclesiae minus caute Caietanus, in summula potissimum, scripsit; dum vix concedit mortalem esse transgressionem, si contemptus absit. Praecipuum ergo recitandi definito tempore officium divinum, distinctum est a praecipuo recitationis; & cum hoc mandatum publicam Ecclesiae disciplinam spectet, grave est. Idcirco qui illud transgreditur, dubio procul graviter peccat. Quare illi superiores qui tempore maxime bacchanaliorum, quo recurrente scilicet haec scribo, singulis fere diebus Primam ad sextam temporis horam differunt, omnesque horas cum Missa simul recitant, deinde Vesperis Completorium adiungunt, ut Religiosi integro mane edormiant, & sero vagari per vicos, & plateas valeant; quin & intra annum frequenter dispensant; profecto a gravi culpa meo iudicio non excusantur. Definita sunt tempora recitandi divinum officium, etiam propter populi devotionem, & ad publicam utilitatem. Non tamen propterea negare velim quod Praelati valeant, etiam recreandi animi causa interdum, sed raro, & gravi adhibita prudentia, super unius, vel alterius horae recitatione dispensare. Sententiam nostram defendunt graviore Theologi, & etiam Probabilistae, Navarrus cap. 111. de orat. num. 63. Suarez T. II. de Relig. Lib. IV. cap. xv. num. 12. Azorius I. Parr. Lib. X. cap. ix. quaest. 1. Dominicus Soto Lib. X. de iust. quaest. v. art. 4. Aragonius in 2. 2. quaest. lxxxiii. art. 12. Tamburinus Tom. II. disp. x. quaest. vi. n. 4. Villalobos Tom. II. tract. xxiv. diff. 12. num. 2. Castropalaus tract. vii. disp. 111. punct. 5. num. 1. Reginaldus Lib. XVIII. num. 180. Salmanticenses tract. xvi. cap. 1. punct. 2. num. 11.

XVI. Quaest. IX. *Est ne gravis culpa ordinem recitandi horas in choro invertere?* R. Ex iis quae dicta sunt, patet responsio. Si ordinis perturbatio ex gravi causa accidat, nulla culpa est. Si ex arbitrio fiat, & absque ulla legitima ratione, gravem esse transgressionem propugnant Doctores quos allegavimus, puta si horae in publico choro ante Matutinum, Completorium ante Vesperas recitentur. Haec quippe ordinis perturbatio gravior est quam praeventio, aut dilatio temporis. Sermo tamen est de perversione ordinis in choro. Hinc colliges nullam perpetrare culpam illum qui accedit ad chorum, prima hora non dicta, ut cum aliis Tertiam, vel

Sextam canat, & postea Primam recitat. Quia hæc ordinis perverfio ex rationabili causa, nempe inserviendi choro, proficiscitur.

XVII. Quæst. X. *Quis sit locus recitandi horas in publico; & an sacrificia possit gerere vices chori?* Resp. Locus recitandi horas canonicas est Ecclesia, seu chorus, qui est Ecclesie pars. Sacrificia non est locus destinatus huic exercitio; atque adeo non potest, nulla occurrente causa Prælati destinare, ut in sacrificia divinæ laudes persolvantur. Salmanticenses *tract. xvi. cap. 1. punct. 2. n. 8.* docent peccare mortaliter eos qui in sacrificia, aut capitulo celebrant divinum officium: quia *cap. fin. II. Clemen. cap. 1. de celebr. Miss. inbetur in Choro divinum officium celebrari.* Bordonius in *Consil. Regul. resol. 30.* docet nullum esse peccatum, si sacrificia sit contigua Ecclesie, ita ut nullus alius murus interpositus sit; secus vero si sacrificia ab Ecclesia separata sit. Hæc opinio displicet Dianæ, qui inquit *resol. 22.* si vera esset, nostri Patres Sancti Andreae Romæ haud satisfacerent recitantes in sacrificia, quæ distat ab Ecclesia. Nonne valida ratio? Opinio Bordonii probabilis est, & consuetudini plurium Ecclesiarum conformis. Si quidem non pauca Ecclesie hiemali tempore in sacrificiis Ecclesie contiguus divinum officium recitare solent: quia eiusmodi sacrificia, Ecclesiis nullo interposito medio proximæ, earumdem Ecclesiarum partes censentur, sicuti sunt plures chori pro nocturnis laudibus celebrandi destinati, qui pariter Ecclesiarum partes reputantur. Res hæc non est tanti, ut subtilius dispici mereatur; sed consuetudines Ecclesiarum serventur, si tamen rationabiles sunt.

XVIII. Quæst. XI. *Religiosi ad chorum iam inceptum accedentes, tenentur ne absoluto choro supplere partem officii recitati antequam ipsi accederent?* Resp. Si pars recitata ante Religiosi accessum modica sit, puta unicus psalmus, vel, ut aliqui dicunt, etiam duo; non tenentur hanc parvam partem supplere, ut docent Laymanus *Lib. V. dis. 1. c. v.* Sanchez *Lib. VII. Consil. cap. 11.* Salmanticenses *tract. xvi. cap. 1. punct. 2. num. 12.* Diana *coord. Tom. III. tract. VIII. resol. 26.* ubi inquit, Religiosos choristas occupatos aut in pulsandis organis, aut in prælegenda lectione quam in choro recitare debent, aut in deferendis libris, non teneri supplere psalmum, seu partem tali tempore ab aliis recitatum. Verum probabilior mihi est sententia P. Suarez *Lib. IV. cap. xiv.* qui cum aliis Theologis oppositum docet, si occupatio talis sit quæ unum, aut duos

integros psalmos recitari impediret. Si vero aliqui tantum versiculi omittantur, ut accidit iis qui libros deferunt, aut alias res chori peragunt; aut nasum purgant, aut quid simile operantur; nulla erit obligatio omittam exiguam partem supplendi. Vitanda sunt in his, sicut in ceteris omnibus, extrema tum laxitatis, tum rigoris. Quando ergo integri psalmi recitati sunt a choro, vel antequam adesses, vel te aliis distracto curis; probabilis est te, absoluto choro, teneri ad supplendam partem omittam; si tamen, ut dixi, pars a te omittam notabilis esset, ut forent duo psalmi, vel unus ex longioribus: quia si essent aliqui versiculi, vel parvus psalmus, non illos tenereris supplere, materię parvitate excusante a levi etiam culpa. Quia vinculum societatis supplet eiusmodi leves omissiones.

XIX. Quæst. XII. *Peccaret ne lealiter Prælati qui non curaret, seu permetteret aliquam officii partem non recitari in choro?* Resp. Negant Marcus Vidal *inq. 1. num. 3.* Bordonius *resol. 30.* & alii laxioris Theologie patroni. Communissima Theologorum sententia est, eiusmodi Prælatos graviter peccare, si notabilem partem officii recitari in choro negligerent. Hanc defendunt Suarez *Lib. IV. cap. x. num. 3.* Castropalaus *tract. VII. disp. III. p. 5. num. 1.* Pellizarius *tract. v. cap. VIII. num. 27.* Salmanticenses *tract. xvi. c. 1. punct. 3. num. 14.* & alii communiter. Res clara est. Præceptum est, ut supra ostendimus, recitandi horas canonicas in choro; nec adversarii negare id audent. Ergo letale crimen est hoc mandatum violare. Violatur autem, dum notabilem officii partem recitari in choro negligerent Prælati. Ergo graviter peccant. Hic tamen, sicut in ceteris, parvitatem materię dari adfirmandum est. Quare, si una, aut altera commemoratio omitteretur, nulla culpa foret. Idem dic, si errore, aut inadvertentia legatur una pro altera homilia, unus pro altero psalmus, nulla culpa est quin nullatenus psalmus, aut lectio omittam repetenda est. Nec officium chori, ad hoc quod attinet, est sicut privatum, ut ordo suppleri debeat. Sed præceptum est ut debito tempore, & loco celebraretur. Quoties autem bona fide celebratum est eo ordine qui congruus reputabatur, tum repetere aut psalmum, aut lectionem omittam, cuius loco alia recitata est, non alium effectum parit quam confusionem, & perturbationem. Quare reprehendendi sunt quidam meticulosi, nimiumque scrupulis pleni, qui choro inadvertenter unum pro altero psalmum recitante, illico clamant, susurrant, & confu-

1 fio

sionem, scandalumque non raro pariunt populo adstanti.

XX. Quæst. XIII. *Tenetur ne chorus submissa voce recitare versus illos qui organo, aut alio instrumento pulsantur?* Resp. Negant Sanchez *Lib. VII. Consil. c. 11. dub. 16.* Trullenchus *Lib. I. Decal. cap. VII. dub. 16. n. 6.* quod sonus ille organicus loco vocis, & pro parte divini officii habeatur. Quæ opinio falsa est: quia præfata instrumenta voce humana non pronuntiant laudes divinas. Præceptum autem iubet voce humana divinum officium celebrari. Oppositam ergo opinionem defendunt Suarez *Lib. IV. cap. XIV. num. 15.* Bonacina *disp. 1. quæst. III. punct. 2. §. 1. n. 3.* Paulus *disp. III. punct. 4. num. 3.* Salmanticenses *tract. xvi. cap. 1. punct. 3. num. 20.* & alii communiter. Si tamen musici clara & intelligibili voce psalmos recitarent, quod raro accidit, tunc satis esset eisdem audire.

XXI. Quæst. XIV. *Sit ne peccatum mortale emittere in choro officium defunctorum, & officium parvum B. Virginis?* Resp. Summus Pontifex Pius V. declaravit, haud peccare letaliter illos qui Romanum Breviarium recitantes omittunt præfata officia. Hæc enim in eiusdem Pontificis Bulla sub initium Breviarii præmissa habentur. *Quod vero in Rubricis nostris huius officii præscribitur, quibus diebus officium B. Mariae semper Virginis, & defunctorum, item psalmos penitentiales dici, ac psalli oporteat, Nos propter huius varia vita negotia, & multorum occupationes indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus. De iis omnibus ergo qui Romanum Breviarium recitant, nulla est difficultas, quod a culpa exempti sint, præfata officia in choro omittentes. Secus vero dicendum de iis qui alium peculiarem ritum sequuntur, & qui vi propriarum constitutionum, aut vi consuetudinis eiusmodi officia recitare tenentur. Idque colligitur ex ipsa Bulla eiusdem Pontificis, ut patet ex sequentibus verbis. *Hoc autem concedimus sine præiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum in quibus officium parvum B. Mariae Virginis in choro dici consueverat; ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.* Obligatio recitandi officium parvum B. Virginis in choro diebus ferialibus, & Sanctorum festis simplicibus afficit ipsam communionem; sed singularis lex id præcipiens, ut est in Ordine Prædicatorum, in quo sub Magistro Generali Antonino Cloche declaratum fuit, omnes, &*

singulos eiusdem Ordinis Religiosos ad hoc officium recitandum teneri, etiam extra chorum. Officium vero defunctorum die secunda Novembris omnes sub gravi culpa recitare tenentur, est enim pars officii illius diei. Disputant non pauci committeret ne unum, aut duplex peccatum qui tali die utrumque officium omitteret. Si officium defunctorum pars est officii maioris, unum est peccatum; si duo sunt officia, duplex peccatum. Verum disputatio levioris momenti est. Qui enim utrumque omittit officium, gravius peccatum committit, & tenetur utramque omissionem in confessione manifestare, & de utraque omissionem poenitere.

XXII. Quæst. XV. *Licitum ne est recitare officium, seu matutinum defunctorum die festo omnium Sanctorum post vespas?* Resp. Negativa sententia vera est, quia sic Rubrica præscribitur, & decreta *Sac. Cong. Rit. die 1. Septemb. 1607. & 22. Ianuarii 1701. in urz Camaldulensium Montis Coronæ, ut refert P. Merati in addit. ad Gavanti. T. II. incl. 2. n. 220.* Si alicubi oppositus obtineret mos, tollendus omnino esset, utpote contrarius & Rubricis, & decretis *Cong. Sac. Rit.* nisi propter populi concursum id fieret. Officium divinum sequentis diei recitari die præcedenti potest post Vespas, quia Rubricæ id concedunt. At exdera Rubrica præscribitur Matutinum defunctorum recitandum in choro esse die ipsa commemorationis mortuorum. Plures afferri congruentes rationes possent; sed his omnibus præstant Rubricæ, & laudata decreta. Quomodo in Ecclesiis cathedralibus, præfente Episcopo, recitari valeat officium illud post vespas, vide eundem P. Merati *loc. cit.*

XXIII. Quæst. XVI. *Litanie, quæ die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionem celebrantur, debent ne recitari ab iis qui extra chorum officium persolvunt?* Resp. Qui ritum Romanum sequuntur, ad eas recitandas tenentur, tamquam divini officii partem, uti præscriptum est in Rubricis Romani Breviarii feria secunda post quintam dominicam Paschæ, ubi dicitur: *Hoc triduo qui non interfuerint processionibus Rogationum, dicant litanias immediate post laudes, cum suis precibus, & orationibus, sine psalmis penitentialibus.* Idem præscribitur in die S. Marci. Hanc opinionem ut probabilior defendunt Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. IV. cap. xxv. n. 7.* Bonacina *disp. 1. quæst. III. punct. 1. num. 13.* Trullenchus *Lib. I. cap. VII. dub. 13. num. 9.* Castropalaus *Tom. II. tract. VII. disp. II. punct. 7. num. 13.* Lezana *Tom. I. cap. XII. n. 23.*

Lean-

Leander *disp.* XIII. q. XXXII. Salmanticensis *tract.* XVI. cap. I. *punct.* 3. n. 23. Quidquid in oppositum de more dicant Diana, Antonius a Spiritu sancto, & alii.

XXIV. Quæst. XVII. *Satisfaciunt ne sua obligationi qui in choro recitantes partem suam, non attendunt ad partem quæ ab altero choro recitatur?* Resp. Negat communis, & vera sententia. Quia quisque integrum officium recitare tenetur. Qui autem mediam officii partem nec pronuntiat, nec audit, nullo modo recitat: ergo non satisfacit. Auditio enim supplet pronuntiationem. Quapropter qui auditionem negligit, nullo modo alteram officii partem suam facit, uti faceret, si illam audiret. Quid si altera pars chori non ita clare, & expedite recitet, ut valeat audiri; quamvis qui ex opposita parte recitant, intentas aures præbeant? Communiter fatentur fere omnes, quod si una pars ea omnia adhibeat quæ ad attentam auditionem nequiruntur, audiatque saltem confuse, & indistincte alteram partem, satisfaciat præcepto. Si vero nec in confusio, præstita auditione, percipere quis valeat alterius partis recitationem, adhuc istum satisfacere, ut quid probabilius existimant Salmanticensis *tract.* XVI. cap. I. *punct.* 3. n. 24. laudantque pro hac opinione Martinum a S. Ioseph *Lib. II. tract.* IV. *de orat.* n. 14. Sa *verb.* Hor. canon. num. 9. Trullenchum, & Dianam, atque Pasqualium. Quoniam, inquiunt, is facit id quod potest, nec ad amplius debet astringi; cum præcepta Ecclesiæ benigne interpretari debeamus. Tum quia hic in choro assistit, & quod ipse enuntiat, aliis communicat. Chorus quippe mysticum corpus est, se omnibus membris communicans; aliique satis suppleat quod ipse audire nequit.

XXV. Contraria mihi probatur sententia, quam defendunt Reginaldus *Lib. IV. cap. x. n. 87.* Bonacina *disp.* I. q. III. *punct.* 2. §. I. n. 20. Concedimus chorum esse corpus mysticum, quod se omnibus communicat. At hæc ratio destruit, non firmat adversariorum sententiam. Siquidem quoties corpus istud ita in duas sectum est partes, ut una cum altera non communicet, iam amittit corporis mystici privilegium. Porro, dum una pars nullo modo alteram audit, quantumvis attentas præbeat aures, nulla tunc unio corporis, nulla communicatio reperitur. Pro certo ponunt adversarii, te non audire nec in confusio, ut ipsi loquuntur, alteram partem: ergo fateantur oportet nullam hic intervenire mutuum communicationem, formamque mystici corpori

interire. Surdus cum socio recitans non satisfacit, ut fatentur adversarii: ergo nec in casu nostro. Respondent laudati Salmanticensis, disparem esse rationem, eo quod hic non reperitur corpus mysticum. Sed quaerimus, cur surdus non efficiat corpus mysticum cum socio? Nam certum est duos, aut plures extra chorum recitantes divinum officium corpus mysticum constituere, & alternatim audiendo, & recitando, non secus ac in choro, satisfacere præcepto recitationis. Quid est ergo quod surdus non satisfacit? Non sane ob aliam rationem, nisi quod iste cum aliis non communicat. Ergo eadem ratione, si una chori pars nec in confusio alteram, quacumque adhibita diligentia, audiat, non efficit cum illa unum corpus mysticum, nec mutuum communicationem constituit. Quid, si utraque pars ita celeri, ac præcipiti pronuntiatione divinas persolveret laudes, ut neutra vicissim intelligeretur? Quod non raro in quibusdam laxioris disciplinae Ecclesiis contingere experientia testatur. Certum est hoc in casu non impleri præceptum: quia nulla pars proprium munus implet, ut patet ex iis quæ dicta sunt.

XXVI. Quæst. XVIII. *Tenentur ne recitantes ex una chori parte ita clare, & distincte recitare suos versiculos, ut ab altera chori parte audiri possint?* Resp. Adfirmant Salmanticensis *tract.* XVI. cap. I. *punct.* 3. n. 25. Trullenchus *loc. cit. dub.* 16. n. 8. Filliucius *tract.* XXVI. cap. VI. n. 195. Aragon. 2. 2. q. XLXXIII. art. 12. Sanchez *Tom. II. Consil. cap. II. dub.* 14. n. 2. Suarez *Tom. II. Lib. IV. cap. XII. n. 8.* Lessius *Lib. II. cap. XXXIX. dub.* 33. n. 184. Martinus a S. Ioseph *Lib. II. tract.* IV. *de orat.* n. 12. Dominicus Sotus *Lib. X. q. v. art. 4.* Diana, & alii. Ut clarior habeatur quaestio decisio, distinguendum est. Si una integra pars adeo submissa voce recitaret, ut ab altera parte audiri nequiret, certum est, ut iam diximus, tunc non impleri præceptum. Si autem pars hæc absolute ita clare enuntiat suos versus, ut altera audire illos possit, satisfaciunt præcepto non modo illi qui ita clara, & alta voce enuntiant, ut ab altera audiri parte valeant; verum etiam hi qui submissiore recitant voce, dummodo tamen clare, & distincte pronuntient suos versus. Tunc valet ratio petita a corporis influxu in membra. Quippe membra validiora debiliorum partium suppleat vices. Nec enim necesse est ut singuli unius partis recitantis ab altera parte audiantur. Quin hoc evenire nequit. Voces enim fortiores, sonumque altiorum emittentes opprimunt graciliores alias, lenioresque. Satis itaque

que est ad præceptum ab utraque parte, & a singulis utriusque partis Religiosis implendum, ut partes mutuo se se audiant, atque percipiant; quamvis non singuli singulos intelligant, audiantque.

## CAPUT VI.

*De forma, seu ritu Breviarii, quem servare tenentur ii qui divino persolvendo officio adstricti sunt.*

I. Omnes tum sæculares, tum regulares Ecclesiastici ad formam Breviarii Romani iussu sanctissimi Pontificis Pii V. editi persolvere divinas laudes tenentur, iis dumtaxat exceptis qui peculiari privilegio fruuntur. Plures sunt Ecclesiæ, ut Mediolanensis, Samburgensis, Leodicensis, aliæque quæ alium a Romano ritum in persolvendis horis canonicis sequuntur. Religiones quoque nonnullæ, ut Benedictina, & Dominicana, quæ proprium Breviarium habent, & quæ a ducentis annis ante sanctum Pium V. illud peculiare habebant, retinere, propriumque ritum persequi possunt ex Pontificum concessione.

II. Quæst. I. *Peccarent ne letaliter qui alium ritum ab eo qui in propriis Ecclesiis receptus est, & diu obtinet, in persolvendis canonicis horis sequerentur?* Resp. Negat Medina in *summ. Confess. Lib. I. cap. XIV. §. II.* Caramuel in *Reg. S. Bened. disp. CIX. n. 194.* & pro una aut altera vice subscribunt Vasquez *de Benef. cap. XX. §. I. art. 2. dub. I. n. 57.* Reginaldus *Lib. XIX. n. 171.* Antonius a Spiritu sancto *disp. VI. tract. XIII. n. 1609.* Verum hæc opinio nihil habet probabilitatis: quoniam conceptis verbis sanctus Pius V. iubet ut horæ canonicæ iuxta formulam Breviarii a se editi ab omnibus recitentur. *Statuimus quoscumque qui tenentur ad horas canonicas, teneri ad dicendum ex præscripto huius Breviarii; & neminem ex his, nisi hac sola formula, satisfacere posse.* Clariora sunt hæc, quam explicatione indigeant. Igitur qui profitentur ritum Romanum, peccant mortaliter, si horas recitent iuxta alteram Breviarii formam.

III. Quæst. II. *Carens Breviario Romano, & præmanibus habens Dominicanum, Ambrosianum, Benedictinum, aut aliud, tenetur ne illud recitare?* Resp. Negant Salmanticensis *tract.* XVI. cap. I. *punct.* 3. n. 28. Quoniam, inquiunt, unum & indivisibile præceptum datur & de recitatione, & de forma recitationis. Alias, si duplex esset præceptum, duplex committeretur peccatum in confessione exprimens; quod nemo dicit. Verum contra

ria opinio probabilior est; immo sola, ut ego arbitror, probabilis. Duo quippe præcepta sunt, alterum iubens recitare divinas laudes, quod commune, & universale est; alterum quod præscribit formulam ad cuius præscriptum recitari debent. Primum, quod horæ recitentur, præcipuum est; alterum accessorium, quod modum respicit. Porro quando utrumque impleri nequit, unum implendum est. Hæc doctrina iam ab Ecclesia definita est, ut infra patebit in explicatione 54. propositionis ab Innocentio XI. damnata. Sed admittamus hypotheseum PP. Salmanticensium, unicum nempe esse præceptum; quemadmodum unicum est præceptum iubens recitationem integram totius officii divini. Et tamen, quia in divino officio materia præcepta dividua est, qui non potest unam, tenetur alteram recitare partem. Pari ergo ratione, quamvis esset unum præceptum individuum in se, iubens & recitationem, & formam recitandi; quia tamen duo hæc separari possunt, consequitur implendum esse unum, quando nequeant ambo. Neque obstat quod addunt præfati Salmanticensis, videlicet S. Pium V. asserere neminem illorum qui Romano ritui sunt addicti, præcepto recitandi officium nisi hac forma satisfacere posse. Quoniam obvius sensus est, neminem satisfacere posse integre, & perfecte, nisi qui iuxta præscriptam formulam recitaverit. Nemo satisfacit præcepto recitandi horas canonicas qui, persolutis Marutinis, & Laudibus, omittit alias horas. Hæc propositio penes omnes vera est. Ergo qui ex necessitate omittere cogitur alias horas, potest vero Marutinum cum Laudibus recitare, ad hoc non tenebitur? Qui hoc assereret, incidere in propositionem damnatam. Dicendum ergo, prævalere præceptum recitandi absolute officium alteri præcepto illud recitandi iuxta hanc, aut illam formulam. Et si proscripta fuit propositio quæ assererebat, non teneri ad minorem partem cum qui non potest maiorem implere, quia maior pars trahit ad se minorem; priori iure damnanda, seu damnata videtur hæc, quæ a maiori, immo ab integra rei substantia servanda eximere contendit ob solam impotentiam ponendi modum qui præfatam afficit substantiam. Oppositio Salmanticensium inutilis est, & vana.

IV. Quæst. III. *Religiones, seu Ecclesiæ, quæ proprium Breviarium habent, possunt ne acceptare Romanum; aut, si hoc non acceptent, tenentur ne uti proprio, excluso quocumque alio?* Resp. Religiones, ut Benedictina, Dominicana, & aliæ Ecclesiæ, quæ a ducentis annis elapsis

ante Breviarium iussu Pii V. editum, proprium ritum habebant, propriamque formam recitandi divinas laudes, nemine dissentiente, persistere in sua valent consuetudine. Huic etiam renuntiare possunt ex Capituli consensu, & Romano Breviario acceptare. Hoc semel acceptato, nequeunt proprium antiquum resumere. Quia, postquam privilegio renuntiatum est, aut interrupta consuetudo, lex universalis urget. Neque in hoc dissidium est inter Doctores.

V. Secunda quaestionis propositae pars disputationi obnoxia est. Nam Salmanticenses tract. xvi. cap. i. punct. 4. n. 26. contendunt, Regulares privatos, puta Benedictinos, Dominicanos, aliosque sive Regulares, sive Ecclesiasticos, quorum Religiones, seu Ecclesiae proprium Breviarium habent, posse, dum privatim officium recitant, uti aut proprio, aut Romano Breviario. Ratio est, quia nullum ius praecipit ut in privata recitatione quis se conformet ad Ecclesiam privatam potius quam ad universalem, seu Romanam. Tum quod S. Pius V. licet praecipiat non esse in communi immutandum ritum illarum Ecclesiarum quae a duobus integris saeculis eodem utebantur, absque vel Episcopi, vel Capituli consensu; nihil tamen de recitatione privata decernit. Sententiam hanc defendunt, praeter Salmanticenses laudatos, Leander tract. viii. disp. iii. q. vi. Antonius a Spiritu sancto tract. iii. disp. vi. n. 1608. & alii plures, quos citant praefati Salmanticenses, & Leander.

VI. Opposita opinio probabilior est. Siquidem, si per adversarios ipsos S. Pius V. vetuit ne immutatio fieret absolute, & in communi absque maioris Capituli partis consensu; qua ratione dici potest eundem Pontificem cuique privatorum facultatem reliquisse pro arbitrio immutandi propriae Ecclesiae ritum in privata celebratione? Quin, si per ipsos nihil Pontifex summus hic decrevit, reliquit Regulares, seu Ecclesias privilegiatas subiectas legibus iuris communis. Atqui ius commune iubet ut quisque suae Ecclesiae ritum sequatur, quemadmodum constat ex cap. De his, cap. Placuit, distinct. xii. Magna insuper deformitas, & confusio foret, si singuli Fratres alicuius Religionis privilegiatae possent hodie Romanum, cras Cisterciense Breviarium recitare. Accedit quod Religiones privilegiatae iubere solent sub praecipio formali obedientiae ut Religiosorum quisque suae Religionis ritum, & formam sequatur. Qua in positione nec adversarii negare valent, quemlibet teneri proprio uti Breviario. Hanc opinionem amplectuntur P. Suarez Lib.

IV. cap. xxiii. n. 2. & q. Navarrus de ord. cap. xix. n. 211. Bonacina Disp. i. q. iii. punct. i. num. 3. Bellarminus de bonis operibus Lib. I. cap. xviii. Garcias de Benef. part. 3. cap. i. n. 155. Valentia Tom. III. disp. vi. q. ii. punct. i. §. 3. Azorius Tom. I. Lib. X. cap. xi. q. i. Castropalaus disp. ii. punct. 2. n. 4. Trullenchus Lib. I. cap. vii. dub. 14. n. 3. Pellizarius tract. v. cap. viii. sec. 2. q. ix. Barbosa in collectan. Tom. I. Lib. III. tit. 41. cap. i. & plures alii. Refert Garcias declarationem Congregationis Concilii, qua praecipitur singulos privilegiatos iuxta propriae Ecclesiae ritum recitare divinum officium. Et sane magnam praefert deformitatem, si in cuiusque privati arbitrio repositum esset proprium ritum immutare.

VII. Quaest. IV. An Religiosus proprium Breviarium habentes, dum Romae degunt, possint Romano uti Breviario? Resp. Negat communis opinio, eo quod Religiones privilegiatae, ut Benedictina, Dominicana, & aliae, lege sancitum habent proprium ritum: quae lex personam, non locum afficit. Ergo ubicumque Religiosus fuerit, proprium servare ritum astringitur.

VIII. Quaest. V. Religiosus Benedictinus transiens per Monasteria Dominicanorum, aut contra, potest ne uti Breviario illius Canonici per quod transit, si ibi aliquot dies commoretur? Resp. Adfirmant Leander, & Palaus, eo quod tunc Religiosus subiectus est illi Monasterio, efficiturque illius pars. Verum haec ratio nulla est. Hinc enim sequeretur Dominicanum tunc temporis posse in omnibus vivere more Benedictinorum, & e contrario. Subiectus est illi Monasterio in rebus adiaphoris; ceterum in iis quae proprium ritum, aut leges spectant, easdem servare tenetur. Si existens Romae Dominicanus, aut Cisterciensis non potest uti Romano Breviario, ut fatentur Palaus, & Leander; qua ratione Breviarium alterius Religionis adhibere poterit, necessitate sublata? Sane Dominicanus post suum proprium, ritum Romanum sequi tenetur, prout nonnulla statuta declararunt iubentia ut in iis quae deficiunt in nostro ritu, aut dubia sunt, Romanum sequamur.

IX. Quaest. VI. Religiosus factus Episcopus tenetur ne, relicto suae religionis Breviario, suae Diocesis Breviarium recitare? Resp. Adfirmat communis opinio: quia per assumptionem ad Episcopatum absolvitur a debito sui ritus persequendi: debet enim regere Ecclesiam sibi commissam iuxta ritum, moremque eiusdem: debet praesse Clero ve-

luti

luti caput. Caput autem membrum accomodari debet, quemadmodum membra capiti. Hanc docent Azorius Tom. I. Lib. XII. cap. vii. q. iv. Sanchez Lib. VI. sum. cap. vi. n. 25. Pellizarius tract. v. cap. viii. sect. i. q. viii. num. 21. Leander disp. iii. q. xiii. Salmanticenses tract. xvi. cap. i. punct. 4. n. 29. & alii communiter.

X. Quaest. VII. Qui habet duo beneficia in diversis Ecclesiis, quae diversis utuntur Breviariis, debet ne recitare divinas laudes iuxta ritum illius Ecclesiae in qua residet? Resp. Negat Sylvester verb. Hor. quaest. i. Reginaldus Lib. xviii. num. 169. & alii. Adfirmant Suarez Lib. VII. cap. xxiii. n. 8. Filliucius tract. xiii. cap. vii. q. i. num. 221. Bonacina disp. i. de Horis q. iii. punct. i. n. 9. Leander disp. iii. q. xiv. & alii plures. D. Thomas versat hanc quaestionem quoad lib. i. art. 13. & pluribus distinctionibus adhibitis perspicue eam resolvit his verbis. Dicendum, quod supposito quod aliquis licite sit praebendatus in duabus Ecclesiis, scilicet ex dispensatione, considerandum est quod ille qui in aliqua Ecclesia praebendam accipit, duobus obligatur, scilicet Deo ut ei debitas laudes exsolvat pro eius beneficiis, & Ecclesiae, de qua accipit sumptus. Ea vero quae ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispensationi Praelatorum Ecclesiae: & ideo hoc debitum quod debet Ecclesiae, debet exsolvere, secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit praebenda quae requirit residentiam: vel per vicarium, si hoc sufficiat, secundum Ecclesiae statutum ac consuetudinem. Sed debitum quod debet Deo per se ipsum debet exsolvere. Non refert autem quantum ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet; ut puta utrum dicat in Vesperis Dixit Dominus, vel Laudate pueri Dominum, nisi quantum ad hoc quod debet sequi maiorum traditionem: & quia laudes debet quasi unus homo, sufficit quod semel officium dicat secundum consuetudinem alicuius Ecclesiarum quarum est Canonicus. Sed de electione officii rationabiliter videtur quod debeat dicere officium illius Ecclesiae in qua maiorem gradum habet; puta si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere officium illius Ecclesiae in qua est Decanus. Quod si in utraque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiae; quamvis forte in minori Ecclesia habeat opulentiorum praebendam: quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata. Si vero ambae Ecclesiae sunt aequalis dignitatis, potest eligere quodcumque officium voluerit, si fuerit ab utraque Ecclesia absens; si autem fuerit in aliqua

earum praesens, debet se conformare illis cum quibus conversatur. Adeo perspicua sunt haec omnia, ut nec verbum adicere liceat.

XI. Quaest. VIII. Scholares qui commorantur in aliqua universitate studiorum gratia, debent illius, aut propriae diocesis Breviarium recitare? Resp. Probabilior mihi opinio est eos posse sequi ritum illius diocesis in qua commorantur; relicto ritu illius alterius diocesis in qua habent fixum domicilium. Sic docent Suarez Lib. IV. cap. xxiii. n. 7. Laymanus Lib. IV. tract. i. cap. v. n. 3. Non nego tamen eos retinere etiam posse suae propriae diocesis ritum, si velint in privata recitatione. Verum, si ritus absolute idem sit puta Romanus, & diversitas tantum in quibusdam feriis, aut festis, rationabilius videtur ut illi diocesi se accommodent in qua degunt diuturniori tempore.

XII. Quaest. IX. Potest ne quis recitare officium ante tempus, aut solito brevius cum socio habente privilegium hoc agendi? Resp. Adfirmant Trullenchus Lib. I. cap. vii. dub. 14. num. 7. Rodriguez Tom. IV. cap. lxxviii. num. 10. Leander disp. iii. q. xvi. Henriquez Lib. VII. cap. xxx. n. 4. Quia, inquit, privilegium concessum viro extenditur ad uxorem: ergo & privilegium recitandi Breviarium ante tempus, vel brevius extenditur ad socium. Quae ratio nulla est. In coniugio vir, & uxor una persona reputantur: quare privilegium recipiendi benedictionem nuptialem tempore vetito concessum viro, concessum intelligitur & sponse. Verum hoc perperam adducitur ad inferendam extensionem privilegii recitandi Breviarii ad socios, in privilegio minime expressos. Quia habens privilegium, socio, ut supponimus, non indiget: Qua ergo potestate valet assumere socium, ut tali fruatur privilegio? Si unum assumere potest, cur non duos? Et si duos, cur non viginti?

XIII. Quaest. X. Clericus qui nulli Ecclesiae addictus est, sed ratione patrimonii sacris ordinibus initiatus est, valet ne ad libitum eligere Breviarium diversum a Romano? Resp. Adfirmant Sylvester verb. Hor. q. i. dicto 4. ubi citat Directorium, Tabiena q. x. Angles verb. Horae n. 12. His temporibus opinio haec probabilis non est ob praecipuum latum a S. Pio V. in principio Breviarii Romani praefixum, quo omnibus praecipitur ut iuxta formulam, & eiusdem Romani Breviarii ritum horas canonicas recitent, nisi peculiari privilegio gaudeant. Sic docent Azorius Lib. X. cap. xi. quaest. i. Suarez Lib.

17.



IV. cap. XXIII. num. 4. Lessius Lib. II. cap. XXXVII. n. 75. Palaus *disp.* III. punct. 2. n. 1. Bonac. *disp.* II. q. III. punct. 2. n. 4. Leander *disp.* III. quest. XVII.

XIV. Quest. XI. Valet ne Episcopus cum Clericis sacris ordinibus initiatis dispensare, ut omisso Breviario proprio, iuxta aliud recitent? Resp. Negant Sanchez Lib. VII. cap. CCXXVI. Navarrus cap. Quando cap. XI. n. 27. Ratio evidens est: quia licet ante Constitutionem S. Pii V. possent Episcopi proprias mutare leges (ipsi namque formam Breviarii recitandi præscribebant) post publicatam tamen dictam Constitutionem facultate minime potiuntur dispensandi a præcepto inhærendi ritui Romano. Sententiam hanc absolute acceptam nemo negare iure valet. Suarez Lib. IV. cap. XI. & cap. XXIII. n. 27. Navarrus, Bonacina, Filliucius, Leander, & alii dicunt posse semel, vel bis Episcopum cum Clerico subdito dispensare, legitima occurrente causa. Quod valeat superior, quemadmodum in ceteris legibus, ita & in hac in casu aliquo argenti dispensare cum subditis suis, nemo est qui inficias ire auit. Verum vix occurrere casus potest in quo Episcopus, sive Prælati possit cum suis subditis dispensare, ut iuxta alterius Breviarii ritum divinas laudes celebrent. Si autem accideret, dispensare posset.

XV. Quest. XII. Peccatum ne est quidquam addere, vel demere ex Breviario Romano? Resp. Communis sententia est, peccatum mortale esse quidquam perpetuo duraturum, quamvis in se leve, addere, aut detrudere Romano Breviario. Quia licet res addita minima in se sit, gravis tamen evadit tum ob usurpatam iurisdictionem, tum ob confusionem quæ in ecclesiastico ritu introducitur. Sic docent Suarez Lib. IV. cap. XIII. n. 15. Castropalaus *disp.* II. punct. 2. n. 15. Tamburinus Lib. II. in Decal. cap. v. §. 2. num. 7. Leander *disp.* III. quest. XXVII. & alii.

XVI. Quest. XIII. Qui officium divinum recitaret cum additione alicuius notabilis partis, satisfaceret ne præcepto? Resp. Negant aliqui, adfirmant plures. Sed distinctione adiecta paucis complectenda res est. Si quis integrum officium iuxta Breviarii formam recitaret, proculdubio satisfaceret præcepto, etiam si postea ex arbitrio alia adderet. Si vero ita aliqua adderet, ut permutaret formam præscriptam, tunc peccaret adversus præceptum. Verum vix hoc accidit: ideo non est diutius in eo immorandum. Hac eadem ratione peccaret ille qui ex arbitrio, omissis lectionibus designatis in Breviario pro hac die, substitue-

ret alias eiusdem Breviarii, vel alias non approbatas.

XVII. Quest. XIV. Peccaret ne qui horas canonicas in Ecclesia latina in choro lingua græca, hebræa, aut vernacula persolveret? Resp. Adfirmant communiter omnes: quia hoc esset expresse contra Bullam Pii V. præscriptis ritum iuxta quem recitandum officium est. Negant vero Bonacina, Escobarius, & alii, si sermo sit de recitatione privata lingua vernacula, puta italica, aut gallica. Verum hæc opinio communiter reprobat. Quia Constitutio Pii V. astringit omnes ad persolvendas horas canonicas, privilegiatis exceptis, iuxta Breviarii Romani formulam, sive in publico, sive in privato illæ recitentur. Idcirco qui vernacula lingua recitaret officium divinum, mutaret in re gravi ritum Ecclesiæ. Quin Tridentinum expresse vetat celebrationem Missæ in lingua vernacula, Bibiliorumque in eiusmodi lingua impressionem. Quidam vero contendunt, ut Bonacina, Diana, Tamburinus, & alii, non peccare graviter Ecclesiasticum latinum qui in privata recitatione uteretur lingua græca, vel hebræa. Verum hæc quoque opinio improbat communiter a Theologis. Siquidem qui ex latinis absque iusta causa, omiſsa latina lingua, uteretur græca, vel hebræa, contemneret re ipsa Ecclesiæ Romanæ ritum, Bullamque prædictam parvi penderet. Et cum hæc mutatio gravis sit, gravem quoque includit culpam. Quemadmodum enim gravem perpetraret culpam qui in Missa celebranda ritum mutaret pro arbitrio, aut alterius coloris vestes adhibendo, aut ordinem præscriptum a Bubricis pervertendo; ita graviter delinqueret qui in recitandis horis canonicis diverso a præscripto, & communi uteretur idiomate. Hæcque sententia communior, & probabilior est, quando mutatio fit absque legitima causa. Si enim gravis, & urgens ratio contingeret mutationis peragendæ, nulla tunc culpa foret.

## CAPUT VII.

De illis qui privatim canonicas recitare horas tenentur.

**T**Ria sunt personarum genera quæ ad persolvendum divini officii solvendum tenentur, nimirum Clerici in sacris constituti, Religiosi, & Beneficarii. Convenit penes omnes obligationem istam gravem esse. Origo unde ortum ducat, non est apud omnes eadem. Nam aliqui illam arcessunt ex cap. I. & cap. Dolentes de celebr. Miss. cap. Si quis Presbyter, *dist.*

*dist.* XXI. Alii eam repetunt ex pervetusta consuetudine, & ex ipsa status natura. Siquidem Clerici, in sacris constituti, Religiosique omnes Deo devoti sunt in hunc sane finem ut debitas laudes Deo fundant. Licet omnes Deo laudes pangere, precesque, & supplicationes porrigere debeant; tamen Religiosi Deo consecrati strictiori vinculo ad tale munus devinciuntur. Porro quocumque ex capite, sive ex antiqua consuetudine, sive ex iure proficiatur obligatio isthæc; id certum est quod gravis sit, & quod qui illam violat, letale peccatum perpetret. Porro, ut sigillatim, clariusque difficultates quæ occurrere possunt, resolvantur, in plures paragraphos disputationem tribuo.

### §. I.

De obligatione Clericorum ad canonicas horas recitandas.

**Q**uest. I. Clerici in minoribus constituti ordinibus tenentur ne horas canonicas, vel aliquam precem recitare? Resp. Quamvis fuerint olim aliqui qui Clericum quemque, sive in minoribus, sive in maioribus constitutum, obligationi præfata subiecerint; omnes tamen in præsens ad unum Theologi, Canonistæque Clericos nondum sacris initiatos ab hoc onere eximunt. Paludanus in IV. *dist.* xv. q. v. Turrecremata in cap. Qui autem *dist.* XIX. Sylvester *verb.* Hora q. II. Navarrus cap. VII. de horis num. 13. sustinent hos minores Clericos teneri ad aliquas preces pro arbitrio eligendas, sunt enim divino cultui deputati: nonnullas etiam interdum Ecclesiæ elemosynas a populo oblatas percipiunt. Igitur aliquas pro populo preces fundere Deo tenentur. Alii contendunt, eiusmodi minores Clericos vi consuetudinis ad officium B. Virginis astringi, aut septem psalmos poenitentiales, aut graduales. Verum communis opinio docet, liberos omnino esse præfatos Clericos a debito quarumcumque dictarum precum: nec enim aut de lege, aut de consuetudine, quæ talem inducat obligationem, constat; immo contraria obtinet. Excipe aliquam Ecclesiam quæ peculiare onus contractum haberet ob elemosynas perceptas astringendi suos Clericos ad officium B. Virginis, vel psalmos poenitentiales, aut graduales recitandos.

II. Quest. II. Potest ne Episcopus Clericos præfatos astringere ut singulis diebus aliquas preces recitent? Resp. Adfirmat Bonacina *disp.* I. q. II. punct. 3. de Horis canon. Eo quod

Clerici isti iurisdictioni Episcopi subiecti sint. Sed contrariam sententiam docet Dominicus Sotus Lib. X. de iust. q. v. art. 3. Azorius Lib. X. cap. v. q. IV. art. 3. Sa verb. Hora n. 5. Lessius Lib. II. cap. XXXVII. dub. 8. n. 46. Filliucius tract. XXIII. cap. 5. n. 148. Laymanus Lib. IV. tract. I. cap. IV. Vasquez de Beneficiis cap. IV. §. I. dub. 2. n. 6. Sanchez Lib. VII. *Consil.* cap. II. dub. 2. n. 6. Leander *disp.* II. §. 2. q. XL. Suarez Lib. IV. cap. XVII. n. 15. & communiter alii. Quoniam Clerici subiecti sunt Episcopo in iis quæ proprium statum spectant; secus in iis quæ sunt præter proprii status conditionem. Regularis subiectus est Prælati in iis quæ Regula propria, aut constitutiones præscribunt. Nec propterea in potestate Prælati est aliquid præcipere quod sit supra, aut præter Regulam, exceptis quibusdam eventibus qui interdum contingere possunt. Cum itaque nec lege, nec consuetudine astricti sint eiusmodi Clerici recitare sive officium B. Virginis, sive psalmos, sive quascumque alias preces, nequit Episcopus tali statui hoc onus affigere. Dum vero Episcopus his Clericis in illorum ordinatione psalmos, aliaque preces iniungit, non videtur velle eos sub gravi culpa obligare, ut sentiunt Sotus, Valentia, Prado, Ioannes a S. Thoma, aliique.

III. Quest. III. Omnes Clerici sacris initiati tenentur ne solvere pensum divini officii? Resp. Quamvis olim aliqui id negaverint respectu Clerici non adiecti alicui Ecclesiæ, in præsens tamen omnes ad unum Theologi adfirmant, Clericos quosque, sive titulo patrimonii, sive titulo Ecclesiæ ordinatos, oneri recitandi horas canonicas obnoxios esse: solumque dissidium est, quo iure ad id teneantur, ut iam indicatum supra est. Verisimilius est, Presbyteros iure canonico astringi, ut colligitur ex cap. Presbyter *dist.* XXI. & cap. I. de celeb. Miss. Diaconos vero, & Subdiaconos probabilius est astringi vi generalis, & penes consuetudinis. Disputant nonnulli, utrum foret huic oneri subiectus qui ante usum rationis sacris initiatus esset: & probabilior sententiam negat sic ordinatam teneri; sicuti nec voto castitatis talis Clericus subiectus esset. Hac quippe, & similia onera imponi nequeunt absque libera electione illius qui exequi eadem debet. Teneretur vero qui usu rationis præditus libere ordinaretur ante pubertatem: quia tunc omnia concurrerent quæ necessaria sunt ad contrahendam hanc obligationem.

IV. Quest. IV. Qui per vetum iniuste iniustum suscipit sacros ordines, tenetur ne canonicas horas recitare? Resp. Negant Azorius, San-

Sanchez, Vidal, Leander, & plures alii qui contendunt neque continentia voto astrictum hunc fore, neque horis canonicis recitandis. Verum contraria opinio, quam propugnant graviores Theologi, Paulus Comitulus, Ledesma, D. Antoninus, Sylvester, & alii plurimi, quos loco suo dabimus, probabilior nobis est. Metus quippe extrinsecus incussus non tollit voluntarium; neque vis quæ conditionata, aut inducens a Theologis nuncupatur, impedimento est quominus suscipiant characterem ii qui ad sacramenta accedunt quæ illum imprimere habent: de qua questione plura de sacramento Ordinis. In hypothesi vero quod metus sit incussus, fatentur omnes tunc teneri, eo quod Clericus nullam in ordinatione tali iniuriam patitur.

V. Quæst. V. *Subdiaconus, qui beneficium suscipit, qui professionem emittit, tenetur ne eo die quo iniatur sacris, professionem emittit, vel beneficium accipit, recitare totum eiusdem diei officium, aut officii partem dumtaxat?* R. Convenit penes omnes, non teneri integrum officium recitare Subdiaconum die suæ ordinationis quæ inter Tertiam, & Sextam peragi solet. Dissidium est, utrum teneatur recitare partem officii; nempe illas horas quæ, peracta ordinatione, recitandæ in choro bene instituto supersunt. Communior, & probabilior sententia docet, Subdiaconum die suæ ordinationis astrictum esse recitare Sextam, vel saltem Nonam, Vesperas, & Completorium. Hanc defendunt Suarez *Lib. IV. c. xxviii.* Azorius *Lib. X. cap. xiii. quæst. xvii.* Bonacina *disp. i. quæst. ii. punct. 5. num. 9.* Sanchez *in Consil. Lib. VII. cap. ii. dub. 7.* Martinez de Prado *Tom. II. cap. xxx. q. vi. §. 2. num. 13. Nominatim contra me* (inquit Leander *disp. ii. quæst. l.*) *Nihilominus tamen iterum atque iterum, quod docui II. Part. tract. vi. disp. xiii. quæst. x. nunc dico, doceo, & teneo: quia eius argumenta non me terrent, nec retrorsum abire facient, cum sint pusilla satis, immo tanto viro indigna, ut demonstrabo facile.* Audistin', quanta pectoris constantia hic Probabilistarum athleta de more suas propugnet laxitates, solo umbraticæ probabilitatis commento sultas? Sed audiamus iactatam plenis buccis demonstrationem. *Sic meam sententiam proba* (inquit intrepidus Theologus: ) *quia probabile est quod quis ex quavis causa non potest recitare maiorem partem officii, in qua solvatur forma officii ecclesiastici, non teneatur recitare minorem.... Sed sic est quod secundum communem opinionem, qui initiatur subdiaconatu, non tenetur eo die recitare Ma-*

*tutinum, nec Primam, nec Sextam, nec (secundum aliquos) Nonam; quod est maior immo maxima pars officii. Ergo &c.* Demonstratio isthæc ex fodina Probabilissimi eruta, proscripta ab Ecclesia est in propositione 54. damnata ab Innocentio XI. Terga igitur der necessum est strenuus Probabilista, territumque se confiteatur oportet, sin argumentis P. Ioannis Martinez de Prado, saltem Vaticani anathemate in eos omnes lato, qui doctrinam hanc P. Leandri defenderint. Quare lis nunc finita, victoriaque Magistro Martinez asserta est.

VI. Quæst. VI. *Potest ne Episcopus cum Clericis dispensare, ne officium recitent?* Resp. Potest cum privatis, sicut in aliis legibus ieiunii, festorum, & similium, ex iusta & legitima causa; secus absque causa. Cum toto Clero vero solus summus Pontifex valet dispensare. Idem dicendum de Prelatis Regularium cum propriis subditis.

VII. Quæst. VII. *Tenetur ne qui sacros ordines est suscepturus, aut accepturus beneficium, ante ordinationem, aut beneficii susceptionem paratum habere Breviarium, modumque recitandi scire?* Resp. Adfirmant communiter Theologi; alioquin se exponeret periculo violandi præceptum recitandi horas canonicas vel ob privationem Breviarii, vel ob ignorantiam aliud recitandi.

## §. II.

*De obligatione Regularium, & Monialium recitandi post emissam professionem horas canonicas extra chorum.*

I. **A**B obligatione recitandi horas canonicas exempti sunt Novitii choro dicati, ut communissima sententia docet contra Paludanum *in IV. dist. xv. q. vi.* & Turcrematam *dist. xci. c.* Qui autem, *n. 13.* aliosque paucos, qui olim sustinuerunt, Novitios Regularium nondum professos teneri ad horas canonicas, eo quod redivitibus, & eleemosynis civium sustententur. Verum hæc ratio nullius momenti est. Siquidem & pauperes qui precaria stipe vivunt, civium redivitibus aluntur; nec propterea oneri recitandi officium obnoxii sunt. Nec officii quod quibusdam privilegiis Professorum Novitii gaudeant: quoniam ad id satis est quod sint in via ad professionem, & quod libera electione Religionis oneribus subiiciantur. Neque probabilem reputamus opinionem Sylvestri, qui *verb. Hora quæst. ii. vers. Sextum* asserit, Novitios teneri ad aliquas preces, seu psalmos indeterminate: quia nulla lex, nulla

la consuetudo assignari potest vi cuius ad id astricti evincantur.

II. Religiosi quoque conversi professi ab honore recitandi horas canonicas liberi sunt: quia licet sint professi, Deoque dicati; non tamen laudibus divinis, & divino cultui, sed corporis laboribus destinati sunt. Verum quidem est, loco horarum canonicarum preces quasdam a constitutionibus Ordinis definitas præfatos conversos recitare. Hastamen si committant, letaliter non delinquant: quia ad eiusmodi preces non astringuntur vi alicuius legis, vel consuetudinis ad culpam mortalem obligantis; sed tantum peccant adversus constitutiones propriæ Religionis, quæ si ad nullam culpam obligent, ut in Ordine Prædicatorum, nullam ipsi culpam perpetrant. Hæc quoque opinio communis est.

III. Quæst. I. *Religiosi professi, nondum in sacris constituti, & Moniales professe tenentur ne sub gravi culpa recitare horas privatim extra chorum?* R. Percelebris est controversia isthæc ob iuniorum dissidia. Sententia adfirmans communis est, solaque probabilis. Hanc defendunt Dominicus Sotus *Lib. X. q. v. art. 3.* Suarez *Lib. IV. cap. xvii. n. 6.* Azorius *Lib. X. c. vi. q. 1.* Toletus *Lib. II. cap. xii. num. 8.* Filliucius *tract. xxiii. cap. v. num. 150.* Lessius *Lib. II. cap. xxxvii. dub. 9. num. 47.* Macignus *tract. de hor. canon. cap. xiii. num. 28.* Malderus *2. 2. tract. x. cap. ii. dub. 3.* Diana *coord. Tom. III. tract. vi. resol. 15. 16. 17.* & alibi, qui citat Gavantum, Bellochium, Aragon, Conradum, Grassium, Portel. Sanchez *Lib. VII. Consil. cap. ii. dub. 3.* Trullenchus *Lib. I. cap. vii. dub. 12. §. 1. n. 1.* Vasquez de Benef. *cap. iv. §. 1.* Bonacina *disp. i. quæst. ii. p. 2. num. 1.* Castropalaus *disp. ii. punct. 1. §. 3. num. 1.* Tamburin. *in Decal. P. II. Lib. II. cap. v. §. 1. n. 13.* Bertrandus Loth *tract. xxiii. quæst. 1. art. 8.* Ioannes Martinez de Prado *T. I. cap. iii. q. xiv. n. 45.* Herrera *de stat. Relig. decis. 8.* Leander *tract. viii. disp. ii. quæst. x.* Salmanticenses *tract. xvi. cap. ii. punct. 2.* Henricus a S. Ignatio *Lib. X. cap. xvii.* Natalis ab Alexandro *Lib. II. art. 2. regul. 6.* S. Antoninus *P. III. tit. 1. cap. iv. §. 1.* Franciscus Genet *tract. 1. cap. x. quæst. xxx.* VVigandt *tr. x. ex. 5. n. 77.* & alii communitur.

IV. Rationes breviter perstringuntur. Et primo ex antiquitate plura suppetunt documenta quæ traditionem istius obligationis nobis ostendunt. D. Hieronymus *epist. ad De metriadem* hæc habet. *Præter psalmodum, & orationis ordinem, quod tibi horatertia, sexta, nona,*

*na, ad vesperam, media nocte, & mane semper est exercendum, statue quot horis sanctam Scripturam discere debeas.* Natalis Alexander *loc. cit.* plura alia documenta allegat, quæ brevitas gratia præterire iuvat.

V. Ratio itaque propositæ sententiæ a perenni consuetudine repetitur. Siquidem consuetudo rationalis, quæ nulli legi, sive ecclesiasticæ, sive divinæ adversatur, sed potius quam maxime legibus omnibus consentanea est, si diuturni temporis cursu fruatur, vim habet obligandi, ut omnes cum Canonistæ, tum Theologi fatentur. Porro Regulares omnes, & Moniales professe vi consuetudinis, non tam ab ipsis Religionibus, quam ab Ecclesia introductæ, tenentur ad horas canonicas recitandas. Siquidem Patres Ecclesiæ communi assensu testantur, Religiosos vi suæ professionis Deo consecratos esse, atque adeo divino cultui, laudibusque divinis celebrandis destinatos, ut supra ostensum est. Nulla porro validior traditio ea quæ sanctorum Ecclesiæ Patrum auctoritate nititur. Hi quippe sunt veluti canales per quos præcepta plura scriptis minime exarata, sed viva voce de aure in aurem transmissa ad nos non intercisca temporum serie perveniunt. Consuetudo autem adeo pervetusta, & in re adeo gravi, gravem dubio procul inducit obligationem.

VI. Quod luculentius confirmari potest ex communi omnium sacrorum Ordinum qui chorum profitentur, consensu. Istorum quippe constitutiones fere omnes onus recitandi canonicas horas extra chorum suis Professis imponunt. Omnis aliorum Ordinum legibus satis mihi sit referre constitutionem Ordinis Prædicatorum *dist. 1. cap. 1. Glos. Declaramus quod sicut Clerici seculares qui non sunt in sacris, si sint beneficiati, tenentur, & obligantur dicere officium; ita & quilibet Religiosus qui ex eleemosynis vivit, & ab Ordine provisionem victus, & vestitus habet, tenetur de necessitate salutis officium dicere.* P. Servatius Laurielz Ordinis Præmonstratensis in sua Optica Regularium, seu in commentariis ad Regulam S. Augustini *specul. 58. quarta instructione* contendit in suo Ordine Præmonstratensi obtinere contrariam consuetudinem, vi cuius Monachi professi, non initiati sacris, extra chorum exempti ab horis recitandis canonicis sint. Subdubitabat tamen de istius consuetudinis vi. Quare *ibidem pag. 300.* scribit: *Capitulum generale proxime venturum, seu indicendum, consulturum me, Deo iuvante, spero, & spondeo, ut postea indubitatum ac tutum de hac consuetudine præbere queam.* Verum Superiores ab illo

confulti iusserunt ut publicatam opinionem retractaret, quemadmodum reipsa illam retractavit in suo Catechismo, teste Caramuele *disp. c. III. in Reg. S. Benedicti*. Omnes ergo Religiones quæ chorum profitentur, unanimi consensu in eam concedunt sententiam quæ Professos nondum sacris initiatos extra chorum ad officium solvendum obligat.

VII. Contrariam opinionem defendunt Bordenus in *Consil. Regul. Resol. 30. num. 2. Caramuel in Theolog. Reg. disp. c. II. art. 2. num. 1343. Marchant in Tribunal. Sacram. Tom. II. tract. 11. part. 11. tit. 3. sect. 1. q. 11. Lessius in resol. Casuum conscient. verb. Hor. can. cas. 14. Martinus de S. Ioseph. Tom. I. de Ordine tract. x. num. 3. & sum. Lib. I. & alii, quos citat P. Antoninus Diana tract. vi. Tom. III. resol. 17. quorum argumenta sunt sequentia.*

VIII. Obiicies 1. Consuetudo invecata ab iis qui potestate carent introducendi consuetudinem, nullius roboris est. Atqui consuetudo recitandi officium divinum invecata est a monialibus, seu feminis, & a iuvenibus, qui nulla potiuntur facultate ad invehendam consuetudinem. Ergo nulla est. Quippe soli hi possunt consuetudinem instituere qui conde re leges valent. Patet autem recensitas personas condendarum legum potestate destitutas esse. Resp. Obiectio hæc, tota quanta est, commentitia dignoscitur. A vero profluxit ablutit quod ii dumtaxat introducere consuetudinem valeant qui rogandi leges potestate fruuntur. Siquidem civitates subiectæ supremo dominio Regis, vel Principis leges instituere nequeunt, & inducere consuetudines possunt, ut docet D. Thomas 1. 2. *quest. xcvi. art. 3.* Omnes illæ communitates introducere consuetudinem valent quæ capaces sunt per legem regi, & gubernari, ut sunt præfatæ sodalitates tum virorum, tum mulierum; dummodo occurrant conditiones ad veram consuetudinem necessariae.

IX. Obiicies 2. Ut consuetudo sub gravi culpa obliget, invecata sit oportet cum animo se se obligandi sub gravi culpa, & per modum legis. Consuetudo autem recitandi officium introducta fuit ex devotione, sicuti mos salutandi B. Virginem ad campanæ sonitum in Solis occasu, aut in meridie. Sicut ergo consueto hæc, & aliæ similes onus non inducunt, ita nec ista. Resp. Verum habet consuetudinem ex devotione, aut pietate invecatam nullam parere obligationem. At falsum est consuetudinem recitandi officium introductam fuisse ex sola devotione, & pietate: quin potius vero,

sinceroque animo se se obligandi inchoata fuit, & cum tali onere semper obtinuit. Idque colligitur tum ex materie gravitate, tum ex personarum conditione, tum denique ex communi & Patrum, & Doctorum consensu, qui gravem istius consuetudinis obligationem conceptis verbis declarant, propugnantque.

X. Obiicies 3. Consuetudo nixa errore, vel ignorantia multitudinis existimantis se teneri ad aliquos actus, quantumvis multum tempus perduret, non propterea vim inducit obligationis; sed pulsa ignorantia, & errore evanesceat consuetudo invecata, ut communiter Theologi docent. At consuetudo recitandi officium initio introducta fuit a iuvenibus, & Monialibus ex errore, & ignorantia. Ergo nulla est. Quod confirmari potest ex eo, quia Doctores non pauci dubitant de gravi istius consuetudinis obligatione. Consuetudo autem certa sit oportet, ut obliget. Resp. Consuetudo præfata, non ignorantia iuvenum, & Monialium, sed sanctorum hominum pietate, & scientia, invecata fuit. Maiores nostri religiosæ professionis naturam spectantes iure meritoque iudicarunt, iuvenes, Monialesque vi propria professionis choro dicatas, obnoxios esse oneri solvendi pensum horarum canonicarum. Non itaque ignorantia, sed celestis spiritus infusa Patriarchis nostris sapientia radix est istius consuetudinis, quæ non dubia, sed certa est. Nec quorundam probabilistarum, Antonii a Spiritu sancto, Martini a S. Ioseph, & aliorum opinio satis est ad elevandam vim præfatæ consuetudinis.

XI. Obiicies 4. Si Religiosi nondum in sacris constituti, subiecti essent oneri recitandi divinum officium, nemo præter Papam posset illos dispensare ab hac obligatione. Hoc autem falsum est. Siquidem, dum iuvenis professus ad statum laicorum, qui conversi vocantur, transit, nulla pontificia indiget dispensatione; sed sola sui Prælati auctoritate exequi mutationem istam valet: quæ peracta liber omnino ab onere recitandi officium evadit. Solus ergo Prælati poterit ab obligatione horarum canonicarum eximere; quod absurdum videtur. Resp. Permolesum, ac perdifficile vocat P. Dominicus Sotus *Lib. X. de iust. qu. v. art. 3.* argumentum istud. Verum, si radix obligationis spectetur, nullum omnino faceffit negotium. Consuetudine quippe tenentur prædicti Religiosi, maiorum voluntate invecata, ad horas canonicas celebrandas. Porro iidem maiores nostri ita tuerunt professos a statu, ut sic loquar, choralitatem, ad conversorum sortem demigrantes, a dicto onere exemptos esse.

Tf

Tenentur quamdiu choro sunt addicti; liberi sunt continuo ac a choro se se abdicarunt. Laudata quippe consuetudo solos choristas, secus alios devincit. Idcirco evanesceat tota facti argumenti vis.

XII. Quest. II. *Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, aut Monialis professa peccaret ne mortaliter, si semel aut iterum omiseret extra chorum horas canonicas?* Resp. Negat Aragonius 2. 2. *quest. lxxxiii. art. 11. dub. 4. concl. 4.* cui subscribitur nonnulli alii. Sed communis, & vera sententia affirmat. Si enim consuetudo sua natura graviter obligat, ut ostensum est; obligat in omni eventu. Cur initiatum sacris peccant, si semel omittunt officium divinum? Non alia ratione, nisi quia vi præcepti tenentur horas canonicas recitare. Cum ergo consuetudo præfata instar præcepti urgeat, consequitur peccare etiam omnes eos qui vi talis consuetudinis huic oneri astricti sunt.

XIII. Quest. III. *Religiosus chorista nondum sacris initiatus, si dispensetur a Pontifice, ut extra claustra vitam degat, tenetur ne recitare horas canonicas?* Resp. Affirmat communis opinio: quia vi istius dispensationis remanendi extra claustra non mutat statum religiosum quem professus est. Quare cum vi status huiusmodi teneatur ad horas recitandas, tenetur pariter, ubicumque vitam degat.

XIV. Quest. IV. *Si præfatus Religiosus dispensetur a Papa, ut uxorem ducat, evadit ne liber ab onere recitandi horas canonicas?* Resp. sententia affirmans probabilior mihi est. Quia tunc vere mutat statum eiusmodi Religiosus. Si ergo dimittit statum religiosum, consequentur eximitur ab omnibus oneribus quæ huic statui affixa sunt.

XV. Quest. V. *Religiosus fugitivus nondum in sacris constitutus, tenetur ne horas canonicas recitare?* Resp. Negat Bonacina *disp. 1. quest. 11. punct. 2. num. 6.* cuius opinionem probabilem iudicat P. Thomas Tamburinus: quia eiusmodi Religiosus constituitur in statu cui non convenit hæc recitatio. Verum eiusmodi opinio improbabilis est; atque adeo contraria unice probabilis. Quoniam Religiosus transfuga non amittit suum statum ob fugam arreptam: ergo non exiit eiusdem status oneribus. Alioquin commodum ex sua iniquitate referret.

XVI. Quest. VI. *Religiosus chorista, iudicis sententia e Monasterio eiectus, obnoxiosus est oneri recitandi horas canonicas?* Resp. Communior, & probabilior opinio affirmat, sive per ipsum stet ad Monasterium regredi, sive secus. Quoniam per hanc expulsionem

non amittit suum statum. Ergo, usque dum Religiosus permanet, semper afficitur oneribus quæ eiusmodi statum comitantur, quæque præstari ab eodem possunt extra claustra degente.

XVII. Quest. VII. *Religiosi ad turrem damnati tenentur ne ad horas canonicas recitandas?* Resp. Si Religiosi isti sint in sacris constituti, affirmant Theologi plures eosdem obstringi debito solvendi divinum officium. Ergo idem dicendum de aliis professis choro addictis, & nondum ad sacros ordines evectis. Verum, quia vix in tam misero statu impleri hoc onus potest tum ob impedimenta continua, tum ob brevissimi privationem; idcirco probabilius mihi videtur quod sive sint, sive non sint in sacris constituti eiusmodi Religiosi, ab hac recitatione excusentur. Eo vel magis quia Pontifex, dum eosdem tanto supplicio subicit, videtur eosdem a recitando officio tacite quodammodo dispensare, ne status religiosus opprobrio exponatur.

XVIII. Quest. VIII. *Privilegium concessum Benedictinis, & Iesuitis, ut eorum professi non teneantur recitare horas canonicas, donec sint sacris initiati, est ne aliis Ordinibus communicabile?* Resp. Opinio negans communis est: quippe tale privilegium adversatur Regulis, & constitutionibus aliorum Ordinum. Nec aliorum Religionum aliqua eiusmodi privilegium acceptavit umquam. Privilegium istud quoad Benedictinos fictitium est. Quamobrem in hac Editione retractatur.

## §. III.

*De obligatione recitandi horas canonicas, cui subiecti sunt illi qui beneficium ecclesiasticum possident.*

f. Beneficia ecclesiastica sunt Episcopatus, Canonicatus, Plebanatus, Rectoria, Præpositura, Dignitas, & alia eiusmodi, ut sunt præstimonium ex redditibus beneficii deducta, Capellania, quæ Episcopi auctoritate erecta est, & inter bona ecclesiastica constituta, & quæ ab ipso conferuntur; quamvis ex bonis patrimonialibus fundata, & præsentatio ad eam laicus reservata sit, ut fusius suo loco dicitur.

II. Quest. I. *Qui habet beneficium sive simplex, sive curatum, tenetur ne sub gravi culpa horas canonicas recitare?* Resp. Eum teneri definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. ix. de reform. Curie §. Statuimus, & ordinamus* &c. & merito: qui enim libere aliquod beneficium suscipit, iure cogitur illa subire onera quæ eidem beneficio sunt annexa. Sed beneficium datur onere recitan-

citandi horas canonicas. Ergo Beneficiati illas persolvere tenentur. Hæc est communissima sententia.

III. Quæst. II. *Qui metu coactus suscipit beneficium, subiacet ne horarum canonicarum oneri?* Resp. distinguendum. Si Beneficiatus nolit percipere fructus, neque ad horas recitandas astringitur; si contra reductus frui velit, ad horas solvendas obstringitur: quia tunc qua voluntate percipit fructus, vult quoque beneficium. Quamvis enim coactus susceperit, voluntarie tamen, & libere retinet beneficium.

IV. Quæst. III. *Qui habet beneficium redactum in commendam, donec alicui detur, aut manuale, seu regulare, tenetur ne horas canonicas recitare?* Resp. Etiam commenda est titulus beneficiarius: quare qui possidet eiusmodi beneficium, etiam sub titulo commendæ, percipit illius redditus: ergo onus quoque subire debet. Secus dicendum, si fructus non faceret suos. Idem adfirmandum de habente beneficium manuale, cuius fructus accipiat. Nihil enim officit quod ad nutum revocari possit: quoniam quousque durat commodum, durare debet & onus. Sententia communis.

V. Quæst. IV. *Ille cui confertur beneficium, ut pulset organa, aut artem, ut grammaticam, aliamve, doceat, tenetur ne ad horas canonicas recitandas?* Resp. Nonnulli absolute negant; sed distinctione opus est. Si soli fructus ex beneficio percepti alicui conferantur tanquam merces, & stipendium laboris, tunc nulla est recitandi horas canonicas obligatio; contra vero, si beneficium reapse conferatur cum onere docendi præfatas artes, tunc recipiens beneficium suscipit onus persolvendi officium eidem beneficio annexum. Et hæc est communis Doctorum sententia.

VI. Quæst. V. *Qui percipit prestimonia, tenetur ne ad horas canonicas?* Resp. Negant nonnulli, eo quod inter beneficia non collocent eiusmodi portiones ex redditibus beneficii deductas. Verum communior, & probabilior opinio id adfirmat: tum quod hæc prestimonia sunt vere beneficia collata a Prælato; tum quod S. Pius V. motu proprio declaravit his verbis: *Declaramus prestimonia, prestimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nulla servitia habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendendi.* Si inter beneficia reputantur: ergo oneribus beneficii ecclesiastici obnoxia sunt.

VII. Quæst. VI. *Habens capellaniam tenetur ne ad horas canonicas?* Resp. Si capellania sit collativa, seu auctoritate Episcopi erecta, & ab eodem conferatur; dubio procul qui il-

lam habet, horis canonicis recitandis subiectus est: quia eiusmodi capellania est verum beneficium ecclesiasticum. Si vero capellania neque sit erecta, neque conferatur ab Episcopo, qui illam habet, exemptus est ab horis recitandis: quia tunc nullo modo dici potest habere beneficium ecclesiasticum. Hoc quippe a laicis impertiri nequit.

VIII. Quæst. VII. *Quid, si capellania ex sua institutione non sit collativa; conferatur autem postea per Episcopum, aut Pontificem: incumbit ne tunc habenti illam horarum recitatio?* Resp. Distinguendum videtur. Si capellania titulo præscriptionis collativa evadit, quod scilicet Prælati sæpe illam conferentes propria potestate illam conferendi subiciant; tunc quoque oneri recitandi divini officii obnoxia fit, eo quod induit per hanc frequentem collationem naturam beneficii ecclesiastici. Tempus tamen requiritur congruum præscriptioni. Si vero capellania remaneat laica, uti remanet, si tantum semel vel bis a Prælato ecclesiastico conferatur; tunc qui illam habet, exemptus est ab horis canonicis recitandis.

IX. Quæst. VIII. *Qui ante annum quartumdecimum obtinet capellaniam collativam ex dispensatione Pontificis, tenetur ne per seipsum recitare canonicas horas?* Respond. Quamvis Missas per alium celebrare valeat, secus tamen horas canonicas, quæ sunt onus omnino personale. Quare etiam ii qui studio litterarum vacant, nequeunt per alios hoc onus implere. Qui ergo ante annum quartumdecimum obtinent eiusmodi beneficia ecclesiastica, tenentur seipsis pensum divini officii solvere: & eo tempore incipere debent quo subiecti sunt ecclesiasticis legibus. Sunt autem legibus Ecclesiæ subiecti, cum primum sunt rationis compotes. Distinguendæ tamen leges sunt. Nam aliqua nullam exigunt peculiarem scientiam; & istæ statim servandæ sunt. Aliæ possunt notitiam aliquam, ut hæc de recitandis horis canonicis (oportet siquidem quod puer sciat latine legere: si enim ignorat, impotens existit) unde tenetur contestim discere: & statim ac didicerit legere psalmos, seu Breviarium, horas recitare astringitur.

X. Quæst. IX. *Tenentur ne Pensionarii ad recitationem divini officii?* Resp. Si pensio sit omnino laicalis, quæ conferatur ceu stipendium, ac merces ob laborem præstitum, aut ob servitia pulsandi organa, aperiendi fores, & id genus similia; nulla est recitandi officium obligatio. Eiusmodi enim pensiones etiam secularibus conferuntur. Si vero conferantur Clerico ut Clerico, & exigant in recipien-

cipiente aliquem ordinem, seu tonsuram; tunc recipiens tenetur non ad horas canonicas, sed ad parvum officium B. Virginis: quia sic decrevit S. Pius V. sub pœna restituendi fructus pensionis. Si tamen recipientes recitent canonicas horas, satisfacerent huic obligationi: quia mens Pontificis est subducere pensionarios a maioris officii recitandi debito, illisque dumtaxat imponere onus parvum B. V. officium celebrandi. Satisfacere quoque huic obligationi contendunt plures Theologi Pensionarios illos qui nomen alicui Ordini militari dedissent, si preces a Regula talis Ordinis præscriptas recitent. Verum nulla istius exemptionis adducitur ratio: quare implendum videtur etiam ab iis onus a Pontifice impostum.

XI. Exemptus quoque a recitando parvo officio B. Virginis ille est in cuius capite pensio reservata ad alterius commodum est. Quippe ille solus tenetur subire onus qui percipit commodum. Porro commodo pensionis non fruatur ille in cuius capite est reservata, sed alter: ergo hic, non ille, oneri officii mariani subiacet.

XII. Quæst. X. *Qui titulo clericali obtinuit pensionem, tenetur ne recitare officium marianum, si postea matrimonium contrahat?* Resp. Eum teneri adfirmat communis opinio, eo quod pensio sua natura ecclesiastica, quæque clericalem titulum in recipiente prærequirit, non mutat suam naturam ob mutationem status illius qui eam recepit. Idemque dicendum de eo qui post initum matrimonium obtinet pensionem titulo clericali.

XIII. Qui totam pensionem resignavit, ad nihil tenetur. Qui vero partem cessit, & partem sibi retinuit, ad horas recitandas astringitur: quia adhuc pensionarius est, fructusque pensionis, sin integros, saltem dimidiatos retinet. Qui vero consentit ut pensio redimatur accepta anticipata solutione trium, aut quinque annorum, debet recitare officium parvum B. Virginis pro toto illo tempore, pro quo accepit fructus: quia onus debet respondere commodo.

XIV. Quæst. XI. *Clericus beneficiarius, si obtineat pensionem, tenetur ne præter horas canonicas recitare officium parvum B. Virginis?* Resp. Mens S. Pii V. ea videtur fuisse, ut Pensionarius recitet officium B. Virginis casu quo ab horis canonicis recitandis exemptus sit; secus vero, si reapse horas canonicas celebrare astringatur. Quare aut officium divinum, aut parvum B. V. Pensionarius recitare debet; se-

Conc. Theol. Tom. II.

cus utrumque, ut docent Suarez, Sanchez, Trullenchus, Fillucius, Leander, Reginaldus, & alii plures, quos sequitur Bonacina.

XV. Quæst. XII. *Episcopi, & Cardinales debent ne horas canonicas recitare?* Resp. De Episcopis nulla est difficultas, omnibus consentientibus eos ad id teneri. De Cardinalibus prolixam instituit quæstionem P. D. Antoninus Diana Tom. III. coord. tract. vi. resol. 2. ubi post relata utriusque opinionis argumenta, hæret ipse anceps, suumque suspendit iudicium ob rationes occultas, dicens: *Verum cui ego adhaream, ex dignis rationibus proferre nolo.* Pro sententia autem negante nullum Theologum expresse nominat, nominaturus sane, si quempiam legisset. Solum hæc refert. *Pro negativa sententia... testatus est quidam Antistes, se vidisse votum subscriptum a duobus viris doctis Societatis IESU, quas mihi nominavit, Romæ commorantibus.* Hæc tamen opinio, tanquam omnino improbabilis & falsa, reiicienda est. Adfirmant quippe communiter Theologi, Cardinalatum non modo beneficium esse, sed maximum, & eminens; atque adeo, cum omnes Beneficiarii ad horas canonicas teneantur, strictiori iure teneri Eminentissimos Cardinales consequitur. Et quidem hoc onus subire tenentur a die quo accipiunt Biretum; quia eo die ius indispuntur ad omnia Cardinalatus munia. Quare & scriptum duorum Theologorum, & ipsa Dianæ iudicii suspensio, & dubitatio scandali plena sunt. Tenentur ad horas minimi Beneficiarii; & non tenentur superari? Lamentabuntur postea Casuista, si non dixerimus eos ad Magnatum, Principumque aures placentia loqui?

XVI. Quæst. XIII. *Coadiutores Beneficiorum tenentur ne ad horas canonicas?* Resp. Coadiutoria non est beneficium, etiam dum assignatur aliqua portio congrua: quia beneficium remanet apud proprietarium, nec in dubio esse potest. Coadiutores autem vocantur Canonici, tum ob ius succedendi post mortem proprietarii, tum ob vocem in Capitulo, & sedem in choro. Si vero coadiutoribus assignentur aliqui fructus, non per modum stipendii, sed per modum pensionis; tunc, sicut ceteri Pensionarii, tenentur recitare officium parvum B. Virginis. Si Parocho absenti, aut infirmo detur coadiutor, ut vices illius gerat, tunc tenebitur implere omnia Parochi onera, & canonicum recitare officium, ut communiter fatentur omnes. Tandem si coadiutores expresse se obligaverint, & in pactum deduxerint cum proprietario exindulto Pontificis, non est du-

bitationi locus quod teneantur ad horas canonicas recitandas.

XVII. Quæst. XIV. *Qui habet beneficium sine fructibus, tenetur ne ad horas canonicas?* Resp. Primo certum est illum astringi, si culpa propria fructibus beneficii careat: quia hic habet beneficium cum iure ad percipiendos fructus: & si propria culpa fructus non recipit, ex hac sua iniquitate colligere nequaquam potest commodum exemptionis ab onere recitandi horas canonicas. Verum si beneficium ipsum nullus habet fructus, sed merum titulum, tunc disputant Theologi. Medina, Turrecremata, & Paludanus sument Beneficiarium etiam in hoc casu teneri: quia sponte, ut supponitur, acceptat beneficium fructibus destitutum: ergo etiam cum onere recitandi officium. Contraria opinio defenditur a pluribus Probabilitatis his rationibus. Siquidem onus recitandi horas canonicas ratione beneficii non oritur ex mero titulo; sed ex fructibus, qui rationem mercedis habent. Acceptant, utique sponte eiusmodi beneficia, quia scilicet agnoscunt nullam imponere obligationem. Quis enim acceptaret titulum cum gravamine absque ullo emolumento? Prior sententia videtur valde probabilis: quia eo ipso quod quis sponte in classem se subiicit Beneficiariorum, eorum oneribus se subiicit. Contraria quoque opinio sua fructur probabilitate. Si quis horum Beneficiariorum super hac de re me consulere, hoc ei præberem responsum: Aut dimitte beneficium, aut recita officium. Verum meo consilio opus non est, cum nemo sit fortasse qui beneficium fructibus vacuum acceptet.

XVIII. Si vero Beneficiarius nullos fructus colligit, eo quod iusta causa non residet, fructusque residentibus distribuntur; graviores Theologi docent, tunc teneri præfatum Beneficiarium ad horas canonicas. Dominicus Sotus *Lib. X. de instit. quæst. v. artic. 3.* Paludanus *in IV. dist. xv. quæst. xv. num. 15.* Turrecremata *cap. 1. dist. xci. num. 9.* Corduba *in Summa q. clxxxvi. Ledesma II. Part. quæst. xvi. artic. 4. dub. 5.* Navarrus *in Manuali cap. xxv. num. 103.* alique. Et primum convenit penes omnes, quod, si Beneficiarius contra iuris ordines non resideat, teneatur ad horas. Difficulus est, dum ex iusta, & legitima causa, & servato iuris ordine, puta studiorum causa, non residet. Etiam in hoc casu eum teneri docent laudati Theologi: quia per ipsum itat quod fructus non percipiat. Absentia ab Ecclesia ex iusta causa excusat utique a culpa; sed cur eximere debet ab onere recitandi horas canonicas? Contra-

riam opinionem defendit Leander *tract. VIII. disp. II. quæst. lxxxiii.* Quia, inquit, obligatio recitandi horas canonicas oritur ex mercede quæ illi datur ad sustentationem. Quæ ratio falsa est: hæc namque obligatio proficiscitur ex beneficio, & iure percipiendi fructus eiusdem. Qui vero abest ab Ecclesia, quantumvis ex legitima causa, habet beneficium, & iure potitur percipiendi eiusdem beneficii redditus. Quod porro ipsa non colligat, non aliunde evenit quam ex libera illius electione. Si tamen causa legitima cur abest, sit in bonum commune Ecclesie suæ; forte tunc posset dici exemptus. Ceterum, cum abest ob suum peculiare commodum, tamen honestum, e. g. ut evadat Doctor, Magister, absque ullo respectu ad Ecclesiam, quæ forte non indiget tot laureatis, & Doctoribus; aut si forte is qui abesse vult, ingenio tanto non est præditus, ut valeat comparare tantum scientiæ quæ cedat in Ecclesie utilitatem: is, inquam, recitandi officii obligationem minime evitat.

XIX. Beneficiarius qui fructus beneficii renuntiat parentibus, aut amicis, dubio procul tenetur ad horas canonicas: quia eiusmodi Beneficiarius revera colligit beneficii sui redditus, quamvis aliena manu, & industria.

XX. Quæst. XV. *Beneficiarius qui ob excommunicationem non percipit fructus sui beneficii, tenetur ne horas canonicas recitare?* Et. Adfirmant communiter Theologi, uno aut altero excepto. Quoniam excommunicatus, si velit, potest percipere fructus beneficii, quia valet obtinere absolutionem ab excommunicatione: & si ad tempus in poenam lata est, non debet hinc referre exemptionis commodum. Idem dicendum de suspensio, aut irregulari. Secus vero, si ob irregularitatem, aliamve causam privaretur beneficio: quia tunc non esset Beneficiarius.

XXI. Qui vero iniuste obtinet beneficium, ut per simoniam, aut quia est excommunicatus, vel irregularis, vel legitima destitutus ætate, non tenetur recitare horas canonicas; sed debet restituere fructus, & dimittere beneficium. Qui vero, legitime obtento beneficio, iudicis sententia privatur fructuum perceptione per annum, aut longiore tempore, tenetur toto illo tempore officium divinum persolvere: quia non debet ex sua culpa commodum reportare. Nec officii quod opponit Thomas Sanchez *Lib. II. Com. cap. 11. dub. 74.* quod tamen Beneficiarius sua culpa damnatus fuerit, post latam tamen sententiam illius non est fructus percipere. Verum habet. Sed illius culpa in causa fuit cur damnaretur. Et hoc

hoc satis est ut debeat exequi onus recitandi divinum officium.

XXII. Quæst. XVI. *Qui beneficium perquam exile acceperunt, tenentur ne precum canonicarum lege?* Resp. Negat P. Dominicus Sotus *Lib. X. quæst. v. art. 3.* ubi ait, onere solvendi officium solum eum esse qui beneficium obtinet cuius fructus octo duntaxat aureis æstimari possint. Verum contraria sententia communis est, & mihi unice probabilis, quam Navarrus *in Enchiridio de orat. cap. VII. n. 27.* appellat communem ab omnibus receptam. Eam defendunt Ostiensis *cap. 1. de celeb. Miss. num. 19.* D. Antoninus *III. Part. tit. XIII. cap. IV. §. 1.* Maior *in IV. dist. XII. quæst. VI. §. Colligendo.* Sylvester *verb. Hora num. 2.* Tabiena *verb. Hora canonica num. 2.* Rosella *verb. Hora num. 1.* Armilla *verb. Hora in principio.* Paulus Comitulus *Lib. I. Resp. Moral. quæst. lxxviii.* Salmanticenses *tract. xvi. cap. 11. punct. 3. num. 48.* Ratio in promptu est. Hic liquidem vere fruatur beneficio ecclesiastico, & in classem Beneficiariorum perscriptus est. Quod fructus exiles, aut pingues sunt, nihil refert. Quoniam onus recitandi canonicas preces non ex quantitate reddituum, sed ex ipso beneficio oritur. Qui ergo vult beneficium, iugum Beneficiariorum portare debet. Quod si nolit, beneficium dimittat. Nec enim beneficia ecclesiastica mercimoniam sunt, neque negotiationis, & mercaturæ loco habenda; ita ut quantitati laboris respondeat quantitas stipendii, & pretii. Mens enim Ecclesie in conferendis beneficiis ea est, ut Beneficarii Deo, & populo divinum precando reddant officium.

XXIII. Quæst. XVII. *Beneficiarius qui, capta beneficii possessione, impeditur pro aliquo tempore a fructuum perceptione, tenetur ne precum canonicarum lege?* Resp. Adfirmat communis, & vera sententia, quam defendunt Navarrus, Paludanus, Turrecremata, Corduba, Sylvester, Medina, Toletus, quos citat & sequitur Suarez *Lib. IV. c. xx.* Castropalaus *disp. II. punct. 1. §. 2.* Vasquez *de Beneficiis dub. 6. §. 1.* Leander *disp. II. quæst. xc.* & alii: quæ opinio sic evincitur. Qui pro aliquo tantum tempore fructuum collectione privatur, speratque probabiliter se eisdem fructus percepturum, iam habet & beneficium, & ius percipiendi fructus. Hi enim sunt tituli unde oritur debitum solvendi precum canonicarum pensum. Nec requiritur quod fructuum collectio præcedat, sed satis est quod Beneficiarius moralem spem habeat eisdem consequendi. Nonne Beneficiarius primo collatio-

nis anno tenetur recitare officium, tamen si fructus illo anno non percipiat? Idem dicendum potiore iure & de eo qui licet pro aliquo tempore, etiam longiore, non colligat redditus Beneficii, percipit tamen distributiones, quæ adstantibus tribuuntur; & de altero cuius beneficii fructus primo anno respondentes referuntur ex Ecclesie statuto ad iusta post eiusdem mortem solvenda.

XXIV. Tenetur quoque preces canonicas celebrare Beneficiarius cuius primi anni fructus ex Ecclesie statuto, aut consuetudine distribuntur inter antiquiores: tum quia voluntarie, ut supponitur, huic oneri se se subiicit; tum quod ius habet una cum beneficio hos fructus percipiendi. Verum tamen est consuetudinem hanc pravam esse improbatam a Ioanne XXII. *cap. Suscepti de elect. tit. No. Sede vac. a Concilio Trident. sess. xxiv. cap. xiv. de refor. & a S. Pio V. Constitut. Dudum an. 1570.* Sententiam nostram defendunt Azorius *Lib. X. cap. IV. quæst. IV.* Suarez *Lib. IV. cap. xx. numer. 8.* Lessius *Lib. II. cap. xxxiv. n. 170.* Bonacina *disp. I. q. II. p. 4. n. 2.* Castropalaus *disp. II. punct. 1. §. 2. n. 19.* Leander *tract. VIII. disp. 2. q. xciii.* Contrariam defendunt Navarrus, Sanchez, Garcias, & alii. Verum Auctores hi damnant recentitam consuetudinem, quibus & nos subscribimus. At casu quo alicubi, repugnante iustitia, & æquitate, consuetudo vigeret; non propterea Beneficiarius ex aliorum pravitate percipere exemptionis ab officio reddendo commodum iure posset. Potiori iure teneatur, si ex Ecclesie consuetudine primi anni fructus destinati essent in pia opera, ut in pauperum subsidium, aut Ecclesie fabricam ob rationes adductas.

XXV. Quæst. XVIII. *Qui per vim & fraudem impeditur a fructuum perceptione, tenetur ne lege officii divini?* Resp. Quando nulla adest spes assequendi fructus beneficii ob fraudem, & vim iniuste illatam, quod accidere potest, dum inter hæreticos beneficia existunt, nulla est recitandi officii obligatio: quia hic Beneficiarius nec dimittere beneficium alteri valet, nec fructus assequi. Porro Beneficiarius non potest astringi ad pensum officii, nisi ob fructus aut perceptos, aut percipiendos. Hanc defendunt Navarrus in *Enchiridio de orat. cap. VII. num. 28 & in Sum. cap. xxv. num. 103.* Valentia *disp. VI. quæst. 11. punct. 10. §. 7.* Azorius *Lib. X. cap. IV. quæst. 6.* Lessius *Lib. II. cap. xxxiv. num. 168.* Castropalaus *disp. II. punct. 1. §. 2. n. 16.* Bonacina *disp. I. quæst. 11. punct. 4. n. 25.* Leander

25. Leander *disp. II. quest. xv.* Caietanus, Armilla, Lopez, & communiter alii. Si tamen fructuum impedimentum non sit perpetuum, vel ad longum tempus, cum Suarez *Lib. IV. cap. xx. num. 15. & 16.* aliisque existimarem tunc ad horas canonicas solvendas Beneficarium teneri: quia tunc habet beneficium, ins colligendi fructus, & moralem spem eosdem in futurum assequendi: idque ex eo patet, quod si ob temporum sterilitatem, aut iniquorum rapinam Beneficarius fructibus illis privetur, non propterea liber evadit ab onere divini officii.

XXVI. Quæst. XIX. Paulus, qui post collatum sibi beneficium, ne in eius possessionem pedem ponat, lite intentata a Joanne impeditur, tenetur ne precum canonicarum lege? &c. Dicitur iam est quod, si ipse Beneficarius in causa sit cur possessionem beneficium non capiat, teneatur ad pensum divini officii reddendum. Disputatio tantum est, utrum quoque teneatur, quando lite ipsi intentata, a possessione arcetur. Quæstionem hanc fufe versat Paulus Comitulus *Lib. I. ref. mor. g. lxxix.* & negantem opinionem defendit: in cuius confirmationem hæc adducit. Onus præstandi canonicas horas neque ex beneficio tantum, si illud sterile omnino sit, & vacuum, neque ex fructuum sola perceptione; sed ex utroque, beneficio nempe, & vestigali aliquo eidem iuncto, procedit. Addendum, quod rationabilior videtur ista sententia quæ sustinet non ex beneficium collatione, quæ multis obnoxia est impedimentis, sed ex illius tranquilla possessione præfatum onus assurgere. Ex collatione utique ius proficiscitur; sed mutilatum, & imperfectum: adiecta vero possessione evadit integrum, & absolutum. Ex hoc vero absoluto titulo proficiscitur onus horarum canonicarum. Quare Caietanus animadvertit acute de more, quod ex collatione acquiris ius, ut beneficium dicatur tuum; obligatio vero dicendi officium nascitur ex obligatione alterius, ut tibi tribuat fructus, ita ut tu percipere valeas. Tandem, dum possessio est sub lite, beneficium una cum fructibus contingens est: ex re autem contingenti nequit effluere debitum certum. Hinc, quando duo litigantes super eodem beneficio contendunt, neutrum recitando officio astringi, probabile valde est. Quia usquedum beneficium subiectum est liti, habetur pro vacante. Ita sentiunt Paludanus in *IV. dist. II. Sotus Lib. X. quest. v. art. 3.* Suarez *Lib. IV. cap. XIX. num. 9.* Bonacina *disp. I. quest. II. punct. 4. num. 26.* Ludovicus *Bea. tit. 47. Le-*

desma Petrus *tract. IX. cap. IV. dist. 9.* Leander *disp. II. quest. xcix.*

XXVII. Quæst. XX. Beneficarius habens possessionem beneficium, sed non tranquillam, tenetur ne canonicarum horarum lege? Resp. Distinctione opus est. Si lis intentatur sub ipsum possessionis initium, ita ut verum habeat quod Beneficarius nunquam tranquille suum possederit beneficium; nec moralem spem habeat vincendi litem, & assequendi fructus, saltem respondentem servitio præstito; tunc probabilior videtur quod non astringatur. Si vero initium possessionis tranquillam fuerit, vel etiam litigiosam, sed cum administratione fructuum, & cum morali spe victoria; onus incumbit recitandi canonicas preces. Quia tunc Beneficarius fruatur titulo, possessione, & administratione beneficium. Et hæc est communis opinio, quam defendunt Suarez *Lib. IV. cap. XIX. num. 7. & 10.* Castropalaus *disp. II. punct. I. §. 2. num. 25.* Lessius *Lib. II. cap. xxxiv. dub. 31. num. 173.* Azorius *Lib. X. cap. IV. Bonacina disp. I. quest. II. punct. 4. num. 26.* Sanchez *Lib. II. Consil. cap. II. dub. 76. num. 9. concl. 5.* Leander *disp. II. quest. cii. & ciii.* & alii communiter.

XXVIII. Quæst. XXI. Qui dabitur est de tenuitate beneficium, tenetur ne reddere precum canonicarum pensum? Resp. Negant Probabilistarum plures. Leander *disp. II. quest. cvii.* Tamburinus *Lib. I. in Decal. cap. III. §. 7. verb. Beneficarius*, ubi hæc scribit: „Dicemus infra, Beneficarium tenue beneficium possidentem non obligari ex probabilis sententia ad horas canonicas persolvere. Quid ergo erit, si quando, omnibus expensis, ambigatur, utrum beneficium sit tenue, necne? Respondeo, puto probabile obligari, & item probabile non obligari. Quare alteram ex his sententiis quam tibi libet, amplecti licet. Si istius doctrinæ laxitatem deprehendere cupis, recogites velim, perpaucos esse Beneficarios qui pingues fateantur esse suos beneficiorum proventus, quin vix esse qui, omnibus expensis, non iactet pauperiem, & tenuitatem. Porro, si satis sit ambigere de reddituum tenuitate, ut quis onere precum canonicarum solum se probabiliter existimet, iudicetque; quot erunt huic tributo obnoxii, Tamburiniæ doctrinæ admissa?

XXIX. Hac eadem probabilitate nixus Leander defendit *disp. II. quest. cviii. & cix.* non teneri cum qui beneficium habeat non excedens octo, immo sexdecim aureos: quanta

quam opinionem defendunt quoque Diana, & Sanchez *Lib. II. consil. cap. II. dub. 67. num. 3.*

XXX. Persequitur Leander investigare quod ex num teneatur recitare horas canonicas Beneficarius ille cuius beneficium fructus non attingunt viginti ducatos: & contra suos Sanchez, & Dianam, existimantes non esse tenue beneficium illud quod excedit decem, & sex nummos aureos, respondet probabiliter non teneri. Quæst. cxii. quærit utrum teneatur saltem ille qui perciperet viginti quinque ducatos: & contra suos laudatos, immo con Lessium, Pellizarium, Filiucium, afferentes teneri hunc Beneficarium saltem diebus dominicis, & festis, resolvit non teneri ullo modo. Quæst. cxiii. inquirit de eo cuius beneficium non attingit valorem quadraginta ducatorum, & vi suæ mirabilis probabilitatis adversus communem Theologorum sententiam hunc quoque precum canonicarum lege solvit.

XXXI. Quæst. XXII. Qui habet plura beneficia, quorum quodlibet ita tenue est, ut non sufficiat, sufficiunt tamen ad honestam sustentationem omnia simul, tenetur ne lege canonicarum precum? Resp. non discutimus modo, unde fumatur tenuitas beneficium, an videlicet ex solis redditibus, an etiam ex elemosynis quæ conferuntur pro Missarum celebratione. Nam de hoc sermo redibit, dum beneficiorum argumentum tractabimus, ibi enim ostendemus, tum redditus stabiles, ut vocant, tum elemosynas, omnesque fructus, quos Beneficarius colligit ratione divini ministerii, computandos esse inter proventus ad Beneficium sustentationem necessarios. Ad propositam quæstionem dico, vel ipsum Leandrum, nedum ceteros Theologos, affirmare, hunc Beneficarium alitricum esse ad preces canonicas recitandas: quia ex redditibus Ecclesie sufficiens habet stipendium ad suam sustentationem: ergo tributum solvere, quod hinc oritur, debet horarum canonicarum.

XXXII. Quæst. XXIII. Qui habet plura pingua beneficia, tenetur ne plura divina officia recitare? Resp. Guillelmus Parisiensis, & Dionysius Carthusianus affirmantem sententiam defendunt; sed contraria communis est, & vera, quam propugnat D. Thomas quodlibet I. art. 13. ubi hæc habet. Quia laudis Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel officium dicat secundum consuetudinem aliquius Ecclesiarum quarum est clericus. Doctrinæ D. Thomæ subscribitur

communiter Theologi. Quid, si hæc beneficia iniuste Beneficarius possideat? Plures Theologi contendunt, plura tunc officia recitari debere. Dicerem ego, quod teneatur beneficia, uno excepto, dimittere: quia multiplicatio officiorum minime satis est ut quis valeat plura, & pingua beneficia retinere. Contendunt aliqui, quod Beneficarius tot debeat commemorationes recitare, quot beneficia possidet. Sed hoc gratis asseri videtur. Quisque enim tenetur recitare officium secundum Rubricas, & eas facere commemorationes quas eadem Rubricæ præscribunt. Qui habet beneficium pingue, & simul pensionem, satisfacit, si officium divinum recitet, ut supra dictum est.

XXXIII. Quæst. XXIV. Beneficarius, qui simul est Sacerdos, obligatus recitare officium divinum ob plura quæ retinet beneficia, si illud omittat, perpetrat ne plura peccata? Resp. Plures docent tot peccata committere, quot beneficia possidet. Verum cum statutum a nobis sit, unicuique officium recitandum esse etiam ab eo qui plura possidet beneficia, consequitur unicuique tantum perpetrare peccatum, licet pluralitas adsit beneficiorum. Ceterum, si Beneficarius simul sit Sacerdos, ut ponitur in titulo quæstionis, tunc dubio procul duo peccata committit: alterum contra iustitiam ratione beneficium, alterum adversus religionem ratione sacri ordinis. Hanc sententiam defendunt Suarez, Sanchez, Bonartius, Fagundez, Macignus, Reginaldus, Lopez, Rodriguez, Castropalaus, Candidus, Thomas Tamburinus, & alii communiter. Leander de more, ut quid probabilior, oppositam defendit sententiam. Verum, ut sæpe observavi, laxitates apertæ sunt quas Auctor hic probabiliores sententias appellare audet.

## CAPUT VIII.

De restitutione Beneficiorum ob omissionem precum canonicarum.

I. Disputabant olim Theologi, & Canoniste super obligatione Beneficiorum restituendi fructus perceptos ex beneficio in casu omissionis divini officii quod pendere tenentur. Sed litem omnem sustulit Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum, in quo sess. ix. hæc habentur. Statuimus quoque, & ordinamus ut quilibet habens beneficium cum cura, aut sine cura, si post sex menses ab obitio beneficio, officium

divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii, & temporis; sed eos, tamquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Quod Concilii decretum innovavit S. Pius V. sua constitutione edita XII. kalendas Octobris anno 1571. cuius initium est, *Ex proximo Lateranensi Concilio*, ubi hæc decernit. Nos huic rei evidentius, atque expressius providere volentes, statuimus ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eius diei amittant. Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis presens adsit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas sola presentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrificasse pratendat: is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat se admisisse... At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium &c. Contendebant nonnulli, decretum Concilii Lateranensis non fuisse usum receptum. Sed hæc opinio ut falsâ iam omnibus Theologis improbat. Disputant non pauci, fuerint ne ante constitutiones Concilii Lateranensis, & Pii V. Beneficarii omittentes canonicas preces, debito restitutionis obnoxii. Negantem opinionem tamquam probabiliorum de more defendit Leander *disp. VII. quest. IV.* quam nos ceu falsam reiicimus. Ut quoquo modo Probabilitate elevare Conciliorum, & Pontificum constitutionum vim, & ab earumdem obligatione se se, & alios eximere valeant, duo habent perfugia ad quæ se recipiant. Alterum, quod non sint eiusmodi constitutiones usum receptæ; alterum quod condant *ius novum*; quasi Concilia, & Pontifices alio spectarent quam ut iugum christianæ professionis addita præceptorum multitudine gravius efficerent; cum contra, tam Concilia, quam Pontifices nihil anti-

quius habeant, quam leges a maioribus acceptas, hominum malitia, temporumque calamitate pessumdatas ad pristinam revocare observantiam, semperque magnopere caveant ne iugum Christi plusiusto exasperent. Casuistæ modo asserunt, Ecclesiam benignam esse, ut hinc arripiant ansam pro libito legem interpretandi: nunc docent, novas illam in dies multiplicare leges, novaque condere iura, ut facilius eadem eludere valeant. Verum hoc obiter dictum sit. In viam regrediendo, beneficium quocumque tempore datum fuit propter officium, ut habetur *cap. final. de rescriptis in VI.* ergo percipiens modum beneficii, & non pendens vectigal sibi impositum, fructus beneficii restituere tenetur. Doctrina hæc vel ipsi naturali rationi est consentanea, eamque graviores Theologi, & Canonistæ amplectuntur. Nec eam fusius explicare lubet; cum iam nullum sit dissidium, quod moderni Beneficarii teneantur restituere dictos fructus, si omittant debitum solvere pensam.

II. *Quest. I. Peccat ne mortaliter cum omne restitutionis qui primis sex mensibus divinum officium omittit?* Resp. Certa a dubiis, fecernenda. Qui post elapsos sex menses horas canonicas omittit, fructus quos postea colligit, restituere tenetur, secundum omnes. Restitutio porro hoc ordine faciendâ est. Si totum officium omissum fuerit, restituendi sunt omnes fructus correspondentes illi, aut illis diebus, quibus horæ canonicæ recitatæ non fuerint: si Matutinum cum Laudibus omissum est, dimidia pars fructuum illius diei: si omnes aliæ horæ, altera dimidia pars; & pro singulis horis sexta pars restituenda est, ut conceptis verbis definiit S. Pius V. Qui autem plura possidet beneficia, omnium beneficiorum fructus dicta partitione servata, restituere tenetur. Advertendum tamen; quod omissio divini Officii debet esse culpabilis, ut restitutio sit debita. Siquidem in laudata constitutione restitutio imponitur, *legitimo impedimento cessante*. Quare qui ob oblivionem, infirmitatem, aliamve iustam causam preces canonicas omittit, restituere haudquaquam tenetur. Hæc omnia certa sunt; quemadmodum certum est, eum qui intra primos sex menses omittit officium, peccare mortaliter nemine repugnante. Quibus præiactis ad propositæ quæstionis resolutionem accedamus.

III. Huiusmodi Beneficarium letaliter delinquere, & ad restitutionem teneri asserit P. Franciscus Suarez *Lib. IV. cap. XXIX. n. 7. ubi*

7. ubi citat Sotum *Lib. X. quest. v. art. 6.* Bartholomæum Medinam in *summ. cap. XII. §. II.* Angelum verbo *Hora*, Grassium *decis. Lib. II. Hadrianum in IV. de rest. quest. An Ecclesiasticus concl. I.* Alexandrum Alesensem *III. Part. q. XXXVI. memb. 5. art. 2.* e Canonistis vero Covarruviam, Calderinum, Decium, Ancharanum, Geminiarum, Iasonem, Baldum, Durantum, & alios: suamque sententiam non spernendis firmat rationibus a iure naturali accessitis. Nihilominus tamen habita ratione decretorum Concilii Lateranensis, & S. Pii V. tuta satis & abunde est opposita sententia inter recentiores communiter obtinens, omissio nem videlicet precum canonicarum intra primos sex menses suscepti beneficii nullius rei restitutioni subicere Beneficarium, licet gravem culpam committat. Hanc opinionem defendunt Navarrus in *Enchirid. cap. XXI. de orat. n. 28.* Toletus *Lib. II. cap. II. Lessius Lib. II. cap. XXXIV. dub. 31. n. 129.* Calropalaus *disp. II. punct. 7. n. 2.* Sanchez *Lib. II. Conf. cap. II. dub. 2. n. 9.* Leander *disput. VII. quest. v.* Salmanticenses *tract. XVI. cap. II. punct. 4. n. 52.* Pellizarius, Martinus a S. Ioseph, Diana, & alii. Concilium Lateranense, inquit, & S. Pius V. definiunt, peccare dumtaxat mortaliter eum qui primis sex mensibus omittit divinum officium, nulla facta restitutionis mentione. Porro non aliunde oritur restitutionis onus quam ex Concilio Lateranensi, & ex constitutione S. Pii V. Sed tam Concilium, quam laudatus Pontifex obligant solum post sex menses ad restitutionem. Ergo intra illud primum sex mensium intervallum nulla est obligatio. Addunt Salmanticenses, præsumendum esse benignam matrem Ecclesiam noluisse obligare intra primos illos sex menses Beneficarium ad restitutionem ob privationem omnium fructuum, quam ei pro sequenti tempore imponebat, cuius rigorem voluit per primam benignitatem compensare. Licet in hanc ego sententiam ultro concedam, illud tamen probare non possum, Beneficarios divinum officium non recitantes ad restitutionem fructuum teneri solummodo ex lege ecclesiastica, cum huiusmodi debitum reperendum sit ex commutatrice iustitia, quæ obtrahit Beneficarium ad restituendum stipendium, omissio munere pro quo stipendium confertur, ut optime cum aliis citatis advertit Suarez. Hoc errore decepti Salmanticenses rigorem vocant declarationem, qua Concilium Lateranense una cum S. Pio V. statuit Benefi-

ciarios defraudantes Deum, populumque christianum debito servitio, & obsequio, obnoxios fore restitutioni; cum nihil rationi reperiri conformius possit, & ex sola indulgentia primos sex menses a beneficio obtento restitutionem fructuum Ecclesia remittat.

IV. *Quest. II. Quid dicendum de eo qui per sex menses officium integre recitavit, his autem elapsis incipit omittere?* Resp. Beneficarius qui transactis præfatis sex mensibus omittit recitare canonicas preces, vi decreti Concilii Lateranensis, & constitutionis Piane tenetur restituere fructus pro rata temporis officii neglecti. Tempus liquidem sex mensium incipit a die obtentionis, seu possessionis beneficii. Perspicua enim sunt verba tum Concilii, tum Pii V. *Si post sex menses quam illud obtinuerit*. Ergo elapsis sex mensibus a die obtentionis, si recitaverit, si non recitaverit intra illud intervallum, subiacet pœnæ latæ a Concilio Beneficarius qui canonicas horas omittat tempore consequente dictos sex menses.

V. *Quest. III. Beneficarius qui elapsis sex mensibus omittit recitare preces canonicas absque gravi culpa, tenetur ne fructus restituere?* Resp. Quamvis in rebus temporalibus obligatio restitutionis oritur non solum ex iniusta acceptione, sed etiam ex re accepta; in rebus tamen spiritualibus non videtur hic titulus sufficiens ad inferendam restitutionis obligationem. Non pauci Theologi, qui sustinent restitutionem fructuum Beneficarii omittentis officium divinum proficisci ex iure naturæ, simul defendunt faciendam esse fructuum recompensationem, quamvis omissio omni culpa careat. Verum hoc non videtur legitime consequi præfatam conclusionem. Quare probabilior mihi videtur opposita sententia, quam defendunt communiter Theologi, Suarez *Lib. IV. cap. XXXIX. num. 6.* Azorius *Lib. X. cap. XIV. q. VII. Navarrus cap. XXII. de orat. Lessius Lib. II. cap. XXXIV. num. 183.* Reginaldus *Lib. XX. tract. III. num. 44.* Calropalaus *disp. II. punct. 7.* Bonacina *disp. II. q. v. punct. 2. num. 4.* Leander *disp. VII. q. VIII. & alii plures apud eundem.* Hæc videtur esse Ecclesiæ mens, & potissimum S. Pii V. asserentis, quod qui officium *legitimo cessante impedimento non dixerit* &c. restituere fructus debet. Hæc etiam videtur esse mensidelium instituentium beneficia, quod scilicet Beneficarii qui culpa omittunt implere debitum proprium, restituere teneantur; secus vero, si legitimo, & innoxio impedimento deti-

detineantur. Obligatio ergo restituendi fructus, etiam iure naturæ orta, culpam supponere debet in omittente. Est enim onus istud per modum pœnæ impositum, quam pœnam præcedere culpa debet.

VI. Quæst. IV. Beneficiarius omittens officium divinum uno aut altero die, vel per octo, aut decem dies, tenetur ne restituere fructus respondententes tali tempori? Resp. Negant plures recentiores Probabilistæ. Bartholomæus Medina in *Sum. Lib. I. cap. XIV. §. II.* Ioannes de la Cruz in *Direct. curs. I. præcept. III. art. 3. dub. 6.* Ludovicus Lopez in *Instruct. Conf. Tom. I. cap. cxxlv.* & alii non pauci. Salmanticenses tract. XVI. cap. 2. punct. 4. pag. 168. num. 54. citant Layman. Alii contendunt falso citari, penes quos fides sit. Istorum tamen aliqui limitant omissionem ad unum aut alterum diem. Alii eam dilatant ad octo, vel decem dies, ut Ioannes de la Cruz. Hic Auctor non raro opiniones laxiores amplectitur; adeoque gravi cautela legendus. Præfata opinio, siue sermo sit de uno, siue pluribus diebus, omni caret probabilitate, cum sit evidenter contraria constitutioni S. Pii V. dicentis: *Ut qui omnes horas canonicas UNO, vel pluribus diebus intermiserit.* Hinc ratio adversariorum undique evanescit. Inquiunt enim, rationabiliter præsumi posse, herum nolle tanta severitate coarctare servum, maxime ingenuum, ad tam durum onus, ut veluti mancipium debeat singulis diebus pensum reddere. Beneficiarius autem servus est benigni, clementis, & liberalis domini, nempe sanctæ matris Ecclesiæ. Quis itaque præsumere auit in tam pia matre rigorem adeo austerum, ut velit pro una, aut altera vice servos suos oneri restitutionis subicere? Hi sunt consueti plurimum Probabilistarum fuci. His falsæ benignitatis larvis vim legum elevare contendunt. Qui locus esse præsumptioni valet, si Ecclesia voce Concilii Lateranensis, & S. Pii V. suam declaravit voluntatem? Quid hic spectrum soliti rigoris obiciunt? Suam benignitatem palam fecit Ecclesia primorum sex mensium restitutionem novitio Beneficiario indulgens, & annuis redditibus, aliisque privilegiis eum cumulans. Quia vero illius culpabilem ingratitudinem, & fœcordiam fovere recusat, propterea ne nimis severitatis, & rigorismi a Probabilistis postulanda erit Ecclesia? Parcat Lector, si durissime excipio Probabilistas, ut a rigorismi nota Ecclesiam defendam. Nullus dubito, quin parcituri sint omnes qui præfatum opinionem

comparaverint cum hoc Ecclesiæ textu: *Qui UNO, vel pluribus diebus omnes horas canonicas intermiserit, omnes fructus amittat qui ILLI, vel illis diebus responderent, si quoti-die dividerentur.* Qui adeo expressis textibus contradicunt, quo in sensu interpretabuntur textus suboscuros, & ambiguos? Nostram sententiam defendunt Sylvius 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 15. concl. 4. Suarez *Lib. IV. cap. xxx. num. 9.* Vaquez de *benefic. cap. IV. §. I. art. I. dub. 8. num. 43.* Sanchez *Lib. II. Consil. cap. II. dub. 82. num. 11.* Bonacina *disp. I. quæst. v. punct. 2. num. 8.* Castropalaus *disp. II. punct. 5. num. 4.* Leander *disp. VII. quæst. IX. & X. Salmanticenses tract. XVI. cap. II. punct. 4. n. 55.* & alii plures.

VII. Quæst. V. Liber ne ab onere restitutionis est Beneficiarius qui unam integram, aut notabilem horam partem omittit? Resp. Adfirmabunt potiori iure laudati Probabilistæ. Sed restitutioni obnoxium esse Beneficiarium qui integram horam omittit, declarat aperte S. Pius V. his verbis: *Qui vero Matutinum tantum, dimidiam: qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.* Hanc defendunt Doctores laudati pro nostra præcedenti sententia.

VIII. Eum vero qui notabilem horam partem omittit, Leander *disp. VII. quæst. XII.* contendit probabiliter non esse restitutioni subiectum. Pro hac sua opinione laudat plures, nimirum Pellizarium, Dianam, Fillium, & Suarez *Lib. IV. cap. xxx. num. 9.* ubi nec verbum habet de hac quæstione. De ea vero loquitur *loc. cit. num. 12. & 13.* ubi hanc regulam statuit, *ut quoties omissio est mortaliter peccaminosa, oriatur obligatio restituendi; non vero quando est tantum venialis: quæ doctrina destruit prorsus sententiam Leandri asserentis, quod tamen Beneficiarius peccet mortaliter contra præceptum ecclesiasticum, si dimidiam horam omittat, non tamen ad restitutionem astringitur, nisi integram horam negligat, eo quod lex pontificia, cum sit pœnalis, restringenda, non amplianda est.* Porro S. Pius V. subicit restitutioni eos dumtaxat qui horam aliquam, non qui dimidiam omittunt. Ratiocinatio hæc nimis est materialis. Qui dimidiam horam omittit, peccat mortaliter; atque adeo horam revera non recitat: quapropter restitutioni subiectus est. Hanc sententiam non solum defendit Suarez *loc. cit.* sed etiam Palaus, Garcias, Reginaldus, Bonacina,

cina, & Salmanticenses tract. XVI. cap. II. punct. 4. num. 55. Si tamen pars officii neglecta levis esset, ad nullam teneretur Beneficiarius restitutionem.

IX. Quæst. VI. Quid, si Beneficiarius partem levem in singulis horis omittit, ita ut partes simul sumptæ materiam gravem constituerent: ita recitans peccaret ne mortaliter? Resp. PP. Salmanticenses *loc. cit. num. 56.* eximunt Beneficiarium hunc ab onere restituendi. Quoniam, inquiunt, præceptum recitandi diversum est a præcepto restituendi, quorum unum ab altero separari potest. Ergo qui in qualibet hora minorem dimidia partem omittit, peccaret quidem letaliter contra præceptum recitandi integrum officium, se-cus vero contra præceptum restitutionis, quia nullam integram horam omittit. Pius autem V. pœnam restitutionis tulit in eos qui aliquam integram horam omittit. Pro hac opinione laudati Salmanticenses citant Palaum, Pellizarium, Fillium, Dianam.

X. Hæc opinio minime mihi probatur. Regula quam ex P. Suarez supra dedimus, præ oculis habenda. Quoties Beneficiarius omittit talem officii partem, ut sufficiat ad peccatum mortale, toties partem fructuum correspondentem restituere tenetur. Relata igitur opinio nimiam, ut ego quidem arbitror, prodit laxitatem. Inquiunt enim laudati Theologi, quod ad nihil teneretur Beneficiarius qui in singulis horis minorem dimidia partem omittit. Fac itaque Beneficiarium in singulis unum psalmum omittit. Hæc non solum est minor dimidia, sed est tertia horæ pars. Habes septem psalmos omisos. Hi constituunt non unam, sed duas & amplius horas. Qua ergo ratione recensiti Theologi negant, præfatum Beneficiarium nullam tunc omittit horam? Nullam utique materialiter, ut significanter loquamur; sed plusquam duas reapse omittit. Interpretatio qua adversarii legem Pianam exponunt, est circumventio, non explicatio legis. Qui enim præter legis intentum verba legis accipit, fraudem facit legi, eamque circumvenit. Sensus enim illius legis est: Qui talem officii partem omittit quæ unam horam constituat, onere restitutionis tenetur. Alioquin, si solus litteræ cortex spectandus esset, neque ad restitutionem teneretur qui duos integros cuiusque horæ, & cuiusque nocturni psalmos, atque adeo medietatem officii omittit: quod haud concessuras puto adversarios. Ergo inutilis est ratio adducta, quod nullam omittat horam, quando psalmos septem indictos re-

linquit, qui plus quam duas horas conficiunt.

XI. Quæst. VII. Beneficiarius qui hodie omittit officium, tenetur ne restitutioni, si sequenti die duplex recitet officium? Resp. Negat Molfesius, cuius opinionem probabilem existimat Bonacina *disp. I. quæst. v. punct. 2. n. 5.* & pro eadem citat Maiorem, Paludanum, Ledesnam, & Suarez *Lib. II. cap. xxix. n. 11.* Sed Suarez oppositum docet; solumque asserit, quod, attenda sola lege naturali, id videtur probabile; se-cus, si lex positiva spectetur. Dicimus ergo, præfatum Beneficiarium onere restitutionis fructuum teneri: quia hæc est pœna constituta a Concilio Lateranensi, & a S. Pio V. In constitutione siquidem Piana hæc leguntur: *Eum qui non recitat suo tempore officium, non facere fructus suos, & similia, quæ supra transcripta sunt.* Accedit quod onus divini officii est pensum diurnum, quod altero die suppleri nequit.

XII. Contrariam opinionem præter laudatos Theologos defendunt PP. Salmanticenses tract. XVI. cap. II. punct. 4. n. 65. quia, inquiunt, in proposito casu Beneficiarius omisso oneri æquale onus seu tributum pendit: idque patet in Capellano qui ad nullam restitutionem tenetur, si omissam Missam hodie alio die celebret. Quamvis enim recitatio officii sit onus affixum diei, non tamen restitutionis præceptum diei affixum est. Quare si Beneficiarius peccavit, omittens officium contra præceptum quotidianæ recitationis; non tamen peccat contra præceptum restitutionis, si omissum officium altero officio compenset. Et hanc opinionem non modo probabilem, sed etiam probabiliorem reputant: & pro eadem adducunt P. Suarez *loc. cit.* Ad Suarez quod attinet, ut iam dixi, certum est hanc illam non docere sententiam. Quippe laudato loco disputat, an Beneficiarius primis sex mensibus exemptus ab onere restitutionis vi legis positivæ, teneatur vi legis naturalis: & adfirmantem opinionem defendit. Et hoc in casu propugnat restitutionem spirituales sufficientem esse, *in toto rigore*, inquit, *iuris naturalis, & secluso positivo*, ob rationes quas ex ipso adducunt Salmanticenses. Et in toto illo capite xxix. disputat de primis sex mensibus Beneficarii exempti iure ecclesiastico a restitutione. De posterioribus enim mensibus tamquam quid certum defendit, necessariam esse fructuum restitutionem ob legem positivam id præcipientem. Quapropter opi-



nio Salmanticensium, & aliorum, non modo probabilior, ut ipsi existimant, non est; sed neque probabilis nobis est. Rationes quas ipsi allegant, ad summum evincunt, lege naturali id satis esse; minime lege Ecclesiae, manifeste restitutionem fructuum præcipientis, spectata. Interpretatio vero qua exponunt textum, *Non facit fructus suos*, si alio die non recitet, circumvenit legem, fraudemque ei facit. Potuisset utique Ecclesia pro restitutionis onere duplicatam recitationem imponere, vel suffragia pro defunctis, vel flagellationes, ut nonnulli alii recentiores docent; sed voluit imponere restitutionem fructuum. Neque recentiores Casuista, vel Theologi potestate fruuntur pro libito Ecclesiae leges inflectere, easque fusdeque miscere. Hæc nostra sententia adeo vera est, ut vel ipse Leander a SS. Sacramento *disp. VII. qu. xv.* licet totus ad benignitatem compositus, hæc scribat. *Sed ego fere certum respondeo, minime manere deobligatos a restitutione, sed omnino teneri; etiamsi alio die suppleant quod recitare omiserunt, seu duplicatum officium dicant.* Et pro hac sententia citat Henriquez, Navarra, Aragon, Trullenchum, Dianam, Faustum, Pellizarium, Bassæum.

XIII. Quæst. VIII. *Qui grossam Canoniciatus absolute acquisivit, antequam diceret officium, tenetur ne lege restitutionis, si postea officium recitare negligat?* Resp. Negat Salas citatus a Salmanticensibus, cuius opinionem suis rationibus munitam describunt, nec tamen impugnant; sed, ut frequentissime facit Diana, lectorum arbitrio subiiciunt *loc. cit. n. 53.* Nulla autem hæc opinio, ut ego censeo, fruitur probabilitate. Si Canonicus *grossam*, ut vocant, seu certos redditus acquirat, & vere possideat; hæc certe acquisitio, si possessio gravata est onere recitandi officium, & poena, in casu omisso officii, restitutionis. Sensus enim obvius, & genuinus textus Piani, *Non faciat fructus suos*, est, ut qui recitare officium neglexerit, fructus restituat; si ante, sive post recitationem eos percipiat, possideatque. Si enim iuste ante recitationem acquisivit, & possedit ob ius quod vi beneficii in illos habebat; iniuste tamen retinet, si solvere precum canonicarum vestigal ab Ecclesia impositum recuset. Hanc opinionem, non modo tamquam probabilior, sed absolute defendit Leander *loc. cit. qu. XVI. Ego absolute respondeo, inquit, teneri ad restitutionem fructus pro rata officii omisso.* Eam quoque conceptis verbis propugnant perdoctus Vasquez *Tom. II. in 1. 2. disp. clxviii. c.*

*iv. n. 35. Pellizarium tract. v. cap. VIII. sect. IV. qu. xxii. n. 225. P. Suarez Lib. IV. cap. xxx. num. 6. & seq. Castropalaus disp. II. punct. 7. n. 10.*

XIV. Quæst. IX. *Præfata restitutio facienda ne est ante iudicis sententiam?* Resp. Negant tres graves Theologi Sylvester *verb. Clericus IV. qu. xxiii. Petrus Sotus Lib. de iust. tract. ult. lec. IV. pag. mihi 443.* ubi obiter, & absque examine ecclesiastica legislationem facit istius restitutionis, Medina *Lib. I. sum. c. XVI. §. II.* Quamvis hi tres ex Dominicana familia per celebres Theologi hanc defenderint opinionem; nihilominus nos, qui non aliquo partium studio, sed pro sola veritate scribimus, in oppositam inus sententiam, quam defendunt communiter non modo graviores Theologi, sed etiam benigniores Casuista. Et ad tres laudatos Theologos quod attinet, Sotus, ut dixi, per transiennam huius rei meminit; Sylvester *loc. cit.* non tractat hanc quæstionem, sed aliam, quam supra confutavimus; de Medina vero hæc scribit Suarez *loco proxime citando. Neque Medina hoc vocavit in dubium, neque homines pii, & docti, nempe Leander disp. VII. qu. xvii. Trullenchus Lib. I. c. VII. dub. 14. Castropalaus disp. II. punct. ult. n. 10. Lessius Lib. II. c. xxxiv. dub. 31. Suarez Lib. IV. c. xxx. n. 2. Navarrus Lib. de orat. c. VII. Vasquez de Benef. c. IV. §. I. dub. 4. Filiucius tract. xxiii. c. x. Salmanticenses tract. XVI. c. II. punct. 4. n. 53. Layman, Molfesius, Aragon, Diana, & alii apud Leandrum. Ratio est evidens. Lex statuit Beneficiarios omittentes officium non facere fructus suos, sed eos tamquam iniuste perceptos debere erogare. Porro nemo retinere iure valet quod suum non est; sed restituere tenetur. Quapropter iure ac merito Alexander Papa VII. damnavit contrariam opinionem in sequenti propositione, quæ est in ordine xx. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantiibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.**

XV. Quæst. X. *Beneficiarius absque ulla attentione recitans officium, tenetur ne restituere?* Resp. Negant Villalobos, Diana, Malderus, Toletus, Castro, Martinus a S. Ioseph: & alii, quos citant, quorumque opinionem tamquam probabilem amplectuntur, & defendunt Salmanticenses *tract. XVI. c. II. punct. 4. n. 57.* tum ob probabilitatem sententiæ asserentis, non esse necessariam attentionem interiorem; tum quod, omissa etiam hæc.

hac probabilitate, aliud est præceptum recitandi, aliud præceptum restitutionis impositæ iis qui omittunt officium, non iis qui negligenter, & minus devote recitent. Verum, quamvis non negem probabilitatem istius sententiæ (quando veritas perspicue non se prodit, demissa voce loquimur) contraria tamen, tum ob Theologorum qui illam defendunt, gravitatem, tum obrationis vim mihi probabilior est. Hanc quippe aperte defendunt Suarez, cuius auctoritatem, utpote Theologi pii, & doctissimi, semper magno facio, *Lib. IV. c. xxx. n. 14. Sylvius 2. qu. lxxxiii. art. 13. concl. 4. Castropalaus disp. II. punct. 7. num. 7. Pellizarium tract. VII. c. VIII. sec. IV. qu. XIX. Leander disp. VII. qu. xviii. & penes ipsum Navarrus, Sotus, Vasquez, Lessius, Bonacina, Petrus Navarra, Garcia, & alii. Intelligenda tamen sententia hæc est de eo qui data operæ animo distracto recitat horas canonicas; ita ut nullum sit dubium, recitaverit ne, ansecus, animo attento. Nam qui data operæ mentem alio distrahit, & positive, atque animo deliberato persistit in hac distractione tempore recitationis, re ipsa non implet præceptum; quemadmodum non implet præceptum confessionis annuæ per confessionem sacrilegam. Ergo onere restitutionis ligatur. Quare hic eiusdem prorsus conditionis est ac ille qui non recitat. Lex enim Concilii, & Pontificis præcipit recitationem officii ecclesiasticam, qualis certe non est illa quæ vitiosa graviter est. Quare, admissa sententia quod necessaria sit attentio interior, quidquid dicant Salmanticenses, nulla opposita sententia fruitur probabilitate. Quia per actum voluntarie nullum, & culpabilem non impletur præceptum; sed perinde est ac si actus non poneretur. Solum ergo reputari probabilis potest ob probabilitatem sententiæ negantis necessitatem attentionis interioris, de qua infra.*

XVI. P. Suarez *loc. cit. n. 15.* inquit, utrum saltem ille satisfaceret qui in peccato mortali recitaret horas canonicas: & quamvis aliqui, inter quos Angelus *verb. Clericus VIII. qu. v.* negent, potissimum si peccatum sit notorium, & publicum; tamen ipse oppositum docet, & est communis, ac vera opinio. Quia certum est Beneficiarium recitanti horas canonicas animo attento, implere præceptum recitationis. Ergo restitutioni obnoxius non est.

XVII. Beneficiarius in excommunicatione recitans officium, non facit fructus suos; atque adeo restituere eos tenetur, ut probabi-

lior docet sententia, quam defendit Leander, citans Suarez, Covarruviam, Sayrum, Toletum, Garciam.

XVIII. Quæst. XI. *Beneficiarius curatus non recitans tenetur ne restituere omnes fructus beneficii, aut solum fructus correspondentes recitationi; secus alios quos ob alia ministeria percipit?* Resp. Adfirmat prima sententia, quia Concilium Lateranense subiicit restitutioni Beneficiarium habentem beneficium curatum. Deinde S. Pius V. in sua constitutione inquit: *Qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, amittat omnes beneficii, vel beneficiorum fructus qui illi, vel illis diebus respondent.* Quod confirmatur ex eo quod S. Pius V. priver Beneficiarium curatum omittentem officium omnibus fructibus quos ob assistentiam, & presentiam in choro alias lucrari deberet. Quare tam Concilium, quam Pontifex privant Beneficiarios omnibus sive unius, sive plurium beneficiorum fructibus, sive recitationi, sive aliis ministeriis respondentibus. Hanc sententiam defendunt Suarez *Lib. IV. cap. xxx. num. 6. Valentia Tom. III. disp. VI. quæst. II. punct. 10. §. 3. Garcias de Benefic. III. Part. cap. 1. num. 28. Castropalaus disp. II. punct. 7. num. 8. Azorius Lib. X. cap. XIV. quæst. v. Petrus Navarra de rest. Lib. II. cap. 11. num. 283. Filiucius tract. xxiii. cap. x. qu. v. Vasquez 2. 2. disp. XVI. num. 32. & 34. disp. clxviii. num. 34. & 35. & alii.*

XIX. Negant alii contententes, Episcopum, vel Parochum omittentes horas, solum obligari ad quintam partem fructuum pro rata restituendam; Canonicum ad quartam; Alios Capellanos, & Beneficiarios ad tertiam tantum, reliquis aliis fructuum portionibus quæ respondent aliis ministeriis, sibi retentis. Hanc defendunt apud Leandrum Sylvius 2. 2. *quæst. lxxxiii. art. 13. concl. 4. Molfesius, Homobonus, Fernandez, Henriquez, Sotus, Toletus, Medina, Ledesma, Raphael a Torre, Lessius, & plures alii.* Ad Sylvium quod attinet, refert utramque opinionem, & nihil decernit. Leander *disp. VII. qu. xxii.* resolvit utramque opinionem esse probabilem; additque quod, si spectetur decretum Concilii Lateranensis, & S. Pii V. prior est probabilior; si vero consideretur praxis eiusdem decreti, secunda est probabilior. Patres Salmanticenses *tract. XVI. c. 11. punct. 4. num. 39.* ut probabilem amplectuntur hanc secundam. Fateor me super hac quæstione animo pendere. In priorem tamen propendo, tum ob gravium Theologorum aucto-

auctoritatem, tum ob legem Concilii, & Pii V. Lex enim hæc privat Beneficiarios omnibus beneficiis, sive beneficiorum fructibus. Accedit quod nimium arbitraria esset lex, si in arbitrio cuiusque Parochi, & Beneficarii esset secerne eiusmodi fructus, eosque sibi retinere qui respondent aliis ministeriis, ceteros vero restituere. Restitutio quippe hæc, tali admissa hypothese, in nihilum evanesceret. Vix enim reperirentur fructus respondententes recitationi. Tandem iure nature quisque Beneficiorum astringitur restituere fructus quos percipit ob recitationem officii, si illud omittat. Ecclesia, ut sollicitos Beneficiarios redderet ad persolvendas horas canonicas, poenam illis constituit amittendi omnes beneficii fructus, si precum canonicarum penam solvere negligunt. Quare, omnibus æqua lance libratis, existimo probabiliorem esse priorem sententiam; atque adeo ad omnes fructus restituendos pro rata temporis, & omissionis officii teneri Beneficiarios.

XX. Si tamen Parochus, Episcopus, Curati alia beneficia habeant simplicia, tunc certum est istorum beneficiorum fructus omnes restituendos esse, si officium omittatur; quemadmodum simplices Beneficarii, quibus nullum onus annexum est præter recitationem officii, tenentur fructus omnes restituere pro rata temporis, si officium omittant.

XXI. Quæst. XII. *Quid de Beneficario qui unum officium pro alio recitat, puta officium de Sancto pro officio de feria? Resp.* Qui docent hunc non implere præceptum (quæ sententia vera est, cum opposita includatur in propositione damnata) consequenter defendunt astringi ad restitutionem. Qui contra sentiunt, præfatum Beneficiarium satisfacere præcepto restitutionis onere illum solvunt. Fortasse dici posset, quod etiam admissa prima sententia, cessaret restitutionis debitum: quia aliud est infringere mandatum recitandi officium; aliud non servare formulam præscriptam, & modum taxatum a Rubricis, quo recitari debet officium. Primum servat qui officium divinum recitat, atque adeo exemptus a restitutione videtur. Alterum violat, & peccat; sed peccatum istud non est contra præceptum recitandi, sed contra formulam recitationis. Hæc tamen disputando, non deliberando dicimus.

XXII. Quæst. XIII. *Cuinam restituere Beneficarius debet fructus, fabricæ, an pauperibus? Resp.* Decisio quæstionis lata est a Concilio Lateranensi, & a S. Pio V. his verbis. *Quicumque . . . divinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum*

*suorum fructus pro rata omissionis officii, & temporis suos non faciat; sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricam ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur.* In libertate itaque Beneficarii omittentis officium est, beneficii fabricæ, vel pauperibus fructus debitos erogare. Opinio communis.

XXIII. Si fabricæ restitutio fiat, haud est necesse ut in Ecclesiæ ornatum, vel utilitatem fructus expendantur; sed potest Beneficarius fructus eiusmodi applicare vel instaurandæ fabricæ in qua habitare Beneficarii solent, vel agris, & fundis ipsius beneficii reparandis, excolendisque. Quia constitutio non dicit *fabricæ Ecclesiæ beneficii; sed fabricæ beneficii.* Nominè autem *fabricæ beneficii* veniunt omnia quæ indicavimus. Sententia communis, quam defendunt Suarez *Lib. IV. cap. xxx. n. 19.* Vasquez, Bonacina, Molfesius, Trullenchus, Palaus, Pellizarius, & alii, quos citat, & sequitur Leander *disp. VII. q. xxvii.*

XXIV. Quæst. XIV. *Fieri ne licite potest hæc restitutio alteri Ecclesiæ, vel in pauperes alterius loci fructus erogari? Resp.* Quod alteri Ecclesiæ, seu fabricæ alterius beneficii nequeant fructus isti restitui, patet ex lege lata a Concilio, & Pio V. præcipientibus ut restitutio fiat fabricæ beneficii. Quare nequeunt aliena templa, vel fabricæ ex eiusmodi fructibus restaurari, nisi in casu quo fabricæ beneficii nulla instaurazione egerent, occurrerent vero aliena templa labentia, quæ loco pauperum reputata elemosynis indigerent. In hac positione possent fructus restituendi erogari illis Ecclesiis veluti pauperibus. Ad pauperes quod attinet, lex non restringit ut restitutio fiat pauperibus loci in quo est beneficium; sed absolute, & indefinite loquitur. Quapropter Leander, Bonacina, Trullenchus, Palaus docent, hunc Beneficiarium posse cuiusque loci pauperibus fructus restituendos distribuere: quod tamen in rigore negari nequeat, attamen ratio naturalis postulat ut pauperes loci extraneis præferantur. Et hæc videtur esse mens fidelium instituentium beneficia. Constituunt siquidem Beneficiarios veluti patres, & tutores pauperum suorum.

XXV. Quæst. XV. *Si Beneficarius qui restituere debet, pauper revera sit, licite ne fructus illos restituendos applicare sibi potest? Resp.* Adfirmat communis opinio: quia cum vi legis debeat vel Ecclesiæ, vel pauperibus erogare eiusmodi fructus, quando ipse vere pauper sit, non est unde colligi possit quod nequeat sibi ut pauperi eosdem applicare. Quia tamen facillimum est in propria causa decipi, & pau-

peritatem ibi fingere ubi non est, seque pauperem existimare, eo quod non abundet; idcirco, non modo consultius, sed fere necessarium existimo quod in hac applicatione, nisi sit evidentissima paupertas, Beneficarius uti debeat vel consilio Confessarii, vel prudentis, ac docti viri iudicio. Præterea eam dumtaxat fructuum quantitatem applicare sibi licite valet quæ satis sit ad præsentaneam paupertatem levandam; seque alterum pauperem debet reputare. Et sicuti non uni soli pauperi fructus, si sint uberes & pingues, distribuere, sed pluribus; ita neque sibi omnes retinere potest, sed tantum eos qui sublevandæ egestati qua premitur, sufficiant. Sententia communior, & probabilior. Quare non admitto quod scribit Leander *disp. VII. q. xxx.* ex Navarro, totam fructuum quantitatem posse sibi Beneficiarium retinere: quoniam tota fructuum quantitas necessaria haud est suæ levandæ paupertati. Nulla ergo ratione valet eam retinere. Nec minorem laxitatem prodit quod subdit Leander ex Bonacina, Laymano, & aliis, posse nempe extendere hanc fructuum applicationem ad forores, fratres, & matrem, non solum si sint mendici, sed etiam si necessarii ad decentiam personæ, & status careant. Aliqui contedunt falso citari a Leandro Laymanum, penes quos fides sit. Admissa enim hac doctrina, vix dabitur casus quo pauperes non domestici quidquam horum fructuum, aut Ecclesiæ fabricæ percipiant. Quin, si Beneficarii quotidie negligant preces canonicas, omnesque fructus restituere debeant; tot non habebunt fructus, quot sufficiant ad decentiam matris, fororum, fratrumque sustinendam. Siquidem quo nobiliores sunt Beneficarii, uberioresque eorum redditus; eo splendidior, fulgentiorque est domesticorum, & consanguineorum decentia, quæ pluribus, & ditioribus redditibus indiget. Miramur, dum passim videmus, Beneficiarios fructibus beneficiorum suos ditare consanguineos. Verum tam sacrilega corruptelæ in causa non modica sunt laxæ Casuistarum opiniunculæ, quibus scatent eorundem libri, a quibus legendis ut abtineant, ecclesiasticos Beneficarios admotheo. Plus præstare ego nequeo.

XXVI. Eiusmodi fructus applicari quoque posse suffragandis animabus purgatorii, communiter docent Theologi. Quando testatores, vel Pontifices volunt sive indulgentias, sive elemosynas, sive alia pia opera extendere ad mortuorum suffragia, exprimer id solent; ut constat tum ex Bullis, tum ex testamentis, in quibus indulgentiæ, & elemosynæ vivorum distinctæ sunt a suffragiis defunctorum. Cum

itaque neque Concilium, neque Pontifex Pius V. meminere animarum degentium in purgatorio, non apparet evidens ratio cur Beneficarius ex arbitrio valeat defunctis hos fructus applicare. Adverte recentiores istos asserere, posse Beneficarium recitare rosaria, & alias preces pro defunctis, ut satisfaciatur restitutioni fructuum, quam Concilium, & Pontifex præcipiunt: tum collige, laxa ne dicenda sit eorum doctrina. Hac mea dubitatione tamen testor me derogare nolle defunctorum suffragiis. Id tantum innuere volo, ut Beneficarii faciles non sint in istorum fructuum distributione. Si pietatis zelo sincero ardent erga sanctas illas animas, fructus restituendos pauperibus imperiant ea intentione, & conditione, ut ipsi pauperes preces recitent, Missas audiant pro suffragandis illis animabus. Hac via & legem securius servabunt, & pauperibus simul, ac defunctorum animabus succurrunt. Si hoc reculent, & velint Beneficarii soli has preces pro animabus Deo fundere; id argumento sane mihi est quod non pietas in animas, sed avara pietas in semetipsos causa sit talis distributionis.

XXVII. Aliam quæstionem instituunt recentiores, num videlicet possit Beneficarius retinere fructus sibi a pauperibus donatos, antequam illis tales fructus contulerit. Promisit Beneficarius fructus restituendos huic, aut illi pauperi. Antequam vero pauperes fructus accipiant, donationem eorum faciunt Beneficario. Si donatio fiat ante traditionem fructuum, non audent asserere licitam esse retentionem; si vero fiat post traditionem fructuum, tunc validam asserunt. Hæc est una ex illis quæstionibus quas excogitarunt Probabilistæ, & quæ antiquis Patribus fuerunt incognitæ. Si pauperes revera sunt tales, quommodo præsumi prudenter potest, velle eos libere donare stipem illam qua actu indigent ad propriam miseriam sublevandam? Quare quæstio isthæc, tamquam inutilis, reiicienda.

XXVIII. Quæst. XVI. *Fructuum restitutio suppleri ne potest per elemosynas quascumque factas a Beneficario, antequam omitteret preces canonicas? Resp.* Adfirmat Leander, & suam opinionem ut probabilem defendit *disp. VII. quæst. xxxiii.* Pro eadem citat P. Suarez *Lib. IV. cap. xxx. num. 21.* Corra *quæst. v. de Hor. §. 4.* ubi ait: *Nimis laxum (res mira videtur Dianæ) Pellizarium Tom. I. tract. v. cap. VIII. sec. 4. quæst. xxiv. n. 229.* Sanchez *Tom. II. consil. cap. III. dub. 121.* Pasqualigum *decif. 455.* Layman *L. III. tract. v. sec. v. c. XII.* Hermanum Busembau *in Sum. cap. II. dub. 2. art. 2.* & alios. Potissimum fun-

dammentum cui nicitur Leander, est auctoritas P. Suarez, cuius hæc verba refert. *Denique elemosynæ omnes quas ex fructibus beneficii fecit toto illo tempore in quo non recitavit, ubicumque illas fecerit, poterit, ut iam restitutas computare: quia numquam illos fructus fecit suos, & eos tradidit quibus tradendi erant. Et ita non manet obligatus ratione rei acceptæ, quia illam apud se non retinet; nec ratione acceptionis, quia iam executioni mandavit penam, & restitutionem per legem impositam. Quia virum hunc vere doctum ubique magni facio, & nisi valida ratio cogat, ab eodem non dissentio, fidem adhibere nolui Leandro. Textum Auctoris in eius proprio libro legi, sperans me quidquam reperire quod doctrinæ laxitatem temperaret. Sed nec verbum hac de re aliud habet citato Lib. IV. cap. xxx. num. 21. Porro sententia hæc contineri videtur in sequenti propositione damnata ab Alexandro VII. quæ est in ordine 33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas quas beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. Id quod in defensionem doctrinæ P. Suarez dici potest, est, quod ipse loquitur de elemosynis erogatis tempore quo omissum officium est. Propositio autem damnata omnes elemosynas ex fructibus beneficii erogatas comprehendit, sive ante, sive post omissionem officii factas. Et hac via indemnis afferri potest doctrina P. Suarez. Et re ipsa P. Dominicus Viva in suis commentariis in hanc propositionem n. 9. contendit vi probabilitatis licitum esse computare loco restitutionis elemosynas factas tempore omissi officii, tamen de hoc nil cogitet Beneficiarius. Hæc sunt verba P. Dominici Viva. *Propterea ex ea probabili opinione solum sequitur quod huic obligationi satisfieri possit per elemosynas factas post horarum omissionem, etiamsi non venisset in mentem hoc debitum. Hanc doctrinam non assero expresse contineri in propositione damnata, quæ licet non exprimat elemosynas erogatas ante omissionem recitationis, id tamen significare videtur: quamquam non adeo clare, ut non possit intelligi hoc in sensu, nimirum antequam deliberaret Beneficiarius restituere, seu ante restitutionem. Utcumque tamen res se se habeat, hæc P. Viva doctrina minime mihi probatur. Quoniam Beneficiarius elargiens elemosynas, nullo habito respectu ad restitutionis suæ debitum, liberaliter donat. Liberali autem donatione non satisficit oneri quod ex iustitia debetur. Quid quod simi-**

libus elemosynis Beneficiarius forsitan intendit satisfacere præcepto erogandi superflua? Nonne Beneficarii, ut ceteri Christiani, elemosynarum præcepto subduntur?

XXIX. Verum, ut clarius pateat quæ sit mens P. Dominici Viva; aliorumque suorum recentiorum, quos laudat, nonnulla alia quæ ibidem P. Viva scribit, dispicienda sunt. Eo siquidem istius Theologi doctrina spectat, ut de medio prorsus auferat legem Concilii Lateranensis, & S. Pii V. & ut ab onere restitutionis satis permolestæ Beneficarios solita sua recenti benignitate solvat. Et ne gratis ei invidiam conflare videamur, illius verba exscribenda sunt. Sic enim scribit ibidem num. 10. *Ad levandum onus hoc maxime molestum restitutionis prima via est quam docet Sanchez cum Navar. Arag. & aliis communiter, quod scilicet, si Beneficiarius sit pauper, sibi applicet elemosynas faciendas pauperibus; cum non sit peioris conditionis ipse quam alii, etiamsi olim deliquerit: etenim etiam pauperibus existentibus in peccato mortali potest fieri huiusmodi elemosyna. Secunda est quam docet Mendo in Epitome V. Bullæ compensationis, adire Episcopum ubi Bulla Cruciatæ non viget: is enim potest in sua diocesi, non secus ac Pontifex in toto orbe, componere bona omnia pauperibus debita, acceptando partem ex iis quæ debentur, ut illam in usus necessarios utilitati publicæ convertat, & remittendo debitori partem aliam, prout in Domino iudicaverit. Spectat quippe ad pastorem animarum huiusmodi potestatem, ne fiant æternæ damnationis obnoxii qui DIFFICILE integra debita incerta restituant. Bona enim incerta debentur Ecclesiæ, vel pauperibus; & idcirco plenam habet pastor spiritualis illorum administrationem: & sicut Princeps bona incerta quæ Reipublicæ debentur, potest in utilitatem publicam convertere; ita Pontifex, & Episcopus de iis quæ Ecclesiæ, aut pauperibus debentur, disponere potest, prout ad salutem animarum, & ad bonum christiane Reipublicæ magis expediens iudicaverit.*

XXX. Eo itaque pertinet P. Viva recentia doctrina, non solum ut onus restitutionis blandum, & suave faciat, sed ut Beneficarios ab hoc onere maxime molesto solvat. *Ad levandum onus hoc maxime molestum. Excogitari ne blandior Theologia valet illa quæ leges de medio tollit? Sed onus hoc maxime molestum imponit Ecclesiæ in Concilio Lateranensi congregata, & media constitutione sanctissimi Pontificis Pii V. Nihil refert. Difficile executioni Beneficarii illud man-*

mandant; & ne æternæ damnationis poenæ obnoxii evadant, aperiendæ viæ sunt quibus hoc onus maxime molestum auferatur. Has vias lustremus. Prima est. Si Beneficiarius sit pauper, sibi applicet redditus restituendos. Dictum est supra ex sapiente P. Suarez, quod difficile sit iudicium in causa propria, atque adeo non posse Beneficiarium ex arbitrio definire hanc suam pauperitatem; sed illum debere, nisi explorata, compertaque paupertas sit, quod in Beneficariis raro contingit, uti vel consilio Confessarii, aut viri docti iudicio. Quapropter cum raro sit Beneficiorum tanta paupertas; ut loco pauperum stipem quantantium haberi possint; idcirco via hæc inepta est ad levandum onus hoc restitutionis maxime molestum. Altera via P. Viva est, ut Beneficiarius adeat Episcopum, qui utpote pastor animarum potest in sua diocesi, non secus ac Pontifex in toto orbe, componere bona omnia pauperibus debita acceptando partem ex iis quæ debentur, ut illam in usus necessarios utilitati publicæ convertat, & REMITTENDO DEBITORI partem aliam, prout in Domino iudicaverit. Temperare mihi haud possum quin admoneam sæpe lectorem ut summa semper attentione legat Auctorem hunc, quem ego colo, & veneror, cuiusque in scribendo intentionem piam, sanctamque fuisse pro certo habeo: illius tantum opiniones, quæ a veritate abluere mihi videntur, confuto. Et ut ingenue quod sentio prodam, ex eiusdem distinctiunculis, & quibusdam verborum fucis, damnatæ propositiones eludi frequenter salvo, meliori iudicio, & debito Auctori obsequio, mihi videntur. Sed secundæ eius viæ insistamus. Et primum adducta doctrina extra orbitam est, perperamque præsentis quæstioni aptatur. Quod episcopus in sua diocesi valeat in rebus dubiis, & super bonis incertis pauperibus debitis id decidere quod expediens in Domino iudicaverit; nemo est qui hanc potestatem in discrimen adducat. Sed in præsentiarum sermo est de bonis quæ Beneficiarius ob neglectas canonicas preces restituere tenetur. Porro quod restituere debeat aut fabricæ beneficii, aut pauperibus, Concilium Lateranense, & S. Pius V. repetitis legibus sanciverit. Quæ ergo ratione potest Episcopus partem horum fructuum debitori remittere? Respondet P. Viva: *Ut levetur onus hoc maxime molestum restitutionis. Sed onus quod Ecclesiæ imposuit in Concilio generali, levare Episcopus nequit. Nemo itaque non videt, doctrinam P. Viva fucum facere*

lectoribus incantis. Quandoquidem primo constituit auferendum esse onus molestæ restitutionis ab Ecclesiâ impositæ: deinde affert doctrinam, quæ, licet vera sit respectu bonorum super quibus nihil Ecclesiæ definit, falsa tamen est, & prorsus disparata, si sermo sit de bonis Beneficiorum ob omissum officium restituendis, quæ Ecclesiæ manifestissima lege pauperibus, aut beneficii fabricæ addicta sunt. Fufius fortassis quam par erat, hæc dicta sunt; sed nimis benigna subtilitas P. Viva nos frequenter protrahere sermonem cogit.

XXXI. Quæst. XVII. *Pensionarii tenentur ne fructus pensionis restituere pro rata, si officium recitare omittant?* Resp. Adfirmant communiter Theologi, quia id statutum est in constitutione Pii V. Quin nulla est controversia quod Pensionarii debeant integros perceptos fructus respondententes omissioni restituere: eo quod nullum isti aliud annexum onus habent præter recitationem officii, cui integri fructus respondent. Restitutio autem aut fabricæ beneficii ex quo pensio accipitur, aut pauperibus facienda est.

XXXII. Quæst. XVIII. *Pensionarius iure ne potitur exigendi a Beneficiario pensionem; si horas canonicas non persolvat?* Potest, & debet pensionem exigere, non ut sibi retineat, sed ut creditoribus, qui sunt pauperes, vel Beneficii fabricæ, solvat. Nec Beneficiarius negare non recitanti pensionario absolute pensionem valet: quoniam ipse est constitutus debitor; neque personam iudicis in hac causa assumere valet. Sunt tamen qui probabiliter secus sentiunt. At probabilius mihi videtur quod Beneficiarius teneatur solvere. Contrariam opinionem admittentem, casu quo Beneficiario constaret, suum Pensionarium nec recitare, nec restituere fructus; sed illos prodigere. Tunc puto, posse Beneficiarium, & forte debere causam pauperum, & beneficii agere, aut cogendo suum Pensionarium ad fructuum restitutionem, aut per se fructus fabricæ, vel pauperibus applicando, aut fructus veluti in deposito retinere, donec Pensionarius non recitans per Episcopum cogatur oneri suo satisfacere. Sed hæc raro contingunt: quia non adeo facile constare potest Pensionarium, nullo interveniente legitimo impedimento, officium omittere. Quare securius erit solvere absolute loquendo, & demptis interdum circumstantiis.

## CAPUT IX.

De conditionibus pluribus quæ ad divini officii recitationem requiruntur.

**O**CTO circiter enumerare condiciones Theologi solent, ut iuxta caput Dolentes de celeb. Miss. Religiosi pro dignitate precum canonicarum vectigal persolvant. I. est ut attente, & devote: II. cum debita intentione: III. cum debita pronuntiatione: IV. integre, sine verborum omissione, aut mutilatione: V. sine interruptione: VI. sine ordinis inversione: VII. tempore congruo: VIII. ut loco decenti recitent. Hæc omnia in distinctos tribuam paragraphos, ut sigillatim omnia perspicue, & breviter examini subiiciantur.

## S. I.

De attentione, & devotione qua preces canonicæ persolvende sunt, ut præceptum impleatur.

**P**erdifficilem, implexamque quæstionem dispiciendam aggredior, cui pro dignitate explanandæ me minus aptum cognosco, fateorque. Frequentes quippe distractiones patior in precibus quas sive ex præcepto, sive ex libertate Deo fundo. Quare magnopere vereor ne controversiam hanc disputando, causam propriam agam, si quidquam laxius proferam; & ut mihi blandiar, me, & alios in laqueum coniciam perditionis, quod ablit. At contra spero fore ut propensio, qua me in benigniorem, seu laxiorem istius controversiæ partem ferri sentio, in semita continere me debeat veritatis: inimicus quippe insidias struens, dum deprehensus est, vigilem efficit, & experrectum illum quem aggreditur. Et ut in antecessum quædam præmittam ad meticulous plus iusto, pavidosque erigendos, in ea ego sum firma constitutus spe quod nemo periturus sit ob peccatum quod præceptum devote recitandi officium non impleverit; immo quod nemo peccata mortalia hoc ex capite solo perpetrer. Plurimi peccant, quod illud non recitent: plurimi, quod animo deliberate distracto illud solvant. Ceterum adduci numquam potero ut credam letaliter peccaturos illorum aliquos qui, quatenus humana infirmitas permittit, bona intentione, bonaque fide suum vectigal Deo solvant; quique nihil exterius agunt quod recitationem devotam impedi-

valeat; tamen ex alia parte distractiones frequentes, & prolixas patiantur. Quod non idcirco præciacio, ut foveam ignaviam, & negligentiam; sed ut sub initium scrupulos omnes amoveam.

II. Paulus Comitulus perdoctus, & eruditus Theologus in suis Responsis moralibus Lib. I. q. lxxiii. scribit, controversiam hanc omnium quæstionum quæ in iure sunt, esse præcipuam, quam pluries, & copiosissime se pertractasse subdit in Libro de officio Parochorum, quem Librum numquam videre contigit. Ut clariore in lumine collocet quæstionis statum, illam in plures partitur hypotheses. Primo refert caput Dolentes de celeb. Miss. ubi præcipitur divinum officium studiose, & devote recitandum esse. Ostiensis primus omnium interpretatus est canonem hunc non præcipere, sed suadere; quem secutus est D. Antoninus III. Part. tit. xiiii. c. iv. §. 7. Referens enim verba, *Quantum DEUS dedit, quæ sunt in Decretali, hæc adiicit. Per quæ verba apposuit consilium fragilitati humanæ, quasi dicat: Præcipimus ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas: intentionem autem, & devotionem in præcepto non ponimus; sed gratia Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum: & hunc intellectum teneas, quia benigniorem: & quia non debet Ecclesia alicui laqueum iniicere: 27. q. 1. de viduis 2. nec homines debet Ecclesia oneribus importabilibus alligare: 26. q. vii. cap. Alligant.*

III. Hoc D. Antonini textu relato, P. Comitulus scribit. Si de intentione, & devotione hi loquerentur plane interiore, non esset usquequaque reprehendenda opinio, & nimirum de hac videtur locutus D. Antoninus. Nam ad suam expositionem persuadendam sumit Umberti rationem, quem citat: quia humano præcepto interiores actus minime subiiciantur. Illud tamen, inquit Comitulus, in horum interpretatione vituperandum est, quod nolunt præceptum agnoscere in cap. Dolentes de modo recitandi divinum officium devote, & attente, sed tantum de recitando; cum de recitando iam extaret, & perversus modus recitandi impulerit Romanum Pontificem ad eam legem recitandi præscribendam: id quod a Caietano, & ab aliis sapienter est animadversum.

IV. Secundo loco attentionem a devotione Comitulus distinguit, tamquam duas res omnino diversas, multumque invicem distantes. Siquidem devotio virtus est, secus attentio. Hæc in animi intelligentia, illa in voluntate

sita est. Attentio facit ut animus iis præsens sit quæ aut dicit, aut facit; devotio nos Dei servitio, & obsequio addicit. Si plura hac de re cupis, consule Dominicum Sotum Lib. X. de iust. q. v. art. 5.

V. In tertia hypothesi duplicem attentionem, duplicemque devotionem Comitulus distinguit. Altera interior est, quæ obtutum fugit oculorum, & ceterorum sensuum notitiam, quæ in domicilio dumtaxat animi se continet intimo, Deo tantum, & ei in quo inest, cognita. Exterior altera, quæ corpore aliquid agens, & moliens extra se prodit, quæ incurrit in hominum sensum, atque iudicium. Quare vitium, seu malum, quod tam attentioni, tum devotioni opponitur, duplex est: unum in animo latens, & inclusum, omnino ab aliorum seivectum intelligentia; alterum corporeo aliquo actu foras erumpens, de quo licet alteri statuere, & iudicare. Atque hæc tertia hypothesi est totius controversiæ fundamentum.

VI. Quartæ hypothesi hæc est doctrina. Quoties ex Dei, naturæque lege suscipienda oratio est, aut ad agendas Deo de ingenti aliquo beneficio gratias, aut ad magnam aliquam sive privatam, sive publicam calamitatem, perniciemque avertendam, interior animi attentio, ac religio est plane necessaria: eam enim requirit Deus, ac præcipit, qui a nobis cultum magis exigit interiorem, quamquam externum etiam præcipiat: siquidem cum animus, & corpus nobis fuerit imparitum, vult sibi a nobis utraque parte famulatum præstari.

VII. Quinta hypothesi. Ecclesia, inquit P. Comitulus, cuius non divina, sed humana est potestas, & quæ de humani cordis arcanis, nostræque mentis abstrusis motibus in foro exteriori non habet cognitionem, neque iudicium, neque imperium, neque præmium, neque supplicium; divinum officium aut canentibus, aut recitantibus attentionem, devotionemque interiorem, quæ in eius iudicium deduci non possunt, imponere nequamquam potuit; sed eas dumtaxat exteriorum sensuum functiones, corporisque opera prohibere quæ orantis animum ab attentione abducunt necessario, ut legere, scribere, confabulari, pecuniam numerare, aliorum sermonem auribus excipere, & huiusmodi. Huius sententiæ inventor, & auctor est Durandus in IV. dist. xv. q. xii. & Paludanus in IV. dist. xv. q. v. art. 2. concl. 4. quam multi alii sequuntur, ut D. Antoninus in III. Part. tit. xiiii. c. iv. §. 7. Astensis in L. VI. art. 6. q. iii. Conc. Theol. Tom. II.

Turrecremata in Reg. S. Benedicti c. xix. tract. lxxvii. Sylvester verbo Hora q. xi. Angelus verb. Hora canonica n. 28. ut taceam de Canonistis. Ratio istorum hæc est: quia actus interior animi nostri, qui exteriorem actum deferere potest, ab Ecclesia imperari non valet.

VIII. Hoc fundamentum ausi sunt nonnulli pervertere, ut Hadrianus, qui in quodlibet. viii. art. 1. ad hunc modum scribit. Ecclesia non solum potest, sed & de facto præcipit attentionem, ac devotionem: & potest non solum exteriores actus, sed etiam occultissimos interiores ex legitima causa præcipere. Iterat hoc suum dogma in IV. q. ii. de Confess. §. Alii probant. Stat ab Hadriano Maior in IV. dist. xii. q. vii. & Medina de orat. q. xv. qui seipsum destruit aliter opinantem, ut de se is testatur in ea quæstione. „Cum his a nobis, tum in disput. de „excommunicatione, tum in additione de „ris canonicis, velis, equisque, ut dicitur, „decertatum est, nullumque est eorum argumentum quod non sit a nobis allatum, „& merito confutatum: nostræque sententiæ duces magnos Theologos nominavimus, qui occultarum notionum, appetitionumque animi nostri iudicium ab Ecclesia „omniique humana potestate foverunt.“

IX. In quibus est D. Thomas in quodlibet. iv. art. 12. & planius i. 2. q. xci. art. 4. Paludanus falso citatus ab Hadriano in IV. dist. xvii. q. ii. art. 2. ubi apertissime confitetur quod nos affirmamus. Durandus in IV. dist. xvii. q. viii. lit. H. & dist. xv. q. xii. Turrecremata in c. Cantores dist. xcii. commentarii sui q. iii. Gerfon tract. xxiv. regularum moralium litt. E, & tract. lxii. de vita spiritali animæ lect. iv. corol. 1. Gabriel in canonem Missæ lect. lxii. q. vii. prop. 1. D. Antoninus III. Part. tit. xiiii. c. iv. §. 7. Sylvester in verb. Excom. sect. xxxvii. n. 3. Angelus in verbo Hæreticus n. 2. Almainus in Lib. de auctoritate Ecclesiæ. Navanus in c. Cogitationis dist. 1. de pœn. & explanans verba Gratiani in principio dist. v. de pœn. n. 24. his est verbis locutus. „Nec occurrit Theologus aliquis peritus qui „cum sua facultate theologicam coniunxerit „cognitionem, qui ab hac parte non stet, „præter Hadrianum in illa quæst. ii. auctoritate Paludani, non satis expensum, motum.“

X. Hypothesis postrema. Quamvis satisfieri præcepto possit ecclesiastico, si distractio vitetur exterior, nihilominus in culpa semper

est is qui distractionem animi interiorem non repellit.

XI. Hactenus fere ad verbum P. Paulus Comitulus, cuius viri saniolem doctrinam, & sapientiam cum maximi faciam, expediens iudicavi illius super hac perdifficili quaestione mentem aperire. Antequam tamen ultra provehor, nonnulla animadvertenda sunt, ut quæ sit D. Antonini sententia, clarius appareat. In textu laudato a Comitolo ex III. Part. tit. XIII. c. IV. §. 7. conceptis verbis sanctus Archipræsul docet, Ecclesiam non præcipere attentionem animi interiorem. Alibi tamen, nempe II. Part. tit. IV. c. VII. §. 3. hæc scribit. *Clerici quoque, & Religiosi, quum dicunt officium divinum, assumunt testamentum Dei per os suum, quia psalmi sunt de ipso testamento. Sed si voluntarie mente distrahuntur, hypocrisis est: quia ex ipso actu ostendunt se divinis vacare; cum tamen mentem habeant ad inutilia, & vana. Unde Dominus Iesus Matth. v. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: quod utique grave peccatum est, & magna Dei irreverentia. Similia habet III. Part. tit. XIII. c. IV. §. 8. ubi post relatam Paludani, & D. Thomæ doctrinam hæc subdit. Non tamen requiritur quod attentio committetur actualiter totam orationem: quia nec hoc requiritur in quibuscumque operibus bonis; nec hoc est possibile propter evagationem mentis humanæ. Requiritur tamen quod orans scienter non distrahat mentem ab oratione: hoc enim non potest esse sine culpa mortali, vel veniali. Evagatio vero quæ est præter intentionem, & propter occupationem præcedentem licitam, peccatum non est; secus, si propter illicitam. Si hi textus conferantur cum altero, quem hoc eodem loco §. 7. habet, quemque allegat Comitulus, contrarius fortasse sibi videtur S. Antistes. Verum cessat omnis contradictio, si advertatur in adducto textu S. Antoninum cum Ostiensi, & aliis explicare præceptum impositum ab Ecclesia cap. *Dolentes*. Quo in textu negat ille contineri præceptum spectans actum internum, quod forte non abluat a vero; quin mihi probabilius videtur contineri quidem ibi mandatum præcipiens studiosam, & devotam recitationem exterioriorem, secus attentionem animi interiorem: quod Comitulus prius declaravit. In textibus vero a nobis transcriptis sermonem habet D. Antoninus de ea attentione quæ non ab Ecclesia, sed a Deo ipso præcipitur, præcipiendo orationem. Attentio quippe ani-*

ma est orationis: & ideo hanc comitari debere orationem asserit, quantum fert humana infirmitas. Hæc dicta sint ad D. Antonini sententiam illustrandam. Nunc ad rem ipsam accedendum.

XII. Ut vero quæ nobis in hac implexa quaestione verosimiliora videntur, perspicue declarem, quæ certa existimamus, exponenda sunt. Et primum omnium dicimus, Ecclesiam cap. *Dolentes* quod habetur Lib. III. Decret. tit. XI. c. IX. non præcipere attentionem animi interiorem. Idque evincimus, textum illum integrum lectorum oculis subiuciendo. Est autem huiusmodi. *Dolentes referimus, quod non solum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comestationes superfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere mediætem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurvendo undique continua syn-copa matutinum. Sunt & alii qui Missarum solemniam vix celebrant quater in anno & (quod deterius est) interesse contemnunt: & si quando, dum hæc celebrantur, intersint, chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum; dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote. Quid causa fuit cur Pontifex hunc ediderit canonem? Confabulationes, & colloquia cum laicis, quæ intentas præbere aures impediebant ad canonicas preces. Quid prohibet Pontifex? Hæc, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus. Quibus externis malis ut remedium apponat, in virtute obedientiæ præcipit ut Clerici, seu Sacerdotes officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis DEUS dederit, studiose celebrent, & devote. Nullum hic verbum de interiore animi attentione. Studiosam, devotamque exterioriorem attentionem oppositam colloquiis, & confabulationibus Pontifex iubet. Quare alienam omnino a laudato canone censemus interpretationem quam ex Ostiensi refert S. Antoninus, quamque supra descripsimus, videlicet caput illud non præcipere, sed consulere: quippe districtè præcipit in virtute obedientiæ ut divinum officium studiose ac devote recitetur. Si eiusmodi loquendi formulæ vim non habent præcipiendi, nullum ullibi reperire præceptum erit. Missa ergo O-*

stien-

stien-sis, aliorumque qui Ostiensi adhæserunt, interpretationem, inquirendum remanet, quam attentionem allatum caput præcipiat: quamvis enim ex iis quæ dicta sunt, constet solam exterioriorem attentionem ibi iuberi; nihilo secius Theologorum opposita placita audienda sunt, & penitus dispicienda.

XIII. Prima sententia negat necessitatem interioris attentionis. Præter Auctores, quos supra ex Comitolo recensuimus, plures alii eandem defendunt. Antonius a Spiritu S. in *direct. Reg. tract. III. disput. VI. n. 1629*. Machadus *tract. II. docum. 5*. Martinus a S. Ioseph Lib. II. *tract. x. n. 6*. Diana *coord. Tom. III. resol. 47. cap. IV. Thomas Tamburinus Lib. II. de met. celebr. Miss. c. 111*. Coninkus de *Sacr. III. P. q. lxxxiii. art. 6*. Lugo Cardinalis de *Euchar. dis. xxii. sec. 1. n. 25*. Mendo *disp. VII. q. 111. Gobatus tract. v. n. 821*. & alii multi, quos citant Diana, & P. Claudius la Croix Lib. IV. n. 3341.

XIV. Altera sententia adfirmat, pro qua sequentes Auctores allegantur vel ab ipso Diana. Fernandez in *exam. theol. P. III. cap. XIII. §. 6. n. 2*. Villalobos in *Sum. Tom. I. tract. xxiv. dub. 15*. Sotus Lib. X. *quest. v. art. 5. concl. 6*. Caietanus in 2. 2. *quest. lxxxiii. art. 13*. Navarrus de *orat. cap. XIII. n. 18*. Vasquez 2. 2. *Tom. II. disp. clx. n. 30*. Medina in *sum. Lib. I. c. IV. §. 11*. Navarra de *rest. cap. ccl. Lopez Tom. II. c. ciii. Emanuei Sa verb. Hor. Can. n. 19*. Pesantius in 2. 2. *quest. lxxii. art. 2. dub. 3*. Zerola in *praxi Episc. verb. Horæ, Beia in resp. casuum Conscien. P. II. cas. 33*. Comitulus in *Resol. mor. quest. lxxiii*. Malderus in 2. 2. *tract. x. cap. 11. dub. 2*. Moneta de *distrib. P. II. quest. 11*. Macignus de *hor. cap. lxxxvi*. Molfesius *Tom. I. tr. IV. cap. 11*. Sylvius in 2. 2. *quest. lxxxiii. art. 13. concl. 4. & 5*. Homobonus de *Exam. Ecclesi. P. I. tract. IV. cap. v. quest. xl*. Viguierus *Inst. Moral. cap. v. §. 5*. Gavantus de *rub. Miss. Tom. II. cap. 145*. Vegha *T. II. c. cxxviii*. Rodriguey *Tom. I. cap. XIX. Conradus in resp. cas. conf. P. I. quest. ccliv*. Valentia *Tom. III. disp. VI. quest. 11. punct. 10*. Azorius *P. I. Lib. X. c. xvi. quest. vi*. Ledesma *Tom. II. tract. IX. cap. IV*. Squillante de *oblig. ser. P. I. dub. 2*. Suarez *Lib. IV. c. xxvi. n. 3*. Aragon. in 2. 2. *q. lxxxiii. art. 13*. Sayrus de *ensur. Lib. III. cap. IV. Salas de leg. dis. IX. sec. 9*. Lorca *p. II. Tom. II. de leg. disp. XVI*. Raphael a Torre *Tom. II. de hor. can. cont. 9*. Ragucius de *offic. can. q. XIX*. & alii penes citatos:

quibus addi possunt ex recentioribus Franciscus Genet *Tom. II. tract. I. cap. x. quest. x*. Van-Roy *tract. IV. cap. 11*. Natalis ab Alexandro *Lib. II. art. 2. regul. 8*. Henricus a S. Ignatio *Lib. X. cap. xxiv*. Gabriel Antoine *tract. de Virtut. Relig. quest. v*. Martinus VVigandti *tract. x. exam. 5. quest. VII. num. 82*. pluresque alii, quos brevitate gratia prætereo.

XV. PP. Salmanticenses *tract. XVI. cap. 111. punct. v. n. 28*. utraque relata sententia, omnes Auctores reapse idem sentire contendunt, solisque verbis discrepare; quod ut evincant, duplicem cum D. Thoma in *IV. dist. xv. quest. IV. art. 5*. distinguunt attentionem actualem: alteram formalem, qua quis expresso animo attendit ad id quod recitat; virtua-lem alteram in eo sitam quod orans sub orationis initium deliberat velle divinas laudes cum debita attentione, prout decet, Deo fundere: quæ attentio tamdiu perseverat, quamdiu non retractatur per actum directe, & expresse contrarium, aut per actus exteriores qui cum attentione componi nequeunt, ut sunt scribere, manibus operari, & id genus similes.

XVI. Distingunt porro triplicem attentionem actualem, sive formalis ea sit, sive virtualis. Prima, quæ infima habetur, est ea qua quis attendit ad verba. Secunda perfectior, quæ verborum sensum meditatatur. Tertia, quæ Deum ipsum spectat, eidemque hominis mentem coniungit. Hæc est omnium perfectissima. Quamlibet ex his tribus attentionibus satis esse ad implendum præceptum orationis, sive voluntariæ, sive debitæ, certum est penes omnes Theologos, nemine dissentiente. Primam attentionem in ordinata, & distincta verborum prolatione sitam, quæ est omnium attentionum infima, satis esse patet exemplo Monialium, quæ verborum sensum haud percipiunt. Ex alia vero parte tertiam omnium perfectissimam attentionem non esse necessariam, fatentur Theologi omnes.

XVII. Explicant deinceps clarius attentionem ad verba, & in quo sita sit, patefaciunt ex D. Thoma, qui 1. 2. *q. lxxxiii. art. 3*. hæc habet. *Triplex est attentio qua orationi vocali potest adhiberi. Una quidem qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret*. Istius ergo attentionis natura in eo est sita quod quis, dum preces recitat, ita vigilet, ut verba debito ordine, distinctaque prolatione enuntiet, curetque ne in hoc ordine, seu pronuntiatione erret. Hæc autem attentio, seu propositum attendendi, & perseverandi in hac at-

tionione satis est ad servandum præceptum recitandi canonicas preces. Quod quisque præstat, usquedum voluntate expresse contraria non retractat illam, vel rem exterius peragit quæ natura sua cum tali attentione pugnet.

XVIII. Quibus positis, sententiam propriam, qua Theologos utriusque opinionis componere satagunt, exponunt. Hic porro illorum doctrinæ cardo, quem figunt, quoque voluitur illorum opinio. Distractio mentis etiam voluntaria non opponitur præfata attentioni, nec illam retractat. Sola quippe voluntas qua quis deliberat expresse se nolle attendere ad verba, seu ad divinum officium, seu actus exterior sua natura pugnant cum præfata attentione eandem retractat; secus voluntaria distractio, qua quis vult ad alia negotia animum intendere. Neque enim humana mens adeo limitata est ut nequeat plura simul disparata eodem tempore revolvere: quod patet ipsa experientia. Et omitto Cæsaris exemplo, qui eodem tempore pluribus librariis dictabat, & gravia negotia animo moliebatur, Cicerone, & Plinio testibus quibus fidem adhibere nemo non cogit; nonne qui choro assistunt, attendunt ad dicenda, & animo alio divagantur? Nonne qui intentum in Deum animum habent, ad verba simul attendunt ne errent in pronuntiatione, & ordine? Nonne qui involuntarias patiuntur distractiones, ad verba simul attendunt? Verum itaque habet, per mentis distractiones, quantumlibet voluntarias, non interrupti priorem attentionem. Interrumpitur autem per solam voluntatem contrariam, qua expresse quis retractat primam intentionem, dicendo intra se, Nolo attendere; vel per exteriores actus confabulandi, scribendi, legendi &c. Eo solum in casu distractio voluntaria impediret attentionem ad verba, si ita impotens, & vehementer esset, ut absorberet mentem, eamque ab attentione ad verborum ordinatam prolationem averteret; quod raro contingit: & de raro contingenti non est curandum.

XIX. Ex hac doctrina hoc inferunt confectarium laudati Patres. „Auctores igitur „secundæ sententiæ in re hac solum existunt „attentionem, cum omnes, nemine „dempto, dicant solam attentionem virtua- „lem ad verba esse necessariam: & si ex- „cludant internam distractionem, vel lo- „quantur de illa quæ est incompossibilis cum „hac attentione, qualis est illa quam modo diximus raro contingere; & si aliam „excludere intendunt, non consequenter lo-

„quantur, & sic illis non assentimur, nec „eorum rationes amplius probant.“

XX. Hos ego Theologos, seu de morum Theologia, atque de mea Religione ob singulare erga D. Thomæ Aquinatis doctrinam obsequium, zelumque sapientem quo illam promovere student, optime meritos, magni facio; illos sincere colo, & veneror. Displicet tamen quod vel invitatus ab eisdem dissentire sæpiuscule cogor. Sed tanta est in dissentiendo reverentia, ut non minus eos suspiciam quam si in eorundem concederem sententiam. Siquidem dissentio isthæ non a libera voluntate, sed a veritate, nisi me amor fallit, cogente proficiscitur. Quamquam enim plurima quæ ex eisdem transcripsi, vera reputo; sententiam tamen quam illi inferunt, falsam existimo.

XXI. Et primum istorum PP. doctrinam iam pridem tradiderat Egidius Coninck, ut advertit Cardinalis de Lugo de Sac. Euch. disp. xxii. sec. II. n. 41. ubi hæc habet. „Non sine fundamento dixit P. Egidius „Coninck, re ipsa convenire multos ex ad- „versariis, & solum de nomine videri dis- „sensum. Exigunt enim attentionem inter- „nam, sed solum ad verba, & talem, ut „sufficiat ne aliquis se exponat periculo ma- „le, ac perturbate verba pronuntiandi „aut omittendi: quæ certe attentio haberi „potest ab eo qui etiam voluntarie cogita- „ret tunc de aliqua questione metaphysi- „ca, vel alia resimili.“ Hanc eandem doctrinam affingit Leander disp. IV. cap. II. P. Ioanni Martinez de Prado Tom. II. c. xxx. q. VIII. §. 2. Verum Leander aut Prædum (cum quo aliquam habuisse similitudinem ex pluribus colligo) non vidit, aut animo minus attento legit, ne plus dicam de hoc laxissimo Casuista.

XXII. Relatis aliorum sententiis, quid ipse sentiam, aperiendum est. Porro, ut ab examine doctrinæ Salmanticensium auficimur, falsum nobis apparet principium illud cui totum superstruitur illorum ædificium, nimirum non interrupti voluntariam attentionem etiam virtuaalem per voluntariam distractionem; sed solum per voluntatem expresse contrariam, qua quis deliberat, Nolo attendere, vel Retracto priorem attentionem, seu propositum attendendi. Fatemur itaque subsistere attentionem virtuaalem. Sed cur D. Thomæ Theologi docent satis esse virtuaalem? Quia, humana infirmitate spectata, vix formalis possibilis est: si enim hæc formalis expressa attentio haberi commode pos-

posset, peccaret sane qui sponte illam repelleret. Porro qui deliberato animo mentem aliorum divertit, reapse attentionem formalem expresse reiecit; & consequenter reiecit etiam virtuaalem. Hæc enim satis est, supposita involuntaria privatione prioris. Qui vero deliberato animo respuit primam, reiecit eo ipso secundam. Atque ut clarius procedat argumentatio, explicanda paulisper est hæc attentio ad verba. Nam hæc ad verba attentio, ne perturbetur ordo, aut impediat pronuntiatio, mere materialis esse potest. Hæc attentio utuntur & pueri legentes, & psittaci canentes. Hanc solum materialem ad verba attentionem improbat tota Patrum, & Theologorum veneranda antiquitas. Unum, aut alterum Patrem audiamus. *Deprecantes Dominum* (inquit Augustinus in Psal. cxviii.) *ut ab occultis nostris mundet nos; & ab alienis parcat servis suis, quid hoc sit, intelligere debemus, ut humana ratione, non quasi avium voce cantemus: nam & meruli, & psittaci, & corvi, & picæ, & huiusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare quod nesciunt. Scienter autem cantare nature hominis divina voluntate concessum est.* D. quoque Laurentius Justinianus *Lib. de Discipl. Monast. Convers. cap. xvii.* ait: *O quam sæpe qui divinis occupantur in laudibus, solo assistunt corpore, & tamquam garule aves sine interiore sensu emittunt verba! De talibus per Prophetam Dominus dicit: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. O quoties tadio prægarata mens, ab omni gustu celestium cantionum ieiuna pertransit! Loquitur, & ignorat cui: clamat voce, nec se ipsam intelligit, nec percipit quid dicat: nam totaliter extra se evectus, atque velut amens effectus, adversum se Deum provocat vehementer.* Innumeros alios textus sanctorum Patrum afferre possem, quos prætereo. Fateantur ergo adversarii oportet, non sufficere materialem, ut sic dicam, illam ad verba attentionem: distincta quippe, & ordinata prolatio verborum solo usu, & consuetudine comparari potest; quemadmodum aves ab Augustino indicatæ concentum harmonicum, & verba nonnulla ordinate profere addiscunt. Ut porro hæc ad verba attentio ab attentione puerorum, psittacorumque fecernatur, mentis requirit studium, & applicationem. Eo ergo difficultas recidit, ut declaratur, valeat ne humana voluntas simul & semel ad diversa, & disparata objecta animum applicare. Adfirmant Salmanticenses post Coninckum, & Lugonem argumentis,

quæ iam descripsimus, tum illorum qui reapse in choro, & privati præces canonicas recitantes, distincte, & concinne pronuntiant, tamen mens alio divagetur; tum aliorum qui mente in Deum rapti articulatim enuntiant verba.

XXIII. Pace tantorum virorum dixerim, præfata argumenta sunt pura putaque sophismata. Negamus quippe mentem nostram ex voluntatis deliberatione posse eodem tempore contraria meditari. Quandoquidem aliud est, mentem natura sua alio divagari, dum psalmos recitamus, distincte, & ordine præscripto lingua pronuntiantem; aliud est, quod voluntas actu deliberato valeat applicare mentem tum ad verba quæ lingua profert, tum ad alia negotia, seu ad questionem aliquam. Et quoniam experientiam nobis opponunt, ad hanc experientiam scilicet causam revoco. Periculum quisque faciat. Applicet mentem actu deliberato ad aliquam questionem, sive negotium, & continuo sentiet linguam balbutire, mentem vim pati, oculos revolvi, atque seipsum adstantibus præberi quasi fluctibus iactatum, animoque abreptum, atque veluti intestino bello disceptum in partes. Quando distractiones patimur involuntarias, intellectus noster sua quadam occultissima inclinatione, sæpe ex præconceptis speciebus, & naturali quodam pondere in illi rapitur objecta in quæ magis propendet. Et cum nullus tunc voluntatis actus re ipsa pugnet, aut contradicat; idcirco sensus absque ullo impedimento pronuntiant præces. Verum, simul atque voluntas intellectum cohibet, & deliberate ad diversa eundem impellit, & inflectit quo ipsa vult, & a suo raptu retrahit; illico conlurgit intestinum dissidium, & veluti in duo membra scissus animus nec linguam dirigere, nec mentem valet. Perperam ergo, & inepte profus adducuntur exempla illorum qui in choro recitant distincte, & ordine servato; & nihilocius aut animo divagantur, aut in Deum rapiuntur. Siquidem una tunc est, & sola mentis applicatio, seu attentio; & illud dumtaxat negotium in quod nativo suo pondere, & impulsu rapitur, considerat, & meditat: & quia nulla expressa voluntas contraria, nulla quoque est interna pugna; sed intellectus, qui est facultas necessaria, naturali suæ inclinationi indulget, sensus vero exteriores auditus, & lingua vi assuetudinis, & dispositionis verba illa proferunt. Accedit quod frequenter mens applicat, & attendit, quamvis ipsi non advertamus, potissimum dum in Deum rapi-

mur, in quem ipsarum precum verba mentem efferunt. Frequenter etiam nulla est applicatio, & sensus exteriores, & lingua actus suos naturali assuetudine, & exercitio peragunt. Defectus autem iste attentionis non imputatur ad culpam, eo quod involuntarius sit: diciturque mens virtualiter attendere, virtute scilicet primæ voluntatis, seu deliberationis. Quoties vero voluntas deliberate ad aliud negotium, seu quæstionem mentem inflectit, toties priorem actum retractat. Quare abludit a vero recensita Salmanticensium doctrina, quod per solam voluntatem expresse contrariam, qua quis constituat se nolle attendere, prior retractatur, secus per deliberatam ad alia negotia divagationem: quia, inquit, mens humana non est adeo limitata, ut nequeat simul plura scrutari. Quod aliqua brevi morula possit mens nostra plura disparata raptim, & quodam celeri volatu percurrere, transeat: ceterum quod serio, & deliberato animo valeat, ut contendunt laudati Patres, & ad canonicarum precum verba, & ad alia negotia, vel scholasticas quæstiones, attentionem impendere, est manifesta, ut ego quidem sentio, falsitas.

XXIV. Sed doctrinam D. Thomæ, quam pro se allegant, paulisper expendamus. Mirum est perdoctos Salmanticenses D. Thomæ doctrinam in istius opinionis patrocinium afferre potuisse. Luculentum siquidem est, Angelicum a nobis stare, & opinionem quam patres isti defendunt, oppugnare. Afferit Angelicus 2. 2. qu. lxxxiii. art. 13. quod triplex est attentio quæ orationi vocali potest adhiberi. Una quidem quæ attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret. Ex hoc textu inferunt Salmanticenses Angelicum exigere dumtaxat attentionem qua quis ita moderatur linguam, ut distincta pronuntiatio, & ordo recitandi servetur. Hoc autem, inquit, non excludit distractionem voluntariam ad alia negotia. Quod quam sit falsum, iam ostendimus: quam vero sit a mente D. Thomæ alienum, mox constabit. Quamlibet trium attentionum ad verba, ad verborum sensum, & ad Deum sufficere Angelicus docet. Porro Caietanus in commentariis ad hunc articulum addit, quod prima attentio ad verba dupliciter eligi potest. Primo, ut est medium aptum perveniendi ad meliorem, nempe aut ad sensum, aut ad Deum. In Monialibus, & in iis omnibus qui sensum verborum ignorant, ea infima attentio aptior est, immo unica, qua hi valeant orationem sive spontaneam, sive præceptam peragere. Secundo eligi po-

test cum præcisione, neque excludendo, neque includendo aliam meliorem. Et hæc quoque sufficiens est. Tertio cum exclusione alterius melioris. Et hanc non sufficere ad implendum præceptum contendit Navarrus de orat. c. III. Verum, si unaquæque absolute sufficit, non apparet ratio cur quis non impleat præceptum; etiam si nolit meliorem, quæ alioquin necessaria non est. Quare opinio Navarri mihi non probatur. Ad nostra autem regrediens, dico, quod dum quis vult ad verba attendere, ne erret, & deliberato animo ad alia digredi negotia, & quæstiones, atque in eisdem mente subsistere, dubio procul excludit meliorem, seu alias duas attentiones. Neque enim adversarii adfirmare audent, mentem nostram eodem tempore posse simul & seorsum verborum percipere, & ad alia negotia attendere. Porro attentio hæc ad verba, quemadmodum sufficit, cum eligitur ut medium perveniendi ad meliorem; ita inepta est, & insufficientis, quoties deliberate excludit alias duas attentiones. Hinc est quod D. Thomas loc. cit. ad 3. subdit: *Dicendum, quod si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum: & contra hoc Augustinus dicit: Psalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertis in ore. Evagatio vero mentis que fit præter propositum, orationis fructum non tollit.* Hoc idem adfirmat Angelicus in IV. dist. xv. quæst. iv. art. 2. quæstionum. 4. ad 2. *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, tunc sine culpa non est, precipue si in aliis sponte se occupat qua mentem distrahit, sicut sunt exteriora opera: & si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* Textus iste aliquam præfert obscuritatem. Nam duplicem prodit distractionem. Primo asserit, eum qui ad alia ex proposito mentem distrahit, culpa non carere. Culpæ vero gravitatem non explicat. Concludit autem: *Et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* P. Suarez exponit: Si quis animum intendat in obiectum contrarium Deo, ut est obiectum turpe, Deoque iniuriosum: quod sane locum habet etiam in oratione libera, nedum in oratione præcepta. Quare contendit Suarez minime constare quid senserit D. Th. super hac quæstione, in qua de carentia attentionis simplicis sermo est sine admixtione gravioris culpæ ex parte rei cogitatæ. Idem docet Martinez de Prado Tom. II. c. III. qu. VIII. §. 2. Et sane in textu a nobis lau-

dato

dato ex 2. 2. qu. lxxxiii. art. 13. ubi de psalmis, & hymnis loquitur qui a Canonicis canuntur, iuxta Augustini præscriptum, non declarat culpæ gravitatem; sed solum asserit deliberatam mentis evagationem peccatum esse, fructumque impedire orationis. Unum ego textum adferre volo, in quo D. Thomas asserere videtur evagationem deliberatam, & absolutam, præcisamque a turpitudine rei cogitatæ, violare præceptum, atque adeo culpam gravem esse. Inquit enim IV. dist. xv. qu. iv. art. 2. quæstionum. 4. *Dicendum, quod attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo; vel ad evitandam transgressionem in illa oratione quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa quæ non est in præcepto, sed non omnibus modis. Sicut enim dictum est, aliquis actus manet per essentiam, & virtutem quandoque, sed quandoque transit actu, & manet virtute, sicut in exemplo de projectione lapidis patuit; & sic manere actum in virtute est quidam medius modus inter ipsum esse & in habitu, & in actu: quia quod in habitu est, neque virtute, neque per essentiam actus est. Secundum hoc ergo dico, quod attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem; sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiam si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino deperat vis primæ intentionis: & ideo oportet quod frequenter homo cor suum revocet ad seipsum.* Ex ultimis verbis perspicue constat, quam directe pugnet hæc D. Thomæ doctrina cum opinione Salmanticensium. Frequenter a distractionibus involuntariis cor revocandum esse Angelicus docet. Quippe quando mens ad alia ex sua naturali inclinatione divagatur, secum abripit cor ipsum. Idcirco, dum intellectus advertit se extra semitam digressum esse, continuo debet voluntas ipsum a diverticulo in viam revocare. Porro, dum Angelicus asserit attentionem requiri aliquo modo ad orationem, vel ad evitandam transgressionem in illa oratione quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa quæ non est in præcepto, clare hic D. Thomas docet, illum violare præceptum qui deliberate recusat animum intendere ad eas preces quas vi præcepti recitare tenetur. Qui vero liberam fundit orationem animo distracto, non præceptum transgreditur, sed meritum amittit orationis. Quamvis er-

go Angelicus conceptis verbis non doceat, eum peccare, letaliter qui animo deliberato mentem alio inflectit, & distrahit, dum preces canonicas persolvit; ex illius tamen doctrina non obscure colligitur, ipsum in hanc communiorum Theologorum sententiam concedere.

XXV. Ex iis quæ hæctenus dicta sunt, confutata tum Salmanticensium, tum aliorum Theologorum remanet sententia de sola attentione ad verba cum voluntaria distractione ad alias quæstiones, & negotia: quam opinionem ut laxam, & falsam, omnique probabilitate carentem reiicimus. Illud nunc est reliquum ut quæ ipsi sentimus, aperiamus.

XXVI. Sententia nostra hæc est, quam communem Theologorum existimo, solamque probabilem, quidquid in oppositum asserant recentiores. Datur præceptum recitandi horas canonicas cum attentione: quod præceptum, ut peroptime advertit Soto, duo includit. Alterum est, quod sub orandi initium quisque attendat quid agere aggrediatur, seu propositum habere debeat attendendi ad id quod peracturus est. Alterum est, quod hoc propositum non revocet, neque consulto, & deliberato animo mentem alio distrahat, vel quidquam agat quod valeat natura sua mentem alio rapere, aut quod ipse deprehendat reapse mentem suam distrahere.

XXVII. Hanc propositam sententiam defendunt omnes Theologi quos n. xi. laudavi. Diversa tamen via incedunt ad eam monstrandam. Communiter utuntur auctoritate illius cap. Dolentes. Sed ego iam supra ostenditum ex causa edendi talem canonem, tum ex verbis eiusdem canonis præceptum ibi latum prohibere externa colloquia, confabulationes, cachinnos, aliaque minus decentia, quæ tunc a Canonicis in choro recitantibus peragebantur, quæque in causa fuerunt legis illius. Quibus vetitis, præcipit studiosam, devotamque attentionem exteriorum oppositam recensitis actionibus. Quam explicationem non ego primus promio; sed antea illam tradiderat P. Paulus Comitulus Auctor gravissimus. Franciscus quoque Suarez Lib. IV. c. xxvi. n. 13. clare fatetur nihil certi posse ex capite illo deduci. Mitto adversæ sententiæ Auctores omnes idem sentientes, quia in hac quæstione nullius nobis sunt ponderis. An aliud sit in iure canonico præceptum positivum hanc interiorum animi attentionem præcipiens, penitus me latet. Valeat, nec ne Ecclesia præcipere actus in-

ter-

termas, ab hoc nunc supersedeo. Id mihi verisimilius videtur in hac materia non præcipisse. Recentiores Theologi plurimi, ut evincant Ecclesiam præcipisse reapse actus internos, allegant plures proscriptas propositiones. Alteram Michaelis de Molinos: *Risus digna est doctrina quedam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Episcopum...* Quia Ecclesia non iudicat de occultis. Hæc propositio haud est proscripta propter ultimum membrum: nec enim Theologorum aliquis unquam dixit, iudicare Ecclesiam posse de occultis: sed damnata est, quia regimen animarum sacris Pastoribus adimebat, animasque debito subiciendi se suis Pastoribus, illisque conscientie itatum aperiendi, solvebat. Alteram opponunt damnatam thesim: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfactio præcepto Ecclesie: & huic similem de sacrilega communione.* Ex his, & similibus propositionibus id solum evincitur, Ecclesiam præcipere confessionem eo modo quo Christus illam fieri præcepit. Christus autem iubet confessionem, & communionem digne, sancteque peractam. Huic autem divino mandato minime satisficit confessio, vel communio sacrilega; sicuti neque Ecclesie præceptum tali sacrilegio impletur ob rationem dictam, quod Ecclesia non aliam iubeat sive confessionem, sive communionem, quam illam a Deo ipso sub mandato impositam. Sacrilega autem confessio non est, quia Ecclesia præcipit actus interiores contritionis, & emendationis; sed quia Deus interioris cordis munditiam præscribit. Ut evincatur, Ecclesiam præcipisse reapse actus interiores; in medium afferendum esset aliquod mandatum iubens aliquid pendens ab intima hominis voluntate, & nullo modo nec a Deo, nec a lege naturali impositum sub præcepto. Quod autem Ecclesia valeat præcipere ut sacramenta peragantur eo modo qui a Deo præscriptus est; quod valeat definire tempora, rubricas, & alia in sacramentorum administratione executioni mandanda, nemo est qui id in discrimen adducere possit. Atque adeo si potestatem indirectam in actus internos attribuit Ecclesie, quia præscribit sacramenta confici ad normam divini præcepti, quia iubet orationem eo modo fieri quo iuxta Scripturarum oracula fieri debet; pariter nemo negare potest hoc ab Ecclesia fieri posse. Verum ab hac questione in præsens supersedeo, eam loco suo de legibus pro dignitate tractaturus.

XXVIII. Aliunde ergo quam a præcepto positivo humano, rationum momenta quibus evincatur necessariam esse attentionem animi intimam, quæ cum voluntaria distractione componi nequeat, arcessenda sunt. Dico ergo, lege naturali, & divina hanc attentionem præscriptam esse. Iure naturæ animam nostram Deo subiectam esse, veritas est seipsa manifesta: quam veritatem altera consequitur, quod nempe suis intimis actibus debeatur illi colere, venerari, & necessaria auxilia ab eodem impetrare. Sed primum omnium oracula divina promenda sunt. *Isaias c. xxix. Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est a me.* D. Paulus ad Ephesios v. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Item I. Corinth. xiv. *Qui loquitur lingua, orat ut interpretetur.* Nam, si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Christus Dominus Matth. xv. inquit: *Hypocrita, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Evangelista Ioannes cap. iv. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Nam & Pater tales querit.

XXIX. Scripturarum oraculis concinunt testimonia Patrum. Ex pluribus pauca feligam. D. Cyprianus tractatu de oratione dominica: *Quando stamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & secularis abscedat: nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfationis præmissa parat fratrum mentes, dicendo, Surfum corda; ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium peccatus, & soli Deo pateat; nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras a Deo avocatur, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus, & sensus orare. Que autem segnitia est alienari, & rapti inceptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris; quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum*

Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere: hoc est, quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare; sicut scriptum est ex persona Ecclesie loquentis in Cantico Canticozum: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter sollicite, & caute Apostolus admonet dicens: Instate orationi, vigilantes in ea: docens scilicet, & ostendens eos impetrare, quod postulant, de Deo posse quos Deus videat in oratione vigilare.*

XXX. Nonnulla feligam ex plurimis quæ hoc de argumento habet Augustinus enarratione in Psalmum lxxxv. *Nihil est stultius quam si se ipsum quisque palpet, atque seducat. Attendat ergo, & videat, quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipse plerumque orationes impediatur vanis cogitationibus; ita ut vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere ut stet, & quodammodo fugit a se, nec invenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, sed stet incundari a Deo suo. Vix est ut occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis Dei David orantem quodam in loco, & dicentem: Quoniam inveni, Domine, cor meum, ut orarem ad te. Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque, fratres mei, attendens quod hic ait: Suavis es tu, & mitis: videor mihi videre hic, quod ait mitis: Iucunda animam servi tui: quoniam ad te Domine levavi animam meam, quoniam tu suavis, & mitis es: videor mihi videre ad hoc dixisse mentem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit grate, & exaudit, nec meminit tantas quas incondite fundimus, & accipit unam quam vix invenimus. Quis est enim, fratres mei, homo, cum quo si amicus eius caperet colloqui, & voluerit ille respondere colloquutioni eius, & viderit eum averiti a se, & aliud loqui ad alium, quis hoc ferat? Aut si forte interpellas iudicem, & constituas eum loco, ut te audiat, & subito, cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diversas res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando percer-*

sas, & inimicas Deo: ipse superfluas cogitare iniuria est eius cum quo loqui caperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. Sed quid? Desperandum est de genere humano, & dicendum iam ad damnationem pertinere omnem hominem cui surrexerit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres, quæ spes remaneat non video. Porro quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est eius misericordia; dicamus ei: Iucunda animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi. Et quomodo eam levavi? Quomodo potui, quomodo tu virum dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui... Quoniam tu Domine suavis, & mitis. Mitis es, tolerans me. Ex aegritudine defluo. Cura, & stabo: confirma, & firmus ero. Donec autem facias, toleras me: Quia tu suavis es, Domine, & mitis, & multum misericors. Non enim solum misericors, sed multum misericors. Abundat enim iniquitas nostra, abundat & tua misericordia.

XXXI. Unum addamus Ioannem Chrysostomum, qui homil. lxxix. ad populum Antiochenum hæc scribit. *Que enim excusatio, aut venia dabitur nobis, si cum amicis loquentes adsumus animo, mentemque adhibemus; cum Deo vero colloquentes animo in rebus indignis peregrinamur? Possetque tam fœda, ac turpis esse peregrinatio illa mentis, ut duplicis sceleris, seu letalis culpæ labem haberet: unam, verbi causa, cogitati, optati, que stupri, seu homicidii; alteram insignis iniuria, qua divinæ preces, psalmi, sacræque Scripturæ verba tunc afficiuntur. Quocirca qui hæc aperta salutis sue discrimina subire non vult, attendat animum, dum orat lingua, aut ad verba quæ explanatam habeant impressionem, aut ad verborum sententiam, aut ad Deum, & rem quæ oratur. Hæc Chrysostomi doctrina eadem ipsa est ac illa sancti Thomæ, ut vidimus. Porro ex hæc Patrum doctrina, quam sit recentiorum falsa opinio, qua asseritur, posse mentem nostram ad diversa attendere, manifeste conitatur. Exemplum collocationis cum amico peropportunitum est. Si tu negotium grave narraturus amico ad grave aliquod oppositum negotium animum ferio revolvis, continuo ille te distractum, alioque abreptum internoicit. Quid ita? Quia mens nostra adeo limitata est, ut nequeat plura simul meditari. Porro amicus ille se offensum reputat, quod tu alibi animo verferis eo ipso tempore quo eum alloqueris.*

XXXII. Rationum momenta nunc per-



stringenda sunt, quibus evincatur attentionem aut actualem, aut virtualementi interiori necessariam esse. Et primum, oratio actus virtutis religionis est, ut omnes fatentur. Actus autem quilibet, quo virtutis rationem induat, exigit ut debitis circumstantiis peragatur. Potissima autem circumstantia orationis attentio est. Immo graviores Theologi ad essentiam naturamque orationis pertinere attentionem docent. Virtus autem religionis, cuius actus oratio est, Deum spectat, tamquam finem, cui cultum suum offert. Cultus iste, seu adoratio Deo exhibita, fieri debet in spiritu, & veritate; alioquin solo corpore fieret, essetque hypocrisis, & larva adorationis. Quamvis enim adoratio interior sine exteriori consistere queat; exterior tamen sine interiori cadaver est sine anima, spectrumque adorationis. Quod potissimum Deo subiicere debemus, est anima nostra. Subiicimus autem illam, dum supremum Deum confitemur, adoramus, ab eodem auxilia petimus. Hac autem fieri nequeunt attentione interiori sublata. Siquidem, dum mens a Deo peregrinatur, & per temporalia negotia obambulat, non Deo, sed mundo subiicitur. Quid quod ipsa oratio definitur esse elevatio mentis in Deum, sive petitio eorum quæ a Deo accipere indigemus: quæ omnia præstari nequeunt absque mentis attentione. Ergo attentio mentis in Deum necessaria est ad orandum. Accedit quod necessaria est secundum omnes intentio saltem virtualis orandi. Atqui hæc intentio virtualis consistere nequit absque attentione saltem virtuali: tunc quippe definit esse virtualis attentio, cum homo sciens, & advertens se de aliis cogitare, & non attendere ad id quod pronuntiat, negligit mentem ad se revocare, vel positive vult non attendere, seu ad alia cogitationes suas dirigere. Ergo hoc ipso revocat priorem orandi intentionem: quia velle sic loqui, non est velle orare; sed more meruli, vel psittaci, & picæ verborum sonitum edere. Nec est quod opponas, priorem intentionem solum revocari per expressam voluntatem non orandi, secus per voluntariam distractionem, quæ non impedit attentionem ad verba, ne lingua erret: quoniam hoc effugium iam supra refellimus. Quamvis enim possit mens ad alia diffuere, ductum suæ nativæ inclinationis sequens, & quonaturæ, vel contracti habitus, & consuetudinis pondere rapiatur, nullo destinato vi alicuius deliberationis scopo; & tunc valeat lingua cum tali diva-

gatione distincte verba pronuntiare: id tamen peragere nequit, quando voluntas ipsa seria deliberatione ad præfixum, destinatumque scopum mentem impellit, & a suâ naturali divagatione, & diverticulo retrahit. Tunc enim tumultus interior suboritur, qui animum discerpit in partes, impeditque exteriorum sensuum officia, aut interturbat; ita ut bellum illud intestinum foras erumpat, in vultu, in oculis, in lingua, in auribus se prodat omnibus iis quibuscumque homo tunc loquitur.

XXXIII. Sæpe mecum reputavi, cur recentiores Theologi opinionem adeo, ut ego quidem sentio, laxam amplexati sint: idque in causa fuisse existimo, ut succurrerent infirmis animis, qui frequentes patiuntur evagationes. Sed, pace illorum dixerim, hoc non est suppetias infirmitati ferre; sed potius fovere malitiam. Quod ut pateat, pleno in lumine collocanda est sententia nostra, attentionisque quam requirimus, notio, & natura clarius explicanda: idque ut præstem facilius, in antecessum causæ detegendæ sunt evagationum nostrarum. Prima est mentis obtenebratio, animique languor ex originali culpa contractus. Ut enim inquit Dominicus Sotus, qui non est poplite firmus, non valet adamussim incedere: sic mens nostra debilis, & infirma vix valet propositæ meditationi firmiter adherescere. Lumen quod menti nostræ Deus infundit, simile est solaribus radiis, qui fluctuantem aquam illuminantes motum fluctuum sequuntur. Secundo nativæ debilitati superstruuntur habitus pravi, consuetudo mundi negotia cogitandi, aut quæstiones plurimas versandi: quæ omnia ita mentem nostram occupant, atque quodammodo subigunt, inflectuntque, ut hæc veluti curvata, ceu quoddam pondere intimo in ea se abripi sentiat quæ continenter, vel frequenter meditata. Quemadmodum enim humor corporeus eo decurrit quo sæpius fluere cepit; sic cogitationes nostræ in illa feruntur obiecta quæ sibi familiaria facta sunt ex assidua meditatione. His omnibus adde tertio dæmonum præstigia, & infestationes, quibus nos potissimum, cum ad portum salutis nostræ confugimus, turbant. Ob has causas mentes nostræ frequentissimis evagationibus obnoxie sunt. Et ii potissimum mente alio rapiuntur qui seduliolem litterarum studii operam navant. Cum enim istorum exercitia quotidiana sint mentis, non corporis defatigationes; intellectus, qui necessaria facultas est

ex

ex tali assidua meditatione ita inflectitur, & incurvatur, ut veluti calcaribus adiectis in suas controversias abripiatur.

XXXIV. Recentiores Casuistæ, ut sibi, & aliis iugum persolvendi canonicas preces suavius efficerent, verius dixerim, ut a se, & ab aliis profus excuterent, novam excogitarunt doctrinam, qua asserunt, peroptime hæc duo in mutuam coire posse societatem, nimirum posse mentem dirigere linguam, ut distincte recitet, simulque suas perlerari quæstiones, & familiaria negotia in suo secretiori penetranti revolvere: quod idem sonat ac si diceret animum nostrum eodem tempore in celo simul, & in terra, in oriente, & occidente degere, & operari. Misso ergo hoc commento, vera remedia infirmitatibus nostris adhibenda sunt quæ nobis Ecclesia ipsa proponit. Primum omnium est efflagitatio divini auxilii. Hac de causa ex Ecclesiæ præscripto ab istius divini auxilii petitione preces canonicas auspicamur: *Domine labia mea aperies: Deus in adiutorium meum intende.* Deinde nos ipsi eniti debemus, ut animo præsentis simus, & frequenter cor nostrum ad nos revocemus: frequenter in Deum mentem erigere, ad orationem accessuri valedicere studiis nostris, & negotiis debemus. Utinam Deus det ut quæ scriptis prodo, executioni mandare adamussim valeam. Expositis tum evagationum nostrarum causis, tum remediis ad easdem propulsandas, suavitas nunc sententiæ nostræ, quæ communis est, ut dixi, exponenda est.

XXXV. Attentionem virtualementi ad verba precum quas Deo fundimus, satis esse iam diximus, omnium Patrum, Theologorumque consensione nixi. Hæc virtualis attentio, quæ fructus est primi propositi, quo constituimus nos velle animum applicare ad ea quæ oraturi sumus, tamdiu perseverat, quamdiu deliberata electione non retractatur. Quod diobus modis accidere potest. Primum, si solvens horarum canonicarum pensum, alio in negotio occuperis, quod suapte natura orationi attentæ adversetur; ut si pingas, scribas, legas, quidve simile peragas. Si enim aliquid agis quod natura sua non adversatur attentioni, ut si te induas, laves, vel quidquam huiusmodi facias, præceptum orandi non transgredieris. Secundo, ut quis retractare dicatur priorem intentionem, requiritur ut, dum cogitat quidquam diversum ab oratione, advertat, & deprehendat per hanc cogitationem se distrahi ab attentione. Lubeat isthuc verba Car-

dinalis Caietani transcribere ex sua *Sum. verb. Hora.* „ Nec propterea laqueus iniectus est animabus: quoniam facillimum est huic „ præcepto obedire: nam nihil aliud exigitur, „ nisi quod quis animo vacandi Deo horas inchoet, & in contrarium animus iste non „ mutetur, dum exsolvit divinum officium. „ Mutari autem in contrarium est impossibile „ ex inadvertentia: quoniam non voluntarie „ ab officio divagationem qui inadvertenter divagationem. Et ideo si quis advertit se cogitare „ hæc, vel illa, quæ debent esse extranea „ tunc a meditatione sua; sed non advertit „ quod ab officio divino distrahitur; quamvis voluntarie illa meditetur, non tamen „ voluntarie ab officio divino animum distrahitur: ac per hoc animus vacandi Deo a „ principio officii habitus non est mutatus in „ contrarium: quia numquam iste habuit animum recedendi a vacando Deo in illo officio. Oportet enim recessum humanum a „ termino a quo fieri per se, hoc est ex intentione. Tanto autem facilius hoc monstratur, quanto non una, sed quatuor viis „ potest quis officio divino attendere: vel quantum ad verba, ne scilicet dicat unum „ verbum pro alio, ne confundat, vel collidat verba, ut distincte, ac reverenter dicat: vel quantum ad sensum verborum, ut „ percipiat mente, & applicet affectum ad id quod verbis significat: vel quantum ad „ gratiam petitam, puta castitatem, humilitatem, fidem, spem, divinam amicitiam, caelestem patriam, & alia huiusmodi; quæ sola ( ut patet intuitu ) pertinetur communiter in divino officio: vel quantum ad ipsum Deum, seu ipsum Christum crucifixum. Et hæc omnes, secunda excepta, communes sunt doctis, & indoctis, „ maribus, & mulieribus: nisi quod in prima ignorantibus possunt materialiter errare; sed non refert ad propositum. Sat enim est „ quod quis attendat ne erret. Et quia una istarum attentionum sufficit, ideo inexcusabilis est quisquis officium divinum recitat „ non cum animo, quantum ex se est, vacandi Deo. Qui enim cum animo inchoat, „ & non mutatur in contrarium ( hoc est in voluntatem non attendendi divino officio ) celebrat divinum officium ex parte sua studiose, & devote; expectans quantum Deus „ det in prosequendo tam attentionis, quæ spectat ad studiositatem applicativam intellectus, & sensus ad attendendum, quam cuiusque sanctæ affectionis, quæ spectat ad devotionem oblativam promptæ volun-

„ t.

„ tatis ad ea quæ Dei sunt. Sicut igitur contra Ecclesiæ præceptum agit, ex occultissimo interiori odio omittens inquirere &c. ita contra Ecclesiæ præceptum agit ex occulto interiori proposito in studioso, & in devoto dicens officium divinum. Qui vero, salvo animo vacandi Deo, involuntarie vagatur, non peccat. Qui vero negligenter se habet circa executionem attentionis, & devotionis, venialiter peccat. Numquam enim intervenit transgressio præcepti, quamdiu immutatum manet primum propositum, vacandi Deo. “ Hactenus Caietanus, cuius verba transcribere operæ pretium existimavi, ut hinc magis eluceat nostræ, communisque sententiæ veritas. A deo quippe facilis est una ex tribus assignatis attentionibus, ut nullo pacto valeat adversæ opinionis laxitas excusari. Unum admonere iuvat, doctrinam scilicet Caietani, asserentis primam attentionem non retractari nisi contraria voluntate, non esse hoc in sensu intelligendam, quod requiratur voluntas expressa, qua recitans deliberet se nolle attendere; sed satis est quæcumque voluntaria, & deliberata divagatio, ut prior intentio retractetur. Asserit utique Caietanus, quod licet voluntarie quis meditetur extranea ab officio divino, non propterea retractat priorem intentionem, si non advertit se a suis precibus persolvendis distrahi: quia hæc advertentia necessaria est ad istius præcepti transgressionem ob infirmitatem humanæ mentis semper fluctuantis. Contingit enim non infrequenter quod homo perseveret in aliqua distractione, quin mens advertat se distractam esse ab officio recitando. Sine hac autem advertentia, optime inquit Caietanus, non retractatur prior intentio: quia voluntaria illa meditatio ad contraria, de qua ille loquitur, non est undequaque deliberata, quia advertentia destituta. Culpa tamen venialis maior, aut minor intervenit, prout magis, aut minus distractio illa a voluntate pendet. P. Franciscus Suarez *Lib. IV. cap. xxvi. n. 20.* de hac Caietani doctrina hæc scribit. „ Immo addit Caietanus in Summa non satis esse ut quis advertat quid cogitet; sed etiam quod advertat se diverti ab oratione. *Oportet enim (ait) recessum humanum a termino fieri per se, id est ex intentione, saltem virtuali, quæ requirit advertentiam.* Ita enim doctrina illa intelligenda est, & est præ oculis habenda hominibus scrupulosis, ne facile repetitiones horarum faciant, quæ nihil prosunt: quia semper habent easdem, vel maiores imper-

„ fectiones: & habent innumera inconvenientia, quando ex conscientia scrupulosa fiunt. Isti ergo, si bona fide, & cum proposito attendendi ad recitandum accedant, etiam si in fine psalmi advertant se fuisse distractos, nihil curent, nec repetant, sed se iterum ad attendendam mentem applicent & prosequantur. Idemque servare debent, etiam si non recordentur se omnia dixisse: quia, ut D. Thomas notavit, hæc oblivio non refert, nec semper nascitur ex distractione. Quamdiu ergo eis non contiterit evidenter, se mutasse propositum, vel advertendo, & sciendo circa alia vagatos fuisse, credere possunt suæ obligationi satisfecisse. “

## §. II.

*Resolvuntur adversariorum obiecta.*

I. Obiiciunt 1. Ecclesia in cap. *Dolentes* externam dumtaxat præcipit devotionem, attentionemque, ut colligitur tum ex præcepto illius canonis, tum ex verbis quibus canon ipse componitur. Nullum ergo præceptum adest istius; internæ attentionis. Resp. Ex iis quæ inter disputandum dicta sunt, patet ad argumentum istud responsio. Diximus, Ecclesiam non præcipere intimam animi attentionem, sed externam; seu Ecclesiam præcipiendo horas canonicas tali tempore, loco, & studiosa devotione celebrandas, iubere orationem quam Deus alioquin suo præcepto iubet. Porro oratio a Deo præcepta attentionem exigit interiorem. Hac enim oratione animus Deo iungitur, & cum eodem loquitur. Quapropter attentio quæ comitari orationem debet, non ab Ecclesia, sed a Deo præcepta est. Ecclesia autem iubet preces canonicas Deo persolvi iis conditionibus quibus Deus ipse vult sibi orationes, precesque fieri. A lege ergo naturali, & divina præceptum reperimus attentionis. Præceptum vero ecclesiasticum iubet ut divinum mandatum exequamur. Et quia istius mandati divini observationem impediunt confabulationes, colloquia, risus, aliæque exteriores actiones; idcirco Ecclesia hæc omnia suo præcepto vetat. Devotio enim interior sine exteriori consistere nequaquam potest; quemadmodum nec exterior perseverare diu potest absque interiori. Si autem propter istam connexionem contendas Ecclesiam, præcipiendo exteriorem devotionem, consequenter

ter iubere etiam interiorem attentionem, devotionemque, non repugnabo.

II. Obiiciunt 2. attentio interna non est de orationis vocalis substantia. Quandoquidem una species nequit ingredi alterius speciei naturam, & essentiam. Attentio autem ad substantiam pertinet orationis mentalis. Ergo nequit pertinere ad substantiam orationis vocalis. Resp. Negamus orationem vocalem, & mentalem esse duas specie diverfas orationes; sed una & eadem oratio mentalis additione vocis fit vocalis: quæ vocalis oratio absque mentali bonitatem moralem non sortitur; sicut devotio interior specie non distinguitur ab exteriori, ut conceptis verbis docet Angelicus 2. 2. *quest. xxxii. art. 1. ad 2. Devotio invenitur in diversis generibus actuum, non sicut species illorum generum, sed sicut motio moventis invenitur virtute in motibus mobilium.* Nulla actio exterior addit bonitatem essentialem speciei diverfam interiori actioni.

III. Obiicit 3. Cardinalis de Lugo de *sacr. Euchar. disp. xxii. sec. 2. n. 29. & seq.* ubi plura congerit, ut evincat, orationem sine attentione consistere, & negat attentionis internæ absque voluntaria distractione necessitatem. Atque primo arguit a posteriori, ut ipse inquit, in Sacerdote conferente extremam unctionem. Si defectus attentionis tolleretur substantiam orationis, Sacerdos iste voluntarie alio mentem dirigens, dum sacramentalem formam, *Per istam sanctam unctionem &c.* profert, nullum conficeret sacramentum; quamvis ab initio intentionem habuisset sacramentum conferendi. Hoc autem patet ex ipsa sacramenti forma, quæ deprecatoria est, dicente Iacobo Apostolo: *Inducat Presbyteros Ecclesie, & orient &c. & oratio fidei salvabit infirmum.* Quis porro dixerit, sacramentum collatum a Sacerdote habente intentionem faciendi quod facit Ecclesia, eaque omnia exterius præstante quæ ab eadem præscribuntur, invalidum esse? Idque a priori confirmat ex eo quod orare est loqui cum illo quem oramus, ei representando desideria nostra. Possumus autem loqui cum alio *substantialiter*, inquit ille, cum actuali [voluntaria] mentis evagatione. Quis diceret me non contrahere excommunicationem, si excommunicationem alloquerer cum deliberata mentis distractione? Alia plura congerit, quæ tamen peculiarem non præferunt difficultatem.

IV. Inter plura mala quæ post natum Probabilissimum suffert divina morum Theologia non infimum locum tenet illud quod ex *me. Conc. Theol. Tom. II.*

taphysicis subtilitatibus, quibus nonnulli Scholastici illam implicant, proficitur. Assueti hi de rebus nullius momenti non raro disputare, quæstionesque sola verborum, & distinctivularum multiplicatione instituere, & dirimere, cum ad morum sententias verandas accedunt, easdem ad similes distinctiones, & subtilitates revocant. Expiscantur aliquid peculiarem casum in eadem materia peculiaribus ob materiæ diversitatem involutum circumstantiis ut hinc regulam generalem eruant. Quod ita res se se habeat, obiectio facta ostendit. Disputant Theologi, valeat ne sacramentum collatum a ministro habente intentionem faciendi quod facit Ecclesia, serioque ritus omnes externos ab eadem præscriptos adhibente, si aliam nedum attentionem, verum etiam intentionem directe oppositam intus habeat. Adfirmant alii, eo quod duæ hæ intentiones oppositæ mutuo colliduntur, illaque prævalet quæ factum exterius exequitur, ita ut mentiatur iniquitas sibi. Eo ipso enim quod minister sincere velit quod vult Ecclesia, & reapse omnia adhibeat quæ illa præscribit; altera intentio contraria inefficax evadit, atque quodammodo ab altera destruitur. Quapropter validum esse sacramentum contendunt. Negant alii dicentes nullam hic ministri intentionem haberi, atque adeo nullum esse sacramentum. Theologi isti responderent argumento Lugonis, Sacerdotem præfatum nullum perficere sacramentum, eo quod nullam habeat nec intentionem, nec attentionem. Quamvis enim attentio ad mentem, intentio ad voluntatem pertineat; nihilominus tamen, quando quis deliberate alio mentem inflectit, priorem intentionem retractat: qua de causa videtur D. Thomas negare valorem sacramenti, si attentio actualis, vel virtualis desit, III. Par. q. lxxiv. art. 8. ad 3. *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualement, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti: puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum: quamvis studiose curare debeat sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat.* Ceterum, ut recta occurramus obiectioni, dicimus, perperam opponi sive intentionem, sive attentionem ministrorum conferentium sacramenta, ut hinc colligatur eodem modo ratiocinandum esse de attentione necessaria in

aliis precibus. Sacerdos sacramenta perficit ut minister Ecclesie, inquit Angelicus loc. cit. ad 2. *Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesie, cuius est minister. In verbis autem que profert, exprimitur intentio Ecclesie, que sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.* Oratio ministri conferentis extremam unctionem ex opere operato suum sortitur effectum. Quoties minister profert verba, quæcumque sit illius perverſa intentio, Deus elevat instrumenta verborum ad sacramentum conficiendum. Sed insit Eminentissimus Cardinalis: In hypothesi quod attentio sit de substantia orationis, ablata attentione, tollitur substantia orationis; adeoque evanescit instrumentum quo Deus utatur. Respondemus deficere substantiam moralem orationis, secus physicam. In sacramentis conferendis moralis iniquitas ministri non officit perfectioni sacramentorum, sed sibi dumtaxat. Cum dicimus attentionem spectare ad substantiam orationis, loquimur de oratione in genere moris accepta, quæ decorem, formamque habeat in suo genere. Neque hinc sequitur destrui ipsam physicam substantiam orationis vocalis distincte, & ordinate prolata. Hanc enim remanere quis inficias iverit? Porro hoc satis esse inquit prioris sententia Theologi ut verba sic distincte prolata eleventur ad sacramentum perficiendum. Ex his duabus sententiis eligant adversarii quam maluerint. Utcumque res hæc se habeat, perperam ex re sacramentaria argumentum elicitor ad inferendum orationem consistere posse absque attentione. Ex his quæ dicta sunt, corrunt ceteræ omnes argumentationes Lugonis. Cum aliquem alloquor, substantia orationis consistit absque attentione: verum habet: quia hæc oratio civilis est, & humanæ societatis instrumentum, quo interiora animi sensa mutuo communicantur. In presens sermo est de oratione in genere moris, & prout est virtutis, seu religionis actus. Hanc sine animi vel actuali, vel virtuali attentione spectrum esse, & larvam contendimus. Quod de locutione sine attentione cum excommunicato subditur, pace tanti viri dixerim, valde est ridiculum. Civilis communicatio cum excommunicato ab Ecclesia vetatur: nihilque in hoc exteriori commercio interior animi attentio curatur.

V. Latius fortasse quam par foret, disputatum est. Verum non mihi, sed Casuistarum recentiorum cavillis, vanisque commentis

tribuenda est, si qua fuit disceptationis prolixitas. Omnia sub oculos exponere volui, ut hinc lectores colligant, quam sit laxa, quam verbo Dei, Patrum doctrinæ, atque ipsi communi sensui adversa, & repugnans opinio illa quæ aut negat attentionem interiori in recitatione divini officii, aut cum attentione interiori ad verba componere satagit distractionem voluntariam ad negotia mundana, ad quæstiones dirimendas: quod idem revera est ac coniungere tenebras cum luce, occidentem cum oriente, cælumque terris permiscere. Nemo ergo in errorem pertrahi se sinat plurimum modernorum auctoritate pro laxa opinione pugnantium, prætextu probabilitatis extrinsecæ. Quippe adversus communem Patrum, & Theologorum, & luculenta rationum momenta nulla datur probabilitas. Eo est adversa opinio inexcusabilior, quo facilior, & suavior est sententia quam hactenus explicuimus. Accedit quod hæc laxa opinio de medio abripit spiritum orationis; homines divinas laudes celebrantes, veluti psittacos, merulos, picasque efficit; statuit, sacrosancto Evangelio repugnante, homines posse eodem tempore duobus dominis servire, Deo nempe preces canonicas persolvendo, & mundo illius negotia meditando. Hæc laxæ opiniones torporem, segnitiam, desidiamque fovent in divino servitio; hæc in causa sunt cur adeo frequenter audiamus divinas laudes præcipiti celeritate, confuse, & indevotè celebrari. Quoniam, sublata omni interiore attentione, & devotione, exterior oratio quid est nisi vanum simulacrum?

VI. Duo in istius disputationis calce adiacere lubet. Primum est monitum Dionysii Carthusiani *Lib. de vita Canonic. art. 19.* ubi hæc opportune scribit. „Quicumque divino officio adstricti estis, pure semper & strenue laudibus interesse divinis: strenue quidem, ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcedentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus, muliebri quoddam balba de nare sonantes: sed virili, ut dignum est, sonitu, & assatu voces spiritus depromentes; pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Sed heu! heu! In his inveniantur multi Canonici, multi pariter Religiosi non mediocriter defectuosi: qui & nimis cursorie psallunt, nec convenienter pulsant in medio, nec disciplinate, reverenter, ac timo-

„ra-

„rate stant coram Deo, sed potius dissolute.  
„Incultoditi in visu, incompotiti in moribus, proni ad levitates, ad risus, ad fabulationes; qui & faciliter se a divinis absentant, tarde veniunt, & exeunt ante finem. Et quomodo possunt ad sensum esse intenti qui tam indistincte, atque celerrime proferrunt verba sacra? Utinam hi attendant quod dictum est: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter:* & quod per Isaiam Dominus dixit, & ipsemet Christus in Evangelio allegavit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quid responsuri sunt isti Iudici summo, qui ea quæ carnis sunt, tam exquisite exercent, tamque diurne talibus immorantur, qui tarde nimis cantant matutinas, easque, sicut & ceteras horas, velocissime absolvunt? In suis autem prandis, coenis, convivis, & societatibus, confabulationibus, ludis, & iocis multo diutius sedent quam natura exquirat, necessitas postulet, ratio dictet. Porro de his quæ Dei sunt, & animarum concernunt salutem, cito nimis expediunt se. Omnino perverſa est vita ipsorum. Ideo respiciant, nec divino obsequio, & honorificentia Creatoris subtrahant debitum tempus, sed principaliora principalius, diligentius, maturius exequantur.

VII. Conferas velis cum his monitis, Dei verbo, sanctorum Patrum, & Theologorum doctrinæ apprimè consentaneis, quæ docent Probabilistarum plures. Duos, & qui inter illos principes merito numerantur, Tamburinum, & Caramuelem proferam. P. Thomas Tamburinus hæc scribit *Lib. II. meth. celebr. Miss. cap. VI. num. 5.* „Itaque qui Missam ex præcepto audiens, vel officium divinum persolvens, quæstionem philosophicam secum mente voluntarie obvolveret, vel sua negotia cogitaret, modo externam attentionem haberet, quia scilicet non poneret distractiones externas eius generis quas num. 1. diximus; ex probabili dicta opinione præceptum satis adimpleret.“

VIII. Ioannes Caramuel in epistola præliminari ad Dianam hæc docet. „Navarus, & quotquot internam attentionem requirunt in officio divino, v. g. confidenter vivacitate ingenii humani, concludunt vix, ac ne vix quidem posse hominem satisfacere sine aliqua distractione veniali. Sic de præceptis philosophantur. At nos, qui contra generosè sentimus, & sensum nostrum armato ratiocinio fir-

„mamus, non solum milites, sed & virgines fumus: possumus enim ita horis, aut aliis etiam Ecclesie præceptis satisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prolatio enim, & quæcumque alia extrinseca operatio est facillima, & humanæ Principum leges, ecclesiasticæ, aut secularis sint, non præcipiunt interna.“

IX. Audi quæ de seipso scribit in sua Theologia fundamentali num. 442. „Homo sum temetipso fragilior, præditus acri, & igneo ingenio. Uno momento caelos verso, altero ad subterranea descendo. Nulla in oratorio movetur musca quæ mihi non sit impedimento. Attendere lectioni desidero, & quoad possum, attendo; sed distractiones non evito; involuntarias millies, interdum etiam voluntarias: & nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor: quia prudenter suppono me ad actionem internam non teneri: eam habere bonum esse, & ea carere ne quidem esse levem culpam: me ad lectionem tantum, & attentionem externam obligari. Me legisse totum quod Rubricæ iubent, ita certo scio, ut possim iurare: ergo me ne venialiter quidem peccavisse in hac materia certo scio, & ita certo, ut possim iurare. Habeo igitur immunitatem, securitatem, & tranquillitatem, quibus cares, & quas habere poteris, cum volueris. Est enim liberum tibi deserere opinionem probabilem quam habes, & contrariam opinionem amplecti. Viden probabilistici commenti mirabilem vim? Quis hæc sine horrore legere valet?

X. Nonnulla alia subiiciamus ex P. Gobato. „Probabilius multo est essentiam orationis vocalis consistere cum perpetuis voluntariis distractionibus, seu evagationibus mentis: ita Cardinalis de Lugo ex instituto, Tamburinus *Lib. IV. in Decalogum cap. 11. §. 1.* Cottonius, atque omnes qui concedentes recitationem Brevariarii imperari ab Ecclesia per modum orationis, excusant a mortali foventem perpetuas distractiones. „*tract. v. num. 821.* Addit vero n. 837. „Utique sufficit attentio superficialis ad explendum totum præceptum horarum canonicarum. Tandem num. 182. subiungit: „Probabilius est non teneri ad ullam restitutionem qui cum voluntariis, & perpetuis distractionibus recitavit horas omnes, aut unam; modo integre, & cum intentione orandi. Plurima alia missa facio. Satis enim super-

que hæc sufficere arbitror ut cautum te reddam in similibus Probabilitatum lectione; immo ut ab his legendis libris prorsus te removeam. Ad pleniorum questionum istius explicationem nonnullas alias questionuculas resolvere lubet.

## §. III.

Nonnullæ aliæ questionuculæ resolvuntur.

I. **Q**uæst. I. Sufficit ne ad implendum præceptum attentio habitualis? Resp. Habitualis attentio in usu quodam, & assuefactione sita est, ut dum quis ex habitu aliquid peragit absque ulla sive prævia, sive actuali advertentia, sicuti solent homines in somnis efficere quod peregerunt in vigilia. Hanc non sufficere docent omnes qui defendunt necessitatem attentionis internæ. Cum aliquando in D. Thoma offendis, satis esse attentionem habituales, scias velim, nomine attentionis habitualis eum intelligere virtuales, ut ex plurimis contextibus liquet: quam virtuales attentionem satis esse iam cum omnibus Theologis diximus supra.

II. **Q**uæst. II. Sufficit ne attendere ad Deum, ut quis præceptum horarum canonicarum impleat? Resp. Ex tribus attentionibus ad verba, ad sensum, ad Deum, hæc tertia est omnium perfectissima: aliæ enim duæ, viæ sunt isthuc perveniendi. Eo quippe spectare orationes nostræ debent, ut in Deum mentes nostras erigant, atque in illius contemplatione, adoratione, & amore defigant. Quamvis ergo quælibet harum attentionum vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum satis sit; perfectior tamen attendendi modus est elevatio directa mentis in Deum.

III. **Q**uæst. III. Satis ne est meditari mysteria passionis Christi, aut Sanctorum, & B. Virginis gesta? Resp. Sunt aliqui qui negent. Verum probabilior mihi sententia est, & certa, quæ adfirmat id sufficere. Si de mysteriis passionis Verbi incarnati sermo sit, nec in questionem revocare prudens homo valet, sufficere ad hæc mysteria attentam habere mentem. Acta quoque B. Virginis, & Sanctorum cum proximam habeant ad Deum relationem, eo ipso in Deum mentem erigit illorum meditatio, sicutque eiusmodi obiecta aptissima ad excitandum divinum amorem, aliosque pios affectus perciendos.

IV. **Q**uæst. IV. An contingat quod quis ex negligentia peccet mortaliter in recitando preces canonicas? Resp. Hoc est quod in hac im-

plexa questione, quam fufius disputavimus, negotium non leve facessit animabus potissimum scrupulis subiectis. Conveniunt omnes negligentiam communem non transilire limites culpæ venialis. De negligentia crassa, & supina tota est difficultas. P. Dominicus Soto Lib. X. q. v. art. 5. inquit: *Nota, quod ex negligentia crassa mentem divagari permittit, eodem relabitur ac si consulto id faceret.* P. Thomas Sanchez Lib. VII. *Consil. cap. II. dub. 28. n. 14.* docet, quod licet Soti doctrina vera in aliis materiis sit, secus in ista de attentione in officio divino, & aliis precibus recitandis. P. Leander tract. VIII. *disp. VI. q. XIV.* sustinet, sola negligentia crassa non perpetrari crimen grave in hoc attentionis negotio: additque hanc sententiam docere omnes Theologos quos dedimus pro sententia defendente attentionis necessitatem. Nisi me amor fallit, si notio negligentia crassa, supinaque prodatur, una omnes conveniunt. Ea porro est negligentia crassa, ut mihi videtur, qua quis advertit se mente alio divagari, & a divino officio distractum esse; atque nihilominus minime curat ad semetipsum cor, mentemque revocare; sed veluti somniculosus nimio, crassoque torpore permittit mentem in suis divagationibus permanere. Quamvis hic non eliciat expressum voluntatis actum, quo deliberate velit distractiones; dum tamen advertit alienis se detineri cogitationibus, & a penso suo solvendo distrahi, & hoc non obstante negligit mentem cohibere suam, quis negare iure potest hunc peccare mortaliter? Hæc est autem Soti sententia, hæc Caietani, Suarez, & ceterorum Theologorum. Quod docet Sanchez, Soti doctrinam veram esse in aliis, secus in hac materia, puto aliquid veritatis habere, si sermo sit de illis morum actionibus quæ non pendent ex hac interna continua attentione. In illis quippe repetitiones actuum frequentes contra legem argumentum sunt crassæ negligentia; nec defectus inadvertentiæ excusare semper solet: quia facile quisquis in his actionibus, externis undequaque liberis, quæque non ita inopinato, & celerrime fiunt, advertere potest. Quare facilius in istarum actionum genere accidit negligentia crassæ peccatum. Verum, dum sermo est de distractione interiore mentis nostræ, quæ est adeo infirma, & fluctuans, & quæ nobis insciis in remotissimas se confert regiones: dum sermo, inquam, est de attentione non pro temporis brevissimo intervallo, nisi occurrat advertentia,

tionem peragere prout decet, & natura orationis exigit. Orationi autem ita est necessaria attentio, ut si desit, non oratio, sed simulacrum orationis habeatur. Non teneris alloqui Regem; at, si alloqui vis, debes ea servare quæ regis maiestati congruunt, nisi inurbanus, & agrestis haberi velis. Venialis autem, non mortalis est culpa hæc: quia cum oratio libera sit, nullum præceptum graviter obligans violatur. Non orationis, quia, ut supponimus, non urget: non attentionis, quia licet lege divina statutum sit ut attento animo orationes nostræ Deo fundantur; lex tamen hæc, seu præceptum graviter non obligat, sed leviter tantum, in oratione quæ ex libera devotione fit.

VI. **Q**uæst. VI. *Quæ sunt actiones externæ quæ internam animi attentionem impediunt, nequeuntque cum divini officii recitatione componi?* Resp. Omnes ad unum Theologi utriusque sententiæ, sive negantis, sive adfirmantis attentionis internæ necessitatem, docent peccare mortaliter eum qui dum recitat officium, in exterioribus actionibus occuparetur: quia omnes adfirmant necessariam esse, etiam vi præcepti ecclesiastici, attentionem, devotionemque exteriorem. Quin hanc potissimum exteriorem devotionem directe præcipit caput illud *Dolentes*, veratque exteriores occupationes. Neque in hoc difficultas est ulla penes Theologos. Quenam porro sint actiones istæ exteriores, non una est omnium opinio. Certum primum est quod scribere, pingere, aliud legere, vel audire sint actiones quæ attentionem tum internam, tum externam impediunt. Narrat Plinius Lib. VII. *cap. xxv.* Iulium Cæsarem scribere, & legere, simul dictare, & audire solitum accepimus; epistolas vero tantarum rerum quarternas, aut si nihil aliud ageret, septenas. Sed hæc per exaggerationem dicta sunt, ut summam ingenii perspicacitatem, mentisque velocitatem Plinius ostenderet Imperatoris. Nec enim fieri potest ut momento eodem hæc simul præstentur.

V. **Q**uæst. V. *Qui non ex præcepto, sed ex libera devotione preces recitat, peccat ne, si animo distracto eas fundat?* Resp. Distinguendum est. Quando præceptum divinum orationis urget, quod urgere frequenter, nempe diebus festis, supra ostensum est; tunc eadem attentio necessaria est Christianis orantibus, ac iis qui ex præcepto ecclesiastico recitant preces canonicas. Quare reiicienda est, ut enormiter laxa, quorundam Probabilistarum sententia, qua statuitur haud teneri fideles audientes Missam die festo attentionem adhibere. Hinc enim consequeretur, numquam urgere præceptum subiciendi animum Deo; sed exteriores dumtaxat sensus, seu corpus; cum tamen sacrificium nobilius quod a nobis Deo immolandum est, cor nostrum, & anima nostra sit. In ceteris vero precibus quæ non ex præcepto, sive ecclesiastico, sive divino, recitantur, attentio ita necessaria est, ut, si desit, culpa venialis perpetretur, numquam vero mortalis. Quod venialiter peccatur, patet. Quamvis enim nulla culpa sit orationem omittente; posito tamen quod orare velis, debes orationem peragere prout decet, & natura orationis exigit. Orationi autem ita est necessaria attentio, ut si desit, non oratio, sed simulacrum orationis habeatur. Non teneris alloqui Regem; at, si alloqui vis, debes ea servare quæ regis maiestati congruunt, nisi inurbanus, & agrestis haberi velis. Venialis autem, non mortalis est culpa hæc: quia cum oratio libera sit, nullum præceptum graviter obligans violatur. Non orationis, quia, ut supponimus, non urget: non attentionis, quia licet lege divina statutum sit ut attento animo orationes nostræ Deo fundantur; lex tamen hæc, seu præceptum graviter non obligat, sed leviter tantum, in oratione quæ ex libera devotione fit.

VI. **Q**uæst. VI. *Quæ sunt actiones externæ quæ internam animi attentionem impediunt, nequeuntque cum divini officii recitatione componi?* Resp. Omnes ad unum Theologi utriusque sententiæ, sive negantis, sive adfirmantis attentionis internæ necessitatem, docent peccare mortaliter eum qui dum recitat officium, in exterioribus actionibus occuparetur: quia omnes adfirmant necessariam esse, etiam vi præcepti ecclesiastici, attentionem, devotionemque exteriorem. Quin hanc potissimum exteriorem devotionem directe præcipit caput illud *Dolentes*, veratque exteriores occupationes. Neque in hoc difficultas est ulla penes Theologos. Quenam porro sint actiones istæ exteriores, non una est omnium opinio. Certum primum est quod scribere, pingere, aliud legere, vel audire sint actiones quæ attentionem tum internam, tum externam impediunt. Narrat Plinius Lib. VII. *cap. xxv.* Iulium Cæsarem scribere, & legere, simul dictare, & audire solitum accepimus; epistolas vero tantarum rerum quarternas, aut si nihil aliud ageret, septenas. Sed hæc per exaggerationem dicta sunt, ut summam ingenii perspicacitatem, mentisque velocitatem Plinius ostenderet Imperatoris. Nec enim fieri potest ut momento eodem hæc simul præstentur.

VII. Qui vero officii partem recitant, dum se induunt, aut lavant, necessariae attentioni non desunt, & præcepto satisfaciunt: quamquam enim aliqui dixerint, eiusmodi actiones impedire attentionem necessariam, atque adeo sic recitantem non implere præceptum; communior tamen, & probabilior est opinio contraria, quæ docet eiusmodi actiones nequaquam impedire attentionem. Sunt enim eiusmodi opera adeo

facilia, & familiaria, ut nullam, præter assuetudinem habitualem, requirant attentionem. Ad summum peccare quis venialiter possit contra orationis dignitatem hæc agendo; quamvis sine veniali etiam culpa hæc præstari posse certum sit. Nam constitutiones Ordinis nostri præscribunt ut Fratres se induentes officium B. Virginis recitent. Hoc autem officium vi præcepti, seu gravis obligationis ex sua institutione recitare tenentur diebus in Rubricis designatis Fratres Ordinis, ut declaratum est in Comitibus generalibus Bononiæ, ni fallor, sub Magistro Antonino Cloche celebratis. Quis porro dixerit, sanctos illos fundatores ritum hunc præscripsisse, si qui illum agerent, venialiter delinquerent? Illud potius adderem, eos qui mane surgentes se induendo præfatum officium recitant, sive alias preces, ut statim primitias illius diei Deo offerant, mentemque ad cælestia erigant, non modo venialiter non peccare, sed rem undequaque Deo gratam efficere. Optimi etiam Christiani illud in more habent, ut exacti signent se signo crucis, & se vestibus induentes consuetas recitent preces. Quis morem istum prætextu attentionis improbabat? Adest quippe sufficiens attentio. Quid quod ipse Rubricæ Missalis Romani quædam præscribunt preces Sacerdotibus, dum manus ablunt, & sacras vestes induunt, recitandas? Quod argumento est eiusmodi actiones se lavandi, & induendi ex quotidiana assuetudine ita familiares esse, ut non impediant necessariam attentionem. E contrario vero qui non devotionis causa, sed torpori, & deficientis fervoris in Dei servitio, data opera recitationem officii huiusmodi actionibus immisceret; eum peccare non ambigerem plus minusve, iuxta maiorem minoremve desidia, & languorem. Et, quod diximus de officio B. Virginis, idem de officio divino dictum volumus. Nullum quoque illos perpetrare peccatum arbitramur qui officium recitant, leniter obambulando, prata, & viridaria prospiciendo: quia hæc non impediunt ullo modo elevationem mentis in Deum, immo fortassis adiuvant. Nisi quisque ex sua peculiari infirmitate se ab eiusmodi prospectu distrahi, & a Deo avocari sentiret.

VIII. Quæst. VII. *Quid de iis dicendum, qui inter manuum labores preces recitant?* Resp. Dictum est, attentionem ad essentiam moralem orationis pertinere. Con-

stitutum quoque est, actiones exteriores, ut pingere, scribere, aliaque opera laboriosa exercere, attentioni impedimento esse. Propterea ne improbavimus optimos Christianos, ut artifices, agricolas, qui dum agros colunt, aut messim colligunt, Rosarium Beatissimæ Virginis alternatim canunt, in agris choros erigentes? Nostri quoque Ordinis fratres, quos *conversos* vocamus, dum panem conficiunt, pannos lavant, aut alia exercitia manualia in culina exequentur, Rosarium recitant. In precibus liberis attentionem necessariam diximus. Hanc attentionem in præfatis actionibus impediri omnes asserunt. Quid ergo? Suadendum ne ut ab hoc christiano more desistant? In morum questionibus aliqua occurrunt quæ vix præciso responso resolvi queunt. Hinc ratio urget, illinc mos adversatur. Dum ego ipse morem fratrum nostrorum, & agriculturalium, aliorumque artificum, preces inter labores recitantium, lumine naturali contemplatus sum, optimum absque hæsitacione existimavi morem. Quin mos iste tanta mihi ædificationi semper fuit, ut devotionem, pietatemque accenderet. En quo modo (mecum ipse recogitans dicebam) homines idiotæ, & illiterati mentem in cælum erectam tenent eo ipso tempore quo terram colunt, quo corpus laboribus torquent: & quasi pudore quodam suffundebatur, quod ipse cælestia semper tractans, mentem supra & infra terram reptantem habeam. Ita effabar naturæ dictata inaudiens. In præfens vero dum morem hunc ad regulas quas pro oratione ex communi Theologorum consensu tradidi, revoco, aqua hæret, & difficultatem fere patior. Dictum est enim, quod etiam in oratione libera attentio necessaria est; cui attentioni recentia mechanica opera directe repugnare videntur. Ex quo consequitur, preces cum his operibus componi minime posse; sed ex duobus unum seligendum esse. Hoc est consuetarium quod ex præiacto ratiocinio sponte fluit.

IX. Absit tamen ut hunc piorum Christianorum morem improbem. Scandalum quippe ingererem non leve, si operariis istis talem dissuaderem devotionem. Quid ergo, inquis, argumentationi facte respondes? Dico, quod voluntaria distractio in oratione semper noxia est. Clerici, Religiosi Deo dicati, qui ex præcepto tenentur pensam precum canonicarum solvere, qui tempore, & otio abundant, qui tranquillo animo

& a

& a quibusque curis seiuncto terrenis, laudes divinas celebrare possunt, peccant, si propriæ fortis oblitæ, inter corporis defatigationes proprio orandi munere funguntur. Christiani quoque omnes, dum suas consuetas ex libera devotione preces recitant, eas attento animo absque voluntaria evagatione persolvere tenentur. Porro si homines laboriosis corporis operibus mancipati tanta fervent devotione, ut ad omnia in Dei gloriam, Apostolo Paulo præcipiente, & hortante, facilius peragenda preces adhibeant inter ipsos labores: quis talem improbaverit consuetudinem? Ut paucis omnia perstringam. Religiosi, qui, nulla cogente necessitate, manuum laboribus divinas preces immiscent, proprio statui iniuriam inferunt, præceptum Ecclesiæ violant, omnemque ordinem pervertunt. Segregati quippe a sæcularibus negotiis in sortem Domini vocati sunt. Christiani quoque qui tempore precibus consuetis destinato laborant, a recto ordine recedunt. Ceterum illi qui nondum statis horis preces suas Deo fundunt, verum etiam, dum laborant, & sudore frontis panem indispuntur, mentem in Deum erigunt, & preces ea qua valent attentione recitant, non improbandi sunt, sed laudandi, non dissuadendi, sed hortandi, ut ferventius divinas canant laudes. Ut mea præfert opinio, quam monstrosum est in ecclesiastico viro precibus canonicis externa immiscere exercitia, tam pium ex adverso est in laico operario preces necessariæ corporis defatigationi addere. Neque argutando reponas, eiusmodi corporis exercitia, si natura sua impediunt attentionem, æque impedire in libera, ac in necessaria oratione; aque in laicis, ac ecclesiasticis. Quoniam ex dictis omnia resoluta manent: potissimum si recogites quod ratiocinia absoluta interdum deficiunt eventibus peculiaribus applicata.

X. Quæst. VIII. *Satisfacit ne præcepto recitandi horas canonicas qui simul Missam de præcepto audit?* Resp. Quamvis Summissæ quidam, ut Armilla, Angelus, alique id negent; communior tamen, & probabilior, ac vera sententia docet utrumque præceptum impleri posse eodem tempore. Nihil quippe peculiari Missæ auditio habet quod cum divini officii recitatione componi nequeat. Quis dixerit, te non posse ex devotione libera psalmos, & cetera quæ in Breviario leguntur, recitare, dum Missam ex præcepto audis? Porro si recitatio hæc

libera non impedit Missæ auditionem, nec Missæ auditio impedit devotam, & attentam recitationem officii; planum est neque auditionem Missæ interturbare recitationem officii ex præcepto; cum eadem sit utriusque, & liberæ, & necessariæ, orationis ratio, ad attentionem devotam quod attinet. Hanc communiter defendunt Theologi. Consultius tamen erit, diverso tempore diversa implere præcepta. Caietanus liquidem cum aliis contendit, peccare venialiter eum qui cum Missæ de præcepto auditione officium de præcepto recitat. Et sane quædam ordinis perversio videtur, fraudisque species, nisi temporis angustia inset. Qui enim tempore, otioque abundat, qua honesta ratione coniungit duorum præceptorum observantiam, si commodum habeat separatim eadem implendi? Qui ergo talia iungeret, numquam illum ego laudarem, numquam gravis culpæ damnarem, & numquam ab omni fraudis specie in pendendis tributis excusarem, si omnis abesset talia mandata coniungendi ratio.

XI. Quæst. IX. *Qui a somno vexatur, sapiusque dormitat, unaque ita resistit, ut internoscatur se omnia proferre, satisfacit ne præcepto?* Resp. Certum est non satisfacere illum qui dormit per notabilem officii partem, ut omnes fatentur. Si vero ita somno resistat, ut omnes versiculos proferat, licet cum aliqua difficultate; hunc satisfacere docet Leander II. *2. q. XIV. cum pluribus Theologis*; idque præ ceteris defendit Sanchez *Tom. II. Consil. Lib. VII. cap. 11. dub. 33.* Si in choro id accidat, videtur probabilis sententia, quia non potest in aliud tempus differre; & ex alia parte non videtur evidens ratio quæ obliget ad repetitionem. Si vero extra chorum somni molestia vexatur, in tempore magis opportuno recitationem differat. Qui vero somno obnoxius reservaret horas recitandas in lecto cum prævisione succumbendi somno, letaliter peccaret, quia probabilissimo peccandi discrimini se committeret: quam opinionem docent Navarrus, Bonacina, Suarez, & alii plures apud Leandrum *disp. iv. q. XXVI.*

XII. Quæst. X. *Qui probabiliter credit se horas dixisse, tenetur ne easdem repetere?* Resp. Quando quis probabiliter iudicat se aut horam, aut psalmum dixisse, nullo modo debet illum, sive illum reperere. Audi Navarrum, qui *cap. XIII. n. 30. & 32.* de oratione hæc scribit: *Non solum non*

tenetur repetere id quod probabiliter credit se dixisse; verum etiam male ageret, id faciendo, eo quod habitum, & consuetudinem concipiendi scrupulos superfluos sibi quaereret: eo item quod iterum ea repetens, ut plurimum iterum erraret, & ob id oporteret eum tertio, & quarto repetere, quod non semel mihi contingit, & scio aliis contingere: quia via est desipiendi, nisi relinquatur: eo etiam quod faceret contra illud Sapientis Eccl. VII. Ne iteres verbum in oratione tua. Novi ipse non paucos qui in recitandis horis canonicis ob assuetudinem iam inde a pueritia contractam, scrupulis usque ad superstitionem torquentur; in ceteris autem laxioris sunt conscientiae. Omnia sibi honesta, & licita putant, quod sint in celebrandis horis superstitioni.

## §. IV.

De intentione necessaria recitandi horas.

I. **B**revi perstringam quae de intentione recitandi divinum officium disputari solent, quoniam nulla gravis occurrit difficultas; sed omnia obvia sunt, & facilia.

II. **Q**uest. I. *Necessaria ne intentio est recitandi divinum officium?* Resp. Omnes fatentur necessariam esse intentionem, seu propositum voluntatis exequendi opus praecipuum. Porro duplex est intentio: altera expressa, & formalis; altera implicita, & virtualis. Illa est, dum quis hunc elicit actum: volo facere hoc opus mihi ab Ecclesia praecipuum; puta recitare officium, audire Missam. Implicita vero illa est quae continetur in actu praeterito formaliter elicit, vel in ipsa voluntate, & dispositione fungendi munere suo. Omnes fatentur non requiri intentionem explicitam, & formalem; sed satis esse implicitam, & virtuales. Porro ut haec virtualis intentio facilius percipiatur, praxis ipsa declaranda est. Qui de more Breviarium accipit, quamvis nihil cogitet, aut deliberet se velle exequi opus praecipuum; implet tamen praecipuum, quia habet re ipsa virtuales voluntatem satisfaciendi debito suo. Si enim interrogaretur, cur Breviarium illud recitaturus sumit: continuo responderet, ut redderet Deo debitum vestigial, praecipuumque impleteret. Ipsa enim Breviarium acceptio argumentum est voluntatis implendi debitum munus. Qui vero acciperet Breviarium animo se recreandi, aut aliquid memoriae mandandi,

minime satisfaceret: quia nullam haberet intentionem adimplendi munus suum: quemadmodum etiam non satisfaceret qui in virtus, & coactus recitaret.

III. **Q**uest. II. *Est ne necessaria voluntas, seu intentio implendi praecipuum recitandi?* Resp. Quod non requiratur voluntas expressa, & formalis, convenit fere apud omnes. Dissident vero de virtuali. Nam Suarez, Azorius, Fagundez, Villalobos, & alii sustinent necessariam esse virtuales intentionem implendi praecipuum. Vasquez, Hurtado, Bonacina, Valentia, Leander, & alii negant necessitatem illius intentionis. Verum lis est de nomine: qui enim virtuales intentionem habet exequendi opus praecipuum, eo ipso habet intentionem implendi praecipuum.

IV. **Q**uest. III. *Qui incipit recitare officium divinum cum animo expresso non satisfaciendi praecipuo, tenetur ne iterum recitare?* Resp. Hunc implere praecipuum, adeo ut non teneatur repetere officium, docet Leander *disp. iv. q. xl.* & pro sua opinione citat Bonacinam, Suarez, Lessium, Vasquez, Lugum, Dianam, Bassam, Tamburinum, Pellizarium, Fillucium, Reginaldum, & alios plures: quia qui sciens, & volens facit opus praecipuum, vere facit omne id quod a superiori praecipitur. Iste enim vere recitat officium cum vera attentione, & intentione illud recitandi. Ergo exequitur totum quod Ecclesiae praecipit.

V. **C**ontrariam opinionem defendunt Martinez de Prado *Tom. II. c. xxx. q. VIII. §. 1. num. 4.* & apud ipsum Sylvester, Medina, Navarrus, Ledesma, Rodriguez, Azorius, Carolus Macignus, Serra, Lopez, Texeda, Suarez in *III. Part. disp. lxxxviii. sect. 3.* Fagundez, Henriquez, Angles, Philibertus, Molfesius, Baldellus. Haec vero sunt sententiae istius rationum momenta. Si tu Paulo centum aureos debeas, centumque illi titulo donationis gratuito eroges, nulloque modo titulo solvendi debitum; quis dixerit ab onere solvendi debiti te esse liberum? Accedit quod necessaria est intentio implendi id quod a praecipuo imponitur. Haec autem intentio pugnat cum expressa voluntate non satisfaciendi praecipuo. Ergo qui recitat horas canonicas cum expressa voluntate non satisfaciendi praecipuo, illud reapse non implet.

VI. **A**dversae sententiae Auctores respondent, primam rationem urgere in iustitiae materia, secus in iis quae solum ex praecipuo

pto debentur. Verum hac responsio infirma est pluribus titulis. Et primum, cur in materia iustitiae, secus in alia, ratio haec urgere debet? Opus ex praecipuo debitum, & opus mere gratuitum, nonne duo sunt genera omnino diversa, quorum unum nullo modo ab alio pendet? Quoties ergo Clericus expressa voluntate titulo gratuita donationis pensum precum canonicarum Deo offert, testans se nolle hoc determinato vestigial solvere suum debitum; qua ratione dicitur, eum posse simul hac donatione debitum pendere? Dicas velim. Recitans potest ne, si velit, officium ex praecipuo libera & gratuita donatione Deo offerre; & alia officii recitatione praecipuum implere? Quis inficias iverit? Potest ergo, si velit. Vult autem re ipsa haec duo se iungere, quoties expressa voluntate deliberat, se nolle praecipuo tali recitatione satisfacere. Ergo re ipsa separat; atque adeo post gratuitam recitationem tenetur debitum implere. Accedit quod non solum in Beneficiariis, sed etiam in ceteris, quaedam iustitiae potestativae species est solvere vestigial precum canonicarum. Contractum siquidem debitum est tum in professione clericali, tum in receptione beneficii, solvendi in dies singulos tributum precum canonicarum.

VII. **S**ecunda responsio, qua dicunt optime stare quod quis velit opus praecipuum, & simul expressam voluntatem habeat non implendi praecipuum, non est praecedenti melior. Haec duo posse separari ultro fateamur. Sed si separentur, negamus impleri praecipuum. Quid quod ipsi adversarii fatentur, neminem posse invitum, & coactum implere praecipuum? Porro, dum tu expresse non vis hac tali recitatione implere praecipuum, recentiores isti te invitum volunt illud implere. Quare secunda opinio mihi est probabilior. Validius illam firmarem, si alicuius momenti esset. Verum commentitia mihi est huiusmodi hypothesis. Quis enim adeo demens est, ut deliberate velit opus praecipuum, nolique implere praecipuum; & deinceps velit praecipuo satisfacere? Ego, si omnes aliae rationes deficerent, hunc ad iteratam adigerem recitationem in poenam tam stultae deliberationis.

VIII. **Q**uest. IV. *Qui divinum officium recitavit animo non adimplendi praecipuum, tenetur ne animum mutare, si nolit illud repetere?* Resp. Negantem opinionem defendunt Leander, Sanchez, Salas, Lugo, Bassus, & alii, quos citat ipse Leander

q. xlii. Adfirmat e contrario Suarez, Aragon, Lessius, Azorius, Trullenchus, & alii. Quid resolvendum sit, patet ex iis quae dicta sunt quaestione praecedenti, debere nimirum hunc qui praefato modo divinum officium recitavit, & mutare animum, & illud repetere.

## §. V.

De pronuntiatione, seu voce, qua preces canonicae persolvendae sunt: & de privilegiis Regularium in hac materia.

I. **Q**uest. I. *Satis ne est sola mente absque voce exteriori divinum recitare officium?* Resp. Necessum esse illud voce pronuntiare, minimeque satis esse illud mente percurrere, docent omnes. Idque colligitur tum ex ipso capite *Dolentes*, ubi praecipitur distincta recitatio, & ex pluribus Conciliis id iubentibus; tum ex fine institutionis divini officii, qui finis est erigere in Deum non solum propriam, sed etiam aliorum mentem.

II. **Q**uest. II. *Spektato communi iure, qui sola mente percurreret officium, satisfaceret ne sua obligationi?* Resp. Pro sententia adfirmante, refert Leander Brunum Chassaing, & Ludovicum a Conceptione Trinitarium. Ipse vero Leander non reicit ut improbabilem hanc opinionem; immo sibi durum videri asserit quod talis opinio a P. Suarez, & a P. Martinez de Prado improbabilis reputetur: quae tamen non improbabilis modo, sed manifeste falsa est. Praecipuum enim recitandi canonicas preces ecclesiasticum est, quod in omnium sententia directe spectat exteriorem recitationem, quae immediate ad forum Ecclesiae pertinet. Nec plura sunt facienda verba in refatis aperta.

III. **Q**uest. III. *Regulares fruuntur ne privilegio aliquo mentaliter recitandi officium, dum privatim extra chorum illud persolvunt?* Resp. Ut quid probabilius adfirmat Leander *disp. iv. q. xlv.* & pro hac sua opinione laudat Sanctorium a Melfi, Rodriguez, Mirandam, Villalobos, Thomam Hurtadum, Ioannem de Cruce, Ascanium Tamburinum, Thomam Tamburinum de *Meth. Miss. sacrif. Lib. II. c. ix. §. 3.* & Persicum. Thomas Hurtado *Tom. I. Ref. mor. tract. III. c. i. ref. 9.* & *Tom. I. de resid. ref. 9.* fufe hanc quaestionem versat, & invehitur contra Dianam, qui relata hac opinione, sic concludit. *Huc usque Sanctorius,*

Etiorum, cuius opinio, an probabiliter in praxi admittenda sit, iudicent alii. „ Cur ipse „ Diana ( inquit Hurtado ) non iudicat „ quando eius iudicium desideratur? Aut „ enim iudicat, dum legit Sanctorum, eius „ fundamenta esse probabilia; aut non. Si „ primum, dicat sententiam probabilem; „ si secundum, dicat sibi non placere, & „ non suspendat animos legentium, ut dum „ in multis aliis se determinat, sententiam „ suam in hoc declarare non differat, quod „ huic Doctori pervium est. „ Iustissima „ censura, quam suo loco fusius nos explica- „ bimus, & pessima confectaria quæ ex hac „ Dianæ, & plurium aliorum Casuistarum „ methodo proficiuntur, exhibebimus. Hur- „ tado autem relatam opinionem ut securam „ in praxi defendit.

IV. Patres Salmanticenses tract. vi. cap. „ III. punct. VII. n. 41. hanc opinionem pro- „ babiliorum, nedum probabilem reputant, & „ defendunt, atque privilegium quod Leo X. „ anno 1516. & sui Pontificatus IV. die 16. „ Aprilis concessisse fertur, exscribunt sequen- „ tibus verbis. *Ne Fratres mutuo se impediant „ in officio divino, aut aliis sint fastidiosi, „ quod illa quæ in ordinario iubentur dici se- „ creto sub silentio, tam in horis canonicis „ quam in Missa, non teneantur proferre vocali- „ ter; sed satisfaciunt dicendo mentaliter, „ aut legendo intra se per librum: quia aliqui „ devotius sic dicunt, & absque impedimento, „ & fastidio aliorum; & quod eodem modo „ possit facere qui solum dicit officium per se, „ cum prolatio verbalis sit præcipue ut ab aliis „ intelligatur.* Hoc privilegium esse dumtaxat „ vivæ vocis oraculo concessum, relataque „ verba non Pontificis, sed Fratrum suppli- „ cantium esse, fatentur omnes. Porro esse in „ suo robore laudatum privilegium, licet sit „ vivæ vocis oraculum, probant Salmantice- „ ses cum Hurtado, & aliis, quod confirma- „ rum sit per Bullam a S. Pio V. editam, „ quam refert Peyerinus Tom. III. priv. cap. „ ad constitutionem S. Pii V. in ordine 7. tran- „ sitque in privilegium bullatum. Accedit „ quod eiusmodi privilegium, seu vivæ vocis „ oraculum, fuit declaratio iuris communis cap. „ Dolentes. Sed vivæ vocis oracula quæ sunt de- „ clarationes iuris communis, non fuerunt re- „ vocata. Addunt vero laudatum vivæ vocis „ oraculum concessum pro recitatione publi- „ ca, & Missa, in his quæ secreto dicenda „ erant, extendi ad privatam totius officii „ recitationem, ob illa verba contenta in pri- „ vilegio, quod prolatio verbalis sit præcipue

ut ab aliis intelligatur. Concluduntque posse „ modo Regulares uti dicto privilegio recitan- „ di mentaliter totum officium divinum.

V. Hæc opinio falsa est, & salvo meliori „ iudicio, valde laxa. Oraculum Leonis X. „ viva voce concessum, saltem ut refertur ab „ his Auctoribus, suppositivum est, & com- „ mentitium, tum quod nullo authentico do- „ cumento firmatum sit, tum quod omni veri- „ similitudine, ne plus dicam, careat. Et pri- „ mum quæro a Salmanticensibus, utrum Re- „ gulares fruentes hoc privilegio mentaliter re- „ citandi totum divinum officium, valeant si- „ mul illorum altera opinione uti, nempe „ quod possint deliberate mentem alio distra- „ here. Erit ne tunc necessaria intima mentis „ attentio? Nam attentioni ad verba locus „ tunc esse nequit. Erit ergo tunc attentio in- „ terior necessaria; nisi dicere velint, satis esse „ oculis percurrere breviarium, ut præceptum „ impleatur. Si necessaria est mentis attentio; „ qua via supplenda erit, dum mens nobis in- „ scis alio abripitur? Dum oblivio contingit „ eorum quæ mente meditati sumus? Reli- „ giosi scrupulis subiecti, pro quibus, ut iam di- „ cturi sumus, concessum fuisse fertur privile- „ gium laudatum, in quas se conicerent an- „ gustias, hanc mentalem recitationem exer- „ centes? Nullus ergo elucet finis congruus i- „ stius concessionis. Cum vero ex alia parte iu- „ ri communi evidenter adversetur, & om- „ nium sæculorum consuetudini, quæ semper „ obtinuit, voce pensum canonicarum precum „ solvendi; consequitur laudatum privilegium „ suppositivum plane esse, omnique rationabili „ deservit congruentia.

VI. Accedit quod potissimum fundamen- „ tum cui PP. Salmanticenses innituntur, sit „ illud quod, teste Peyerino, S. Pius V. lau- „ datum vivæ vocis oraculum in constitutione „ sua 7. confirmaverit. Constitutionem hanc „ integram refert Peyerinus Tom. non III. ut „ citant Salmanticenses, sed II. pag. 287. cu- „ ius initium est, *Etsi Mendicantium Ordines*. „ Integram percurri, & nec veròum of- „ fendi quo istius oraculi mentio fiat. Quin „ nec Peyerinus in notis ad præfatam con- „ stitutionem istius oraculi meminit. Quare „ quemadmodum oraculum Leonis, ita & con- „ firmatio S. Pii V. commentitia prorsus est. „ Adde Peyerinum ipsum, qui hanc quæstio- „ nem versat Tom. I. pag. 352. n. 4. & laudatum „ oraculum Leonis X. exscribit, & reiecta alio- „ rum opinione, his verbis exponit. „ Consi- „ derando itaque finem illius privilegii Leo- „ nis, qui fuit mederi Fratribus scrupulosis,

„ dico, quod reperiuntur aliquando Fratres „ aliqui, & ego cognovi plures, ita timora- „ ta conscientia, & agitati scrupulis, ut cum „ est dicendum aliquid secreto in choro, „ non sibi satisfecisse putent, nec divini offi- „ cii penso, nisi ita illud proferant, ut ipsi „ clare audiant (bonarum enim mentium) est „ ibi culpam timere ubi etiam culpa non „ est. Cap. Consilium §. Cum autem de „ observ. ieiun. cap. Ad eius dist. v. fine. ) „ Ex quo sequitur quod alii viciniore murmur „ illud audiendo, fastidium grave sentiant, „ & minus devote dicant quod dicendum „ secreta est. Concedit itaque Papa quod „ isto casu scrupulosi illi possint id quod „ secreto dicendum est, mentaliter recitare, „ vel legere intra se per librum. Quod si „ hoc modo mentaliter dicta recitando fen- „ tiant interius devotionem maiorem, ut „ etiam idem possint facere, cum privatim „ recitant. Non sequitur ergo quod totum offi- „ cium divinum possit dici mentaliter, quia „ id non dicit Papa; sed solum quod mentali- „ ter dici possint ea quæ in officio, vel Missa „ dicenda sunt secreto, cum conditione, si ma- „ ior devotio sentiantur. „ Hactenus Peyerinus, „ quem pro contraria opinione laudant „ Salmanticenses cum aliis. Sic explicatum o- „ raculum aliquam verisimilitudinem præfert. „ Verum nec sub hac conditione latum fuisse „ evincunt illius assertores, qui dumtaxat scri- „ bunt factum fuisse oraculum istud Lantio Car- „ dinali SS. quatuor Coronatorum, nullo pro- „ ducto monumento.

VII. Antequam ultra pergam, admo- „ nitum te esse velim, quam caute legendi sunt „ recentiores Moralitæ, quamque necessum „ sit vocem sæpe exaltare, calamumque acue- „ re, non in illorum personas, quas semper „ credimus pia mente scripsisse, sed in illorum „ laxitates. Serio tecum animo reputes velim, „ quanta istorum plures securitate pontificia „ oracula vel suppositiva, vel ambigua, vel „ in alienos prorsus sensus detorta, evulgent „ ut sincera, & genuina. Hinc vero laxas opi- „ niones pro certis morum regulis eliciunt. „ Rationes, & coniectura omnes conspirant „ in suppositionem dicti oraculi; nihilominus „ ut certum producant. Sed, quod peius est, „ oraculum ipsum, admitta etiam illius authen- „ ticitate, in alienum prorsus sensum detor- „ quant, litterali verborum sensu repugnante. „ Quippe, ut verba oraculi sonant, interprete „ vel ipso Peyerino, Auctore: haudquaquam „ ad severitatem propenso, Pontifex facultatem „ scrupulis obnoxii impertit ut illa pauca

quæ secreto in choro promenda essent, va- „ leant mentaliter recitare, ne aliis fastidio „ sint; & si maiorem devotionem experiantur, „ id præstare possint etiam dum privatim eiuf- „ modi meticulosi recitant; respectu tamen „ illorum verborum tantum quæ secreto in „ choro promenda sunt, minime vero respectu „ totius officii.

VIII. Quid hinc colligunt nostri docti iu- „ niores? Duo ipsi tamquam certa nobis di- „ vendunt. Primum est, quod laudatum ora- „ culum, solis medendis scrupulis concessum, „ extendatur ad omnes indiscriminatim Regu- „ lares. Alterum est, quod privilegium limi- „ tatum ad illa sola verba quæ secreto in choro „ dicenda essent, extendatur, & dilatetur nul- „ lo præscripto limite, ad totum officium di- „ vinum. Et sic orationem vocalem in precibus „ canonicis persolvendis de medio auferunt abso- „ lute ab iis Regularibus omnibus qui chorum „ non frequentant; & ab iis domibus religiosi- „ quæ propter studium exemptionem impor- „ tant a chori frequentia. Quis scandalum, & „ horrorem quemdam non experitur inaudiens „ sublatum Regularibus privatis onus celebra- „ di labiis suis laudes divinas? Quis non mi- „ retur Auctores istos tanta libertate dividendere „ pontificia oracula, non aliis nixos momentis, „ nisi alicuius Casuistæ auctoritate? Vix unus „ evulgar in Regularium favorem aliquod pon- „ tificium oraculum: hoc alter confestim, nul- „ lo præmissis examine, transcribit; & aucto „ exscriptorum numero, illud plures defen- „ dunt; ut ex hoc Leonis pro mentali officio, „ ex altero Gregorii XIII. Pauli V. aliorum- „ que Pontificum pro chocolate, & ex innu- „ meris aliis, quæ suis locis indicabimus, con- „ pertum est. Quapropter nemo mihi iure „ succensere potest, si, ut lectores errandi „ periculo subducam, stilum pro re nata acuo; „ sed potius me optime meritum iri de re „ theologica apud prudentes spero.

IX. Addo, præfatam oraculum nullius esse „ roboris: tum quod Gregorius XV. & Urbanus „ VIII. illud, & alia vivæ vocis oracula „ prædecessorum Pontificum revocaverunt: „ tum quod ratio quam post Thomam Hurta- „ dum, & Lezanam obtrudunt Salmantice- „ ses, videlicet oraculum istud esse declaratio- „ nem iuris communis, prorsus falsa est; „ immo directe iuri communi adversatur. Ius „ quippe ecclesiasticum commune conceptis „ verbis præcipit clara, & distincta voce per- „ solvi divinum officium. Nec est in re aperta „ diutius immorandum.

X. Quæst. IV. Quomodo intelligendum est „ pri-

privilegium Clementis VII. concessum Theatorum Superioribus dispensandi super recitatione officii cum Predicatoribus, Confessariis, aliisque Religiosis? Resp. Privilegium habetur in Tom. I. Bullarii Clem. VII. constitutione non VIII. (ut citant Salmanticenses loc. cit. n. 55.) sed XXXVIII. estque sequentis tenoris. Nos vestris etiam tunc supplicationibus inclinati, ut Superiores vestri, Prepositi nuncupati, pro tempore existentes, cum Clericis, & sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus, aut studio litterarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate, aut infirmorum curatione, & ministerio pro tempore prepedirentur, super recitatione divinarum officiorum, ad hoc ut ipsi occupati, vel impediti certum psalmodiarum per ipsos Superiores eis assignandorum non minus septem, aut sex, cum divisione, ac orationem dominicam septies, symbolum Apostolorum bis, graviter autem agrotantes, orationem dominicam semel, & salutationem angelicam septies in die recitando, septem horis canonicis, & toti divino officio satisfecisse censerentur, & cum quibusvis Clericis, & sociis vestris in preveniendo, vel postponendo, uniendo, vel decidendo, in communi, vel speciali horas canonicas, ac in breviandis, & protelandis lectionibus. Nimis essem, si isthuc transcribere vellem omnia interpretamenta, quibus Pasqualigus potissimum, & alii extendunt hoc indultum ad eximendos omnes fere Concionatores, Confessarios, Lectores Scripturarum, Theologiae, editores librorum, & similes ab onere recitandi officium.

XI. Audiamus Salmanticenses loc. cit. n. 57. hac ex P. D. Pasqualigo adoptantes. Ex quo infert Pasqualigus, quod, ut possit in recitatione horarum dispensari ex vi huius privilegii cum occupato in cura infirmorum, studiorum &c. non requiritur quod non supersit tempus congruum ad recitandum, quia hoc ipso ex iure communi excusatur a recitatione; sed sufficit, si cura, vel occupatio petat continuam assiduitatem; nisi alias compatiatur cum recitatione. Infert etiam, Confessarios posse dispensari illis diebus quibus assidue vacant confessionibus, ut in diebus proximis ante Pascha, aut aliam festivitatem antecedentibus, quibus adeit magnus concursus poenitentium, tempore iubilaei, aut quavis alia occasione. Infert etiam quod Concionatores quotidie in quadragesima concionantes possunt in hoc dispensari, modo conciones non ita memoria retineant, ut

fine ullo fere studio concionari possint. Infert denique, Lectores sacrae Theologiae, Scripturae, sacrorum Canonum, Casuum conscientiae posse dispensari tempore lectionum pro illis diebus quibus in studio pro lectionibus adeo sunt occupati, ut eis per totum diem, aut saltem pro maiori parte vacent: quod procedit proportionabiliter de scholasticis, qui talibus student facultatibus; & idem est dicendum de illis qui scribunt libros edendos; modo sint de rebus sacris, & toto fere die, vel maiori parte in hoc studio occupentur.

XII. Haec omnia referunt laudati Salmanticenses ex Pasqualigo, cuius libro careo: nec illa laudati Patres improbant; quae tamen improbanda esse nemo fanioris Theologiae professor non videt. Siquidem, quemadmodum P. D. Zacharias Pasqualigus sexaginta circiter Christianorum genera ab ieiunii praecipio eximit, soloque otiosos quosdam ieiunio subiicit; sic solos Regulares ignorant, & indoctos ad solvendum precum canonicarum pensum adigit. Quoniam ab his precibus recitandis solvit Confessarios, Concionatores, occupatos in aegrotorum cura, Lectores sacrae Theologiae, Professores sacrae Scripturae, Doctores sacrorum Canonum, Magistros Casuum conscientiae, & denique scholares qui his studiis, & sententiis sedulam navent operam. Omnes ergo isti qui per totum diem, vel saltem per maiorem diei partem in praefatis exercitiis laborant, onere divini officii soluti sunt. Laudatum privilegium communicabile est aliis Regularibus. Igitur in sacris Ordinibus ob proximorum salutem fundatis, quique ex instituto in litterarum studia potissimum incumbunt, paucissimi erunt recitandi officii divini praecipio obnoxii: quippe in praefatis ordinibus seniores in audiendis fidelium confessionibus, iuvenes in excipiendis lectionibus aut Theologiae, aut Scripturae sacrae, aut Canonum, aut Casuum conscientiae; Professores autem in his tradendis scientiis, Praedicatorum in concionibus habendis aut totum, aut certe maiorem diei partem infumunt. Exempti igitur erunt ab officio divino hi omnes, si Pasqualigo, & Salmanticensibus, & aliis iunioribus fides sit adhibenda. At utinam non adhiberent multi! Quot Concionatores hac laxa decepti doctrina, dum in quadragesima quotidie conciones habent, officium divinum recitare negligunt cum magno Parochorum, & saecularium scandalo? Nec erubescunt eiusmodi divi-

divini verbi buccinatores palam dicere se invitentibus privilegium sibi esse quo ab officio recitando eximuntur. Et, dum postea illos vident non levem temporis partem infumere aut in ludis, colloquiis, confabulationibus, aut circumeundo domos, vicos, & plateas civitatis, non leve patiuntur scandalum. Quid ergo mirum, si plures habeamus rabulas, plures bacchantes; paucissimos vero sancti verbi dignos ministros? Quid mirum, si nullum videamus in auditoribus profectum, nullam in moribus reformationem? Eiusmodi ne Concionatores pleno ventre, ut cum Hieronymo loquar, ieiunium suadebunt? Ad preces Deo fundendas accendent fideles, qui nec preces vi praecipio debitas solvunt? Quenam tantae relaxationis, & deformitatis causa, & origo tot malorum? Una sane, & potissima est Casuistarum plurimum laxa opiniones.

XIII. Sed istorum rationes, seu potius argumentationes, audiamus. Si praefata exercitia continua essent, ita ut nullam temporis partem recitando officio relinquerent; exempti tunc essent Regulares a dicto onere absque ullo privilegio, sed iure communi. Privilegium autem, ut non sit inutile (inquiunt loc. cit. Salmanticenses) debet aliquid operari ultra id quod conceditur iure communi; nimirum operatur esse licitum dispensare in ea (recitatione officii) quando dicta occupationes de se ad excusandum non sufficerent. Haec interpretamenta in alienum, & falsum sensum privilegium detorqueant. Paucis repello eiusmodi cavillos, & sophismata. Iure communi Regulares recitando officio divino astricti sunt quotidie. Vi praecipio positivi nemo Regularium in particulari tenetur concionari, legere, confessiones audire. Praecipium divinum, & naturale, quod locum habere potest in extrema necessitate, rarissime urget. Quare vi iuris communis Regulares, quantumvis sit magnus poenitentium concursus, tenentur prius officii pensum solvere. Et Concionatores potius tenentur absolute, & seclusa peculiari circumstantia, a concionibus quae non sunt in mandatis, desistere, quam officium ex praecipio debitum omittere. Porro indultum pontificium id operatur, ut si Regulares nequeant haec duo simul iungere, possint eorundem superiores dispensare super recitatione officii, aut observantia ieiunii, quo valeant & conciones habere, & confessiones audire. Hic est germanus praefati indulti sensus; quidquid in oppositum commententur recentiores Theolo-

gi. Addiderim, dispensationem etiam locum habere, cum dubium est, queant ne, an secus, dictas occupationes cum horis canonicis componere. Ceterum, cum tempus congruum suppetit, concionandi, docendi, confessiones audiendi &c. ac recitandi etiam horas canonicas; nulla tunc Superiores fruuntur potestate dispensandi subditos suos ab officio recitando. Et opinio quae oppositum docet, tamquam improbabilis, & laxa reiicienda est.

XIV. Alterum privilegium referunt citati Salmanticenses loc. cit. n. 58. concessum ab Eugenio IV. Monachis D. Benedicti Congregationis Hispaniae, quodque habetur in Compendio Privilegiorum Ordinis illius, ut testantur Lezana, Tamburinus, & alii apud ipsos. Privilegio hoc impartitur Pontifex ut quilibet Praelatus Monasteriorum libere possit dispensare cum omnibus Monachis qui sine radio non possint dicere horas canonicas; & quod tempore infirmitatis, & postquam convalescerint loco horarum, aut officiorum, ad quae alias tenebantur, dicant aliquid certum ad arbitrium ipsorum ministrorum, & non teneantur ad illud officium canonicum, & quod cum ipsis Praelatis quilibet Presbyter Monachus per quemvis eorum eligendus dispensare possit. Simile privilegium concessit Martinus V. Fratribus D. Hieronymi. Quae privilegia, tametsi viva vocis oraculo concessa, in suo vigere robore, posseque iisdem Regulares frui, docent Bordonius, Tamburinus, Pellizarius, Miranda, & alii apud eisdem Salmanticenses. Verum apud me nullius roboris sunt: tum quod revocata fuerunt a S. Pio V. tum quod haec viva vocis oracula, nisi certis, & authenticis documentis firmata constent, mihi suspecta sunt. Quod autem comminiscuntur Bordonius, & Pellizarius apud eisdem Salmanticenses, revocata esse ea dumtaxat viva vocis oracula quae aliis praedictum inferebant, secus ista, de quibus loquimur; arbitrarium est, & commentitium. In eiusmodi facti resolutionibus documenta adducenda sunt, quibus evincatur sic reipsa contigisse; alioquin nullius momenti est istorum Auctorum interpretatio.

XV. Quartum privilegium concessum dicunt a Leone X. Fratribus Minoribus, teste Rodriguez peres laudatos Salmanticenses, ut possint officia feriarum, quae sunt proximiora, anticipare diebus quibus sunt otiosi, & officia festiva, quae sunt breviora, reservare in illos dies quibus se credunt esse occupatos in concionibus, & confessionibus audiendis. Cuius pri-



privilegii hanc nobis exhibent interpretationem perdocti Salmanticenses n. 59. Ad usum huius privilegii, ut diximus, non requiritur (inquiunt) tanta necessitas, ut sufficiat ad omittendas horas ratione occupationis supervenientis; sed sufficit sola maior commoditas, facilitas & utilitas studii, prædicationis, & cuiusvis ministerii. Id autem quod dicit Lezana Tom. I. c. XII. n. 30. id privilegium nihil in præsentiarum valere, eo quod non constet, an sit vivæ vocis oraculo concessum; admittendum non est, tum propter ea quæ diximus num. præced. tum etiam quia Doctores tradunt communiter in dubio, an privilegium fuerit, vel non, revocatum, præsumendum esse non esse revocatum, & in suo robore persistere: quia possessio stat pro privilegio, & sic semper melior est illius conditio. Et pro hac opinione citant Rodriguez, Pellizarius, Tamburinum, atque Antonium a Spiritu sancto. Hac omnia ex arbitrio dicta sunt. Revocata absolute fuisse vivæ vocis oracula a S. Pio V. aliisque Pontificibus, nobis certo constat. Nullum afferitur documentum quo probetur, in hac revocatione non esse inclusa laudata privilegia. Ratio dubitandi non alia est, nisi quia Bordonius, Pellizarius, Miranda, Tamburinus se dubitare aiunt. Hæc ergo dubitatio arbitraria est. Quid quod hoc privilegium, ut explicatur a Salmanticensibus, præceptum recitandi officium iuxta rubricas præscriptas ab Ecclesia penitus eludit? Officia feriarum prolixiora diebus quibus Fratres sunt otiosi, recitent, & breviora ad illos remittant dies quibus prævident se occupatos fore? Sola maior commoditas, & facilitas? Quodvis ministerium satis est ad eximendum ab observantia præcepti? Præsumendum ne est, Pontifices adeo laxare voluisse habenas Regularibus, qui suis assiduis precibus ceteris omnibus exemplo esse debent? Privilegia ergo laudata, seu vivæ vocis oracula, quæ sua natura suppositionis notam produunt, reiciamus cum eorumdem commentariis. Hæc sola interpretamenta Casuistarum laxitatem perhibent.

XVI. Privilegium quintum concessum a Leone X. Minoribus subdunt Salmanticenses, aiuntque illud referri in *Compendio Sorbi verb.* Officium divinum r. §. 8. quo Pontifex concedit ut Religiosi dicti Ordinis non teneantur repetere officium, etiamsi male pronuntiaverint, vel plura non intellexerint, quæ ab aliis dicantur, maxime in choro, ut te-

stantur Ioannes a Cruce, Antonius a Spiritu sancto, Martinus a S. Ioseph. Et Innocentius VII. concessit Minoribus iisdem ut non valentes distincte recitare in choro ob defectum visus, vel auditus, si quid horarum sic omittant, satisfaciant dicendo in fine horarum aliquem psalmum, vel precem dominicam. Pro istius privilegii confirmatione referunt auctoritatem Ioannis a Cruce. Addunt Leonem X. impertisse iisdem Minoribus ut satisfaciant divino officio, si illud recitent sedendo, ambulando, vel non integre verba proferendo, vel ob negligentiam, imperitiam, aut defectum linguæ, vel alio modo, vel cum animi distractione; & dummodo id non fiat ex malitia, id est cum plena advertentia, non teneantur quidquam repetere. Idque referunt ex auctoritate Martini a S. Ioseph. Hoc privilegium ut futile commentum reiciimus.

XVII. Sexto loco adducunt iidem Salmanticenses vivæ vocis oraculum concessum a Clemente VIII. teste *Casarub. in Compendio verb. Monial. n. 30.* quo conceditur ut Moniales ad chorum deputatæ, quæ iudicio Prælati, vel Confessarii ignorant distincte recitare officium divinum, valeant recitare preces quas sorores laicæ recitare solent. Qua facta positione, Moniales istæ quæ hoc privilegium acceptarunt, non peccant mortaliter, si omittant has substitutas preces, inquit Pellizarius apud eosdem Salmanticenses, qui talem opinionem non improbant. Improbendam vero esse nemo non videt. Si enim peccant mortaliter officium omittentes; cur non peccabunt, si exequi negligent quod loco officii divini substituitur? Nec verum existimo quod iidem Salmanticenses addunt, videlicet privilegium istud prodesse, ut novitia Monialis, quæ sub finem novitatus ignorat recitare divinum officium, possit emitte abque dilatione professionem, & recitare officium laicarum, usque dum didicerit officium divinum. Quo modo enim ad professionem admitti valet novitia Monialis, quæ professionis emittendæ pensum reddere nequit? Cur ad chorum deputari debet, si quæ sunt chori peragere nescit? Differenda igitur professio est, donec Novitia didicerit divinum recitare officium.

XVIII. Septimum privilegium bullatum vocant, quod concessum ferunt ab Innocentio IV. Monialibus S. Claræ, quibus facultas impertitur recitandi officium sororum laicarum, quando ob rationabilem causam preces canonicas celebrare nequeant. Verba-

Bul-

Bullæ, quæ ordine x. est, sequentia sunt. *Et quæ occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere horas suas, liceat eis, sicut aliæ sorores, dicere Pater noster.* Tria animadvertunt Salmanticenses loc. cit. num. 62. cum Pellizario in hunc textum. Unum est, quod in dicta Bulla cum nulla fiat mentio Prælati, Abbatis, vel Confessarii, poterunt Moniales seipsis, absque cuiusque consilio, & non petita Superioris licentia, præfate uti privilegio. Consequitur tamen erit, si licentiam petierint. Secundum, quod rationabilis causa utendi hoc privilegio non est gravis aliqua difficultas, vel indispositio, vi cuius ex iure communi dispensatio licita esset; sed rationabilis causa reputatur, si Monialis sit scrupulosa in recitatione officii, si minus expedit legere sciat, si sit valde defatigata, si in manibus habeat aliquam extraordinariam occupationem. Tertium, quod dictum privilegium vi communicationis suffragatur Religiosis quorumcumque Ordinum habentium communicationem privilegiorum: quoniam communis est Theologorum sententia quod Moniales fruuntur privilegiis Fratrum, & quod Fratres gaudeant privilegiis Sororum. Hinc inferunt, Religiosos posse modo dicto, rationabili occurrente causa, officium canonicum commutare in tot Pater noster laicorum. *Et rationabilis causa* (inquiunt Salmanticenses n. 62.) *in eis iudicatur vel aliqua ex dictis, vel, si actum extraordinarium litterarum habituri sunt, si concionentur in quadragesima, vel alio tempore, etsi non quotidie* (fortassis vel ipsi Pasqualigo hoc nimium videbitur) *cum labore non ordinario; si confluat magna frequentia penitentium ad confitendum, si sint ex itinere laxati, aut concione, aut alia simili de causa; vel si sint convalescentes, ita ut sine gravi incommodo non possint recitare horas canonicas, & similibus causis.* Nimiam vim, nimiamque extensionem attribuant huic privilegio bullato. Et primo est probanda prima animadversio, quod Moniales possunt, inconsulto Confessario, & quocumque Superiore, semetipsas dispensare, seu commutare divinum officium in preces dominicas recitari solitas a sororibus laicis. Quod tertio loco subdunt, nimirum vi illius privilegii posse etiam Fratres Regulares eodem modo ac Moniales, inconsulto quolibet Superiore, omittere officium divinum ob gravem aliquam occupationem, ut quando concionantur extra quadragesimam, tamen non quotidie, sed bis, vel

ter in hebdomada; ablutere a vero, & laxitatem non levi redolere sentio. Adeo ne leve est persolvendi canonicas preces mandatum, ut quilibet Frater, absque sui Superioris sive licentia, sive consilio, possit commutare officium divinum in paucas preces? Quis Regularium conscientia bene moratæ unquam tali fruitur privilegio?

XIX. Ultimo loco refertur privilegium concessum a Leone X. tam Clericis, quam Regularibus subiectis obligationi recitandi divinum officium, quibus Pontifex impertitur remissionem omnium culparum quæ ex humana fragilitate contraxerunt in recitatione officii canonici, hoc imposito onere, ut persoluto officio recitent sequentem orationem: *Sacro sancta, & individua Trinitati: & vericulos, Beata viscera &c.* Hanc eandem indulgentiam consequi illos qui sub finem totius officii recitant Psalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*, concessit Gregorius XV. Earum vero culparum tantum remissio obtinetur quæ veniales sunt, non letales. Quin necesse est ut a gravi, seu mortali culpa immunes sint qui præfatam consequi indulgentiam velint. Adde debere recitantes dictam orationem intus excitare dolorem culparum, amoremque in Deum, ut indulgentiam assequantur. Hactenus de Regularium privilegiis spectantibus recitationem precum canonicarum.

XX. Quæst. V. *Qui recitat preces canonicas, debet ne tam clara voce pronuntiare, ut audiri vel ab adstantibus, vel a seipso valeat?* Resp. Quamvis voce clara, & distincta omnes debeant preces canonicas recitare; non tamen necesse est ut pronuntiatio talis sit quæ ab aliis audiatur. Et hæc est communis opinio. Dissident vero Theologi, utrum recitans ita vocem emittere debeat, ut audire seipsum queat. Adfirmant Suarez Lib. IV. cap. VII. n. 6. Navarrus de orat. cap. XX. n. 14. Molfesius cap. XX. n. 19. Valentia 2. 2. disp. VI. q. II. punct. 10. §. 4. Filliucius tract. XXIII. cap. III. n. 117. Reginaldus Lib. XVIII. n. 174. Tolcius in Sum. cap. X. n. 4. Palaus tract. VII. disp. II. punct. 3. num. 6. Prado T. II. cap. XXX. q. VIII. §. 3. n. 41. Diana resol. 10. & alii, quos citat Leander.

XXI. Contrariam sententiam defendunt Azorius Lib. X. c. X. q. IV. Caramuel in Theolog. Reg. disp. CVIII. n. 1381. Martius a S. Ioseph Lib. II. tract. V. n. 15. Baldeus Tom. II. Lib. II. disp. XXXIV. n. 15. Baldeus verb. *Horæ canon.* Leander tract. VIII. disp. IV.

IV. *quæst.* XLVII. & alii plures penes ipsum. Contendunt isti satis esse voce enuntiarī preces, sive recitans audiat hanc suam vocem, sive secus. "Rogas (inquit, Caramuel) quid sit vox? Respondeo linguam, & labia moveri. Anhelitus enim necessario sequitur. Ratio est quia vox nihil aliud est quam respiratio fracta certo modo per labia, & linguam. Atqui non possunt labia, & lingua moveri, quin frangatur respiratio. Ergo nec moveri poterunt, quin sit vox. Quomodocumque igitur articulentur, est vox: ergo & pronuntiatio audibilis, ac proinde præcepto satisfaciens. In quo Theologi isti discrepent, sane non percipio. Nam omnes adfirmant, necessariam esse externam oris, & labiorum pronuntiationem; & quidem voce audibili, quæ scilicet audiri valeat saltem ab ipso recitante. Non plus exigunt prioris sententiæ Auctores; nec hoc negant alterius opinionis Theologi, ut adfirmant Caramuel, & Leander. Nihil ergo in hoc dissident. Notandum solum, nihil officere validæ recitationi, si recitans ob strepitum, clamoremque exteriorem, semetipsum non audiat. Satis quippe est ut tali voce pronuntiet, quæ, sublato omni exteriori, & interiori impedimento, audiri possit. Qui vero cum socio recitat, debet ita proferre verba, ut ab alio audiantur.

## §. VI.

*De integritate qua divinum persolvitur debet officium.*

I. **C**onvenit penes Theologos, letaliter peccare eos qui aut totum, aut notabilem divini officii partem omittunt. Eo difficultas recidit, quæ pars dicenda notabilis, & gravis sit, ob cuius neglectum peccare quis mortaliter statuatur. Id vero sequentibus quæstionibus præstabitur.

II. *Quæst.* I. *Peccat ne letaliter qui unquam ex minimis horis recitare negligit?* Resp. Negant Marchinus *de ordin. tract.* II. *part.* VI. *cap.* XII. *diff.* 13. *n.* 4. Caramuel *in Regulam S. Benedicti disp.* CXVIII. *n.* 1462. Martinus a S. Ioseph *Tom.* I. *L.* II. *tract.* IX. *de orat.* Vericelli *in q. Moral. tract.* I. *q.* XVI. qui tamen oppositum postea docet, ut advertit Leander. Iacobus Marchantius *in Resol. Pastor.* p. II. *tract.* VII. *cap.* II. *quæst.* 1. Bonartius *de Hor. canon. cap.* XII. *num.* 12. Quorum sententiam refert Bas-

fæus *verb.* Hor. can. *n.* 2. nec eam sequitur, teste Leandro.

III. Relata opinio laxa est, & falsa. Quare communius Theologi docent, quamlibet minimam horam esse materiam gravem, ob cuius neglectum culpa perpetratur gravis. Legantur Suarez, Diana, Leander, & ex antiquis D. Antoninus, Sylvester, Tabiena, Navarrus, & alii.

IV. *Quæst.* II. *Qui tertiam, aut dimidiam partem horæ minoris, puta Tertiam, Sextam, aut Nonam omittit, peccat ne mortaliter?* Resp. Adfirmant Navarrus, Azorius, Villalobos, Macignus, Malderus, & alii peccare mortaliter eum qui tertiam minoris horæ partem omittit: quia hæc tertia pars materiam gravem constituit. Negant Leander, Bonacina, Fillucius, Naldus, Trullenchus, & alii. De dimidia horæ parte idem fere dissidium est. Nam Leander ut quid probabilius defendit non peccare letaliter eum qui dimidiam Sextam, vel Nonam partem omittit; atque pro sua opinione laudat Ledesnam, Bonacinam, Castropalaum, Gavantum, Trullenchum, Pellizarium, & alios. In discussione similibus quæstionum immorandum non esse existimo: tum quia omnes videntur ex arbitrio loqui; tum quia limites gravis, parviorisque materiam constitui vix possunt. Quæ mihi gravis est, levis alteri videbitur. Quid? Ex arbitrio ne peccata mortalia multiplicabimus? Ex arbitrio ne peccata mortalia de medio tollemus? Quid ergo dicendum? Ut mea præfert opinio, quæstionculæ istæ superflue sunt. Quis enim adeo infensus, ut data opera velit horam unius medietatem recitare, alteram negligere? Amentiam sane, & iniquitatis reus is esset qui deliberato animo id perageret. Si postea eo usque differret recitationem, ut ante mediam noctem nequiret aliquam horam complere; istius dilationis malitia ex circumstantiis metienda esset. In similibus materiis, quarum malitia ex quantitate rei pendet, nequit designari certa, & generalis regula. Prudentia ergo opus est in definienda culpæ gravitate, circumstantiis omnibus spectatis.

V. *Quæst.* III. *Qui in Matutino cum Laudibus omittit unum nocturnum, peccat ne mortaliter?* Resp. Negat Ioannes Caramuel; qui contendit octavam tantum partem totius officii esse materiam gravem, levem vero quicquid minus est, quemadmodum est unum nocturnum: *in Theolog. fundament. fund.* III. *n.* §. 4. Verum communis, & vera sententia oppositum docet: quia omittit

quæstus

unius nocturni æquivalet omissioni unius horæ, quæ iuxta communem sententiam gravis est. Nec materiam gravitas metienda est respectu totius officii, sed spectata quantitate in se ipsa.

VI. *Quæst.* IV. *Qui omittit tres lectiones cum responsoriis, peccat ne letaliter?* Resp. Negant plures recentiores. Verricelli *in q. Moral. tract.* V. *num.* 109. Diana, Sanchez *Lib.* I. *Sum. cap.* XIX. P. Leander *disp.* IV. *q.* IV. docet cum eodem Sanchez, non peccare letaliter eum qui in Matutinis feriæ, aut Sancti simplicis omittit tres lectiones cum tribus responsoriis: quia esset materia parva; sicut nec mortaliter delinqueret qui in festo duplici, & supra omittit tantum tres lectiones cum suis responsoriis; secus, si omittit omnes novem, aut sex lectiones cum suis responsoriis. Mortaliter etiam delinqueret ille qui in officio Resurrectionis omittit omnes tres lectiones cum suis responsoriis: quia in huiusmodi Matutinis, in quibus tres tantum recitantur psalms, & tres lectiones, materia parva non esset trium lectionum omissio.

VII. Auctores isti ex arbitrio loquuntur. Ut supra indicatum est, materiam gravitatem ex ipsa quantitate, non ad totum relata, sed in se spectata, expendenda est. Alias qui diviti Principi, vel Regi centum aureos surriperet, non delinqueret letaliter: quia hæc pecunia comparata cum amplo Regis patrimonio, parva est, & minima. Tres lectiones cum suis responsoriis sunt materia gravis in prudenti hominum estimatione. At numquid prudentia caret docti iuniores? Carent sane, dum opiniones laxas docent, & regulis christianæ scientiæ adversas: laxam autem reputamus Leandri, & aliorum recitatam opinionem. Franciscus Pellizarius *T. I. Manual. Reg. tract.* V. *cap.* VIII. docet, omittentem Vesperas sabbati sancti non peccare mortaliter. Huius opinioni subscribit Diana. Hæc opinio non minus quam præcedens, laxa est: quia Vesperæ istæ constituunt integram officii horam. Qui vero integram horam omittit, letaliter peccat. Mortaliter quoque delinquant qui ita truncant psalmos, ut notabilem quantitatem versuum, aut verborum omittant: quia violant præceptum in re gravi; nisi sic recitantes ex naturali linguæ balbutientis defectu versiculos truncarent, & deglutirent. Excusant quoque recentiores a culpa Regulares qui magnam quantitatem versuum lingua non pronuntiarent, dummodo mentaliter illos ru-

*Conc. Theol. Tom. II.*

mainarent. At hanc opinionem ut falsam supra reiecit. Qui vero non propria malitia, sed quadam linguæ celeri volubilitate non adeo distincte proferunt ultimas verborum syllabas, non sunt damnandi gravis culpæ, sublato scandalo, vel contemptu; quin nec venialiter delinquant qui ob imperitiam, aut linguæ balbutiem in pronuntiatione deficiunt. Quare satisfaciunt præcepto etiam illi qui recitant cum eiusmodi balbutientibus; cum quibus tamen non est recitandum, nisi honesta peculiaris ratio urgent, ut adiuvandi socium, qui forte solus haud recitare sine gravi incommodo valet.

VIII. *Quæst.* V. *Sacerdos recitans cum socio ita festinanter, ut, antequam socius terminet pronuntiare suos versus, ipse resumat sequentes, peccat ne mortaliter?* Resp. Si Sacerdotes recitantes sint saeculares, omittatque unus recitantium notabilem versuum partem, ob istam celerem, anticipatamque versuum inceptioem; adfirmant communiter recentiores, istum gravem culpam perpetrare ob rationem sapienter dictam, quod qui omittit notabilem officii partem, mortaliter violat præceptum. Pellizarius *Tom. I. Manual. Reg. tract.* V. *c.* VIII. *sect.* 2. *n.* 89. negat peccare mortaliter eiusmodi Sacerdotem sic recitantem, si sit Regularis: quia Regularis potuitur privilegio recitandi mentaliter officium; & idcirco possunt mentaliter recitare versus omisso. Respondet Leander *loc. cit. q.* LXII. Regulares frui privilegio mentalis recitationis, dum soli persolvunt preces canonicas; secus dum recitant cum socio. Ex iis quæ diximus, quod de Regularibus privilegiatis docent laudati Auctores, commentitium est, nec opus habet nova confutatione.

IX. *Quæst.* VI. *Cum plures alternatim recitant, debent ne alternatim lectiones legere?* Resp. Congruum est, & magis expediens ut omnes recitantes alternatim lectiones legant, non tamen est necessarium; sed ad implendum præceptum satis est, si ab uno solo legantur, potissimum si tantum duo sint, quorum alter responsoria dicat. Idem dicendum de antiphonis, quæ alternatim dicendæ sunt. Verum in his praxis, & consuetudo servari potest: nec enim ordo iste præscriptus est ab aliqua rubrica. Ut ego me ab omnibus expediam, extra chorum solus semper recito in propria receptus cella. Neminem turbo strepitu, silentium non violo, & solitudini, seu receptui adeo commendabili in Cœno-

T

bo

bio quorundam morem qui prætextu devotionis cum socio tempore silentii Matutinum recitant aut cum aliorum incommodo, aut cum tali strepitu, qui silentio infestus est. Eo vel magis quod non raro per solito officio colloquia aliqua succedunt. Occasio quippe proxima est, urgetque vetito tempore loquacitatis appetitus. Si tu in hoc non delinquis, delinquent alii. Ideo mos abolendus, ut tollatur irangendi silentii occasio. Si tanto fervore æstuas, ut cum sociis velis sacrificium laudis Deo offerre, choras patet: illuc te confecto, ubi cum multis orabis. Mira hominum imbecillitas! Communionem precum in choro non anhelant, extra chorum illam perquirunt, quamvis iacemmoda temper sit, & propriis muneribus aliquo modo adversa: cum ambo socii nequeant semper eodem momento locum recitationis convenire, sed alter alterum expectare debeat. Aliqua animi infirmitate communiter laborare novi eiusmodi recitantes. Expediit ergo, & securior recitandi methodus in Cœnobis bene instituta est, ut Religiosi silentii tempore omnes se in propriis recipient cellas, ibique in spiritu, & veritate Deum orant, ut leges nostri Ordinis præscribunt. Hæc obiter dicta sint.

X. Quæst. VII. *Peccat ne mortaliter qui brevius loco longioris officium recitat?* Resp. Quæ penes omnes certa sunt, præmittamus oportet. Adfirmant omnes peccatum committere, saltem veniale, qui absque iusta, & urgenti ratione unum officium pro alio recitat. Convenit quoque, gravi urgente causa, hanc mutationem fieri posse. Si enim gravis causa excusat a recitatione, potiori iure licitam reddit huiusmodi commutationem. Quæstio ergo est, utrum peccatum mortale sit absque causa, sed ex sola quadam acedia, ut inquit Salmanticenses, se se citius expediendi causa, propria auctoritate permutare officium longius in brevius, puta recitare officium de aliquo Sancto, loco officii de feria, vel de dominica, & non tantum his, vel ter, sed quoties libuerit. Hanc defendunt plurimi docti iuniores. Antonius a Spiritu sancto tract. III. disp. VI. n. 1612. Caramuel in Regul. D. Bened. disp. CIX. a n. 1385. Leander a Murcia in Regul. D. Francij. cap. I. Leander a SS. Sacramento tract. VI. disp. XIII. quæst. XXVII. & tract. VIII. disp. IV. g. XLII. Lessius Lib. II. cap. LXXIII. Valentia Tom. III. Vasquez de Beneficiis cap. IV. §. I. Azorius Lib. X. cap. X. quæst. II. Ludovicus

de S. Ioanne q. unic. de offic. art. 10. dub. 6. PP. Salmanticenses tract. XVI. cap. III. punct. 14. n. 18. plures alios citant, quos inter Caietanum in Sum. verb. Horæ §. Quoad secundum, ubi hæc scribit: *Graviter tamen peccant qui absque rationabili causa huiusmodi mutationes ad libitum faciunt.* Collige quam sit fidendum iuniorum citationibus.

XI. Contrariam sententiam defendunt Bonacina disp. I. g. III. punct. I. n. 17. Cattropalaus Tom. II. tract. VII. disp. II. n. 18. Reginaldus Lib. XVIII. n. 177. Trullenchus Lib. I. cap. VII. dub. 14. num. 13. Gavantus Tom. II. sect. I. cap. V. tit. II. n. 7. Petrus Ledesma par. II. tract. IX. cap. IV. concl. 12. Machadus Tom. I. Lib. II. part. III. tract. II. docum. 6. Rodriguez Tom. I. g. XLII. art. 8. Salmanticenses loc. cit. n. 20. ubi tamen contrariam sententiam probabilem vocant: quam nihilominus nulla firmitate, potissimum post Bullam S. Pii V. & propositionem damnatam ab Alexandro VII. infra referendam, certum est. Idque evincitur. Præceptum recitandi horas canonicas non modo preces dicendas præscribit, verum etiam modum, formulamque, ad cuius tenorem recitanda sunt, designat, & præcipit. Hæc sunt Bullæ verba: *Omnes Presbyteri, & Clerici seculares, & regulares utriusque sexus, nec non milites exempti, quibus officium dicendi, aut psallendi quomodocumque iniunctum est, ex huius nostri Breviarii formula tam in choro, quam extra illum dicere, & psallere procurent.* Dicent ne iuniores, hic non præceptum, sed consilium haberi? Aut præceptum esse in re levi? Levi ne res dicenda est quæ ritum religiosum spectat celebrandi divinas laudes? Præceptum sane est in re gravissima, & summi ponderis. Nec enim cæremonia hæc est de re leviori; sed est grave mandatum, quod, si substantiam ipsam, ordinem tamen potissimum & præcipuum quo persolvendum officium est, spectat. Peccatum ergo est, sine necessitate talem inturbare ordinem sive semel, sive bis in anno. Inanis quippe est quorundam opinio, qua statuitur, licitum esse ter, vel quater in anno officium brevius pro longiori recitare. Præceptum enim grave est, & in re gravi: ergo unica illius transgressio mortalis est.

XII. Quæst. VIII. *Satisfacit ne præcepto qui in die Palmatum recitat officium paschale?* Resp. Hæc damnata thesif confectarium necessarium est opinionis præcedentis: qua de causa optime ratiocinatur P. Leander a Sanctis.

Stissimo Sacramento tract. VIII. disp. IV. g. XIV. ubi hæc scribit: „ Respondeo dicendum, quod vel probabile sit dicere, solum esse veniale, communiter, & regulariter loquendo, recitare sine urgenti causa officium Resurrectionis ea die qua iuxta Rubricas Breviarii recitandum erat de feria, aut de Sancto; vel non sit probabile quod possit quis absque mortali dicere officium alicuius Sancti loco ferialis. “ Ratiocinium optimum est. Laudantur enim, ubi digni sint laude docti nostri iuniores. Sed prima opinio est damnata: ergo & secunda. Pro prima, quam defendit, idem Leander refert Caramuelem in Theolog. fundam. fundam. 53. n. 1100. §. 12. Non est quod immoremur in refutandis sophismatibus, vanisque ratiunculis quas hido Auctores obtrudunt pro firmata opinione quæ ab Ecclesia damnata est. Et in hac propositione damnata includitur prior opinio præcedens, ut fatetur ipse Leander. Idem quippe principium regit utramque sententiam, videlicet quod præceptum recitandi officium spectet dumtaxat septem horas canonicas; & reliqua omnia pertineant ad ritum accidentalem, & cæremonialem, cuius transgressio levis sit. At ex propositione damnata adducta constat ritum recitandi præfatas horas rem gravem esse. Igitur damnata est ratio ipsa, qua utraque opinio nititur.

XIII. Quæst. IX. *Qui inadvertenter, & ex errore recitat hodie unum officium pro alio, quod recitandum non erat, tenetur ne proprium illius diei officium repetere?* Resp. Negant PP. Salmanticenses loc. c. nu. 21. tum, inquit, ob probabilitatem sententiæ, cui poterunt se conformare; sententiæ scilicet quam nu. præced. damnatam diximus: tum quia prætermisso huius formulæ non videtur esse adeo gravis, ut ob id imponatur tantum onus, quale est bis in die officium canonicum recitare. At perdocti isti Theologi paullo ante adfirmant ritum esse gravem, graveque mandatum quod illum præscribit. Error ergo excusat a culpa; sed non eximit ab obligatione illud implendi, errore detecto. Addunt Salmanticenses idem dicendum esse, si persoluto Marutino, recorderis quis se errasse: poterit is vel proseguere integrum illud officium, vel reliquum proprium illius diei dicere. Opinionem Salmanticensium docent Antonius a Spiritu sancto, Vilalobos, Trullenchus, Leander a SS. Sacramento qu. XLVII. In eandem pendet P. Suarez Lib. IV. cap. XXIII. Nec ego audeam

damnare gravis culpæ eum qui nollet repetere alterum officium: quia qui bona fide unum pro altero officio recitat, licet materialiter non servet, formaliter tamen servat ritum præscriptum, ad quem se conformare intendit, & credit. Quare non videtur gravis obligatio aliud recitandi officium. Addit tamen Suarez, si officium recitatum multo brevius est eo quod tali die impositum est, necessarium esse aliquam compensationem addendo aliquos psalmos. Non semel offendit in hunc scopulum, & semper aliud illius diei proprium officium recitavi.

XIV. Quæst. X. *Qui ex errore omisit officium duplicis, & supra, tenetur ne primo die vacuo, nempe die feriali, vel trium lectionum, omissum officium recitare?* Resp. Adfirmat Leander g. XLVII. quia Sancti, & de his recitantes habent ius ut recitetur huiusmodi officium duplex: ergo non sunt eo privandi. Privarentur autem, si toto illo anno de illis officium non celebraretur. Negat P. Thomas Tamburinus Lib. II. in Decal. cap. V. §. 2. num. 29. Dicerem, quod si qui privatim recitant, debent omissum officium recitare primo die vacuo; secus si qui officium in communi persolvunt. Ratio adducta a Leandro, quod Sancti iure potiuntur ut illis officium persolvatur, nulla est. Debitum quippe recitandi officium Deum ut creditorem, secus Sanctos, spectat. Sub illorum invocatione, & auspiciis Deo preces offeruntur. In praxi ergo quisque videat quid magis ordini congruat, distetque a confusione.

XV. Quæst. XI. *Qui hodie ex errore celebrat officium de aliquo festo, de quo recitandum est sequenti die, tenetur ne die sequenti recitare idem officium?* Resp. Negant nonnulli, eo quod non congruat bis de eodem Sancto officium celebrare. Verum probabilior sententia adfirmat, eo quod præceptum recitandi tali die de hoc Sancto, ex tuo errore, & ignorantia præiudicium subire nequeat. Accedit quod ex tuo errore non debet communis ordo præscriptus ab Ecclesia inturbari. Si ergo universa Ecclesia hoc die celebrat officium quod tu heri recitasti, non debes ab hoc ordine, & communi ritu recedere, ut errorem elapsam, cui mendendo locus amplius non est, resarcias. Nec opposita urgent argumenta. Nihil enim obstat quominus bis de eodem Sancto officium recitetur, ut patet in octavis Sanctorum. Nec anticipata solutio tollit quin die præscripto debeat, quoties debitori nullum

novum gravamen adfert, ut in casu nostro. Nam quotidie unum integrum officium recitare debet. Sive autem hoc officium sit de hoc festo, sive de altero, perinde illi est.

XVI. Quæst. XII. *Sacerdos hodie sub Vesperis Venetiis existens, ubi ferie, aut duplici recitatur officium, cras perreiturus Patavium, ubi festum S. Danielis, aut alterius Patroni celebratur, valet ne primas Vesperas, & Matutinum illius Sancti recitare?* Resp. Adfirmat P. Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. c. v. §. i. n. 25.* Quoniam, cum crastina die peregrare Patavium debeat, cumque Vespere sint pars crastini officii, probabile est posse illas anticipate recitare, tamquam partem pertinentem ad crastinum officium. Verum probabilior opinio est quod debeat praefatus Sacerdos recitare Vesperas illius officii quod iam dixit, quodque urget tali die Venetiis: quia tamdiu tenetur satisfacere præcepto quod urget Venetiis, quamdiu ibi commoratur. Si integro die hic remanet, integrum huius loci officium recitare debet. Idem dicendum, si Matutinum hic mane celebrat de feria, aut semiduplici, discessurus illico Patavium, ubi festum D. Antonii celebratur, melius faciet perficiendo integrum officium cuius Matutinum iam recitavit.

XVII. Quæst. XIII. *Peccaret ne mortaliter qui officium sub ritu duplici prescriptum recitaret sub ritu simplici, aut e contrario?* Resp. Adfirmat Lezana in *Sum. Tom. I. c. XII. n. 20.* Quia, ut sæpius dictum est, non solum præcipitur recitari officium, sed etiam præscribitur forma, seu ritus quo recitari illud debeat. Et certe in Ordine Prædicatorum, in quo officio simplici annexum est officium B. Virginis, hæc permutatio gravis est. Quamvis enim initium istius consuetudinis e sola devotione profectum sit, decursu tamen temporis, ut inquit P. Dominicus Soto *Lib. X. de iust. c. v. art. 4.* adeo invaluit, ut nullus Doctorum negare audeat vim habere præcepti: evasit quippe pars officii divini illis diebus quibus a Rubrica præscribitur. Quam opinionem defendunt Fagnanus, Natalis Alexander, pluresque alii. Et quod peremptorium est, præceptum hoc declaratum est in Comitibus generalibus Ordinis sub Magistro Antonio Cloche celebratis, ut alias diximus: futilesque omnino sunt quorundam obiectiones, quas nec referre lubet. Qui vero officium duplex sub toto duplici, aut contra recitaret, non videtur perpetrare gravem cul-

pam, eo quod levissima variatio esset, & materiae parvitas a gravi culpa excusaret.

XVIII. Quæst. XVI. *Quot committit peccata qui totum officium diei prætermittit?* Resp. Contendunt non pauci tot esse præcepta recitandi officium, quot sunt horæ canonicæ: &, cum hæc sint septem, septem quoque esse præcepta inferunt; atque adeo tot quemque perpetrare peccata, quot horas omittit. Verum mihi probabilior, & fere certa videtur sententia quæ unicuique præceptum defendit præcipiens recitationem horarum. Quare qui omnes prætermittit, unicuique peccatum mortale peccat; sed gravius quam si unicam, vel alteram horam neglexisset.

### §. VII.

*De continuatione, & ordine quo recitari debet officium.*

I. **O**fficium divini recitatio continua sit oportet, non quod omnes horæ continenter recitandæ sint; sed ita ut qualibet hora absque interruptione compleri debeat: puta inchoata Prima interrupti non debet, sed integre, & continenter recitanda est, ut omnes Theologi docent.

II. Quæst. I. *Qui privatim maxima cum interruptione recitaret aliquam horam, peccaret ne letaliter?* Resp. PP. Salmanticenses *tract. XVI. c. III. punct. 1. num. 3.* numquam peccare mortaliter eum qui intra diem naturalem recitat aliquam horam etiam cum maxima interruptione, etiamsi interruptio fiat in medio unius psalmi, vel lectionis. Puta, mane incipis recitare psalmum aliquem: in medietate psalmi, vel lectionis negotium aliquod diversum prorsus aggredieris: versus meridiem alteram psalmi, vel lectionis medietatem resumis: vel psalmum unius horæ mane dicis, recitaturus alios duos sub Solis occasum. Si absque rationabili causa fiat, veniale, numquam vero mortale crimen erit. Hæc est opinio quam laudati Patres defendunt, pro qua citant Machadam, Leandrum a SS. Sacramento, Bonacinam, Lessium, Pellizarium, Quintanadvenas, Santicium, Trullenchum, Dianam, Laymanum, Martinumque a S. Ioseph.

III. Hæc opinio non satis mihi probatur. Quandoquidem hæc maxima interruptio ita tollit orationis continuitatem, ut nequeat ex duabus medietatibus tanto intervallo distantibus una hora, aut integer psalmus per-

modum unius orationis componi. Deinde talem redolet deformitatem hæc adeo longa interruptio, ut in communi prudentum existimatione gravem inferat debiti ordinis perturbacionem. Qui enim moralem horæ unitatem tollit, destruit horam ipsam. Porro qui horam non recitat, letaliter delinquit. Nec est quod reponas integram horam recitari: quia non quæcumque recitatio materialis præcipitur; sed per modum orationis completæ, & integræ. Quis gravis inhonestatis reum non reputaret illum qui mane incipiens alloquentem Principem, ex arbitrio in medio sermone orationem interciperet, post prandium colloquium resumpturus? Quare gravi malitia infectam hanc adeo prolixam interruptionem docent Navarrus, Vasquez, Suarez, Azorius, Reginaldus, & alii plures, quos citat Leander II. *Part. disp. XIII. q. XX.* Istorum quoque Theologorum gravitas prævalet, sin numero, certe doctrina, prioris sententiæ Autoribus. Quam sit hæc sententia rationalior, quisque deprehendere potest, si semetipsum serio examinet. Quis Religiosus bene moratus psalmum quem mane recitavit, computabit inter tres psalmos unius horæ dicendæ sub solis occasum? Quis non fateatur gravem hic contingere deformitatem?

IV. Levis interruptio absque causa, venialis, cum causa vero nulla culpa est. Quod venialis culpa sit absque causa rationabili levis interruptio, patet, quia omnis interruptio est quædam irreverentia. Quod autem ob rationabile obstaculum hæc levis interruptio omni culpa careat, pariter constat: quia præcepta ecclesiastica non impediunt ea quæ circumstantiis congruunt. Occurrit autem quandoque honesta interruptionis ratio, affabilitatis, & eutrapeliæ, quæ omnem culpam excludit.

V. Quæst. II. *Quo ordine recitanda sunt canonicæ horæ?* Resp. Primo recitandum est Matutinum, & Laudes, deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Hunc ordinem non cadere sub præcepto, docet communis sententia; ita ut qui recitaret Laudes ante Matutinum, Vesperas, & Completorium ante Primam, non peccaret mortaliter, etiamsi nulla occurreret rationalis causa; sed tantum venialiter. Quilibet autem congrua ratio, ut eundem in choro ad recitandas Vesperas non persolutis horis antecedentibus, vacandi studio necessario &c. satis est. Idem dicendum.

*Conc. Theol. Tom. II.*

dum, si quis Macutinum sequentis diei hora 22. recitaret, non persoluto hodierno. Hæc tamen perturbatio culpam venialem non effugiet (si causa inferiendi choro excipiat, quæ ab omni culpa eximit) numquam vero mortalem inducet. Vasquez tamen *opusc. de benef. c. IV. §. 1. dub. 4. n. 66.* docet peccare mortaliter eum qui frequenter & ex consuetudine talem ordinem interturbaret. Et profecto negari haud potest quin magnam committeret deformitatem talis habitualis, & consuetudinaria ordinis inversio. Accedit quod ab hac continuata ordinis inversione vix separari potest contemptus virtualis adversus ordinem præscriptum ab Ecclesia: quo contemptu accedente, omnes fatentur peccari letaliter. Quare non admittimus quod docent Salmanticenses *tract. XVI. c. III. punct. 2. n. 8.* hanc ordinis perturbationem numquam ad mortale pervenire. Nam si esset habitualis, contemptus virtualis occurreret; atque adeo & letalis culpa. Vix tamen, ac ne vix quidem hæc in praxi occurrunt. Quis enim adeo stupidus, ut si implere præceptum velit, nolit absque omni causa servare ordinem ab Ecclesia præscriptum? Ideo fusius hæc discutienda non sunt. Addo, graviorem esse turbacionem factam in eadem hora, ut si in Matutino prius lectionem quam psalmos dixeris. Non tamen mortalis est; immo nulla culpa, si iusta causa adsit. Quare qui mane in manibus diurnum habet, potest psalmos, laudes, hymnos, & horas recitare, dicturus postea lectiones, & responsoria Breviario acquisito; si occupationes honestæ id faciendi occurrant. Quare invitatus ab amico ad dicendam Primam cum reliquis horis indicto Matutino, non peccabit, quia honesta variandi ordinem causa datur; si tamen amicus tali egeat societate. In choro nihilominus hæc perturbatio, nulla interveniente causa, nimis esset deformis, & scandalum genere suo ingereret. Et, si frequenter id fieret, non excusarent a mortali, ut cum Pellizario, & Suarez plurimi docent.

### §. VIII.

*De tempore quo persolvendæ sunt horæ canonica.*

I. **I**N choro persolvendæ sunt canonicæ horæ statim ab Ecclesia temporibus, ut habetur in *Clement. I. de celebr. Miss.*

T 3

Et

Et quamquam nihil præscriptum sit de privata recitatione, tamen convenit penes omnes, suis congruis temporibus esse horas canonicas persolvendas. Et opinio contraria Caramuelis in *Regul. S. Benedicti. disc. cxii. art. i. n. 1411.* nimis laxa est, & omni destituta fundamento. Numquam tamen erit letalis culpa hæc temporis dilatio, sed venialis tantum, ut communis, & certa sententia docet. Causa vero rationabili occurrente, nulla omnino culpa erit.

II. Singulis autem diebus totum officium recitandum est, ut habetur ex cap. *Dolentes*, & ex Bulla S. Pii V. Quare peccare eum mortaliter qui singulis diebus integrum officium non recitat, vel aliquam notabilem partem omittit, omnes docent. Qui hodie non recitat, minime tenetur crastina die duplex officium recitare. Nec, si hodie duplex recitasti officium, cras immunis eris a recitatione officii tali die præscripti: quia officium est pensum diei, nec anticipatione unius diei solvi hoc debitum potest, quemadmodum anticipate solvantur pecuniæ hominibus debita.

III. Quæst. I. *Quanam diei hora incipit obligatio recitandi divinum officium?* Resp. Consuetudo iam obtinet recitandi Matutinum cum Laudibus post horam vespertinam pro die sequenti. Tempus vero dicendi Primam, & ceteras horas subsequentes diei incipit a puncto mediæ noctis antecedentis diei, & desinit in puncto mediæ noctis diei subsequens. Pensum siquidem divini officii diurnum est. Dies autem initium ducit a media nocte antecedentis, & finem claudit in momento mediæ noctis subsequens diei iuxta communem Doctorum sententiam.

IV. Quæst. II. *Licetum ne est vespertina hora, antecedentis diei persolvere sicut Matutinum, & Laudes, ita & Primam, ceterasque horas diei sequentis?* Resp. Contentundum quidam docti iuniores id licitum esse: quia volunt isti præceptum recitandi officium incipere a vespere huius diei, & terminare in puncto mediæ noctis sequentis: quam opinionem probabilem reputant Leander *tract. vi. disp. xiii. q. xxii.* Trullenchus, Molfesius, Faber, Ioannes a Cruce, & Salmanticenses illam referunt *tract. xvi. c. iii. punct. 2. n. 13.* nec eam impugnant. Falso pro hac opinione laudatur D. Thomas *quodlib. v. art. 18.* ut vidimus supra. Communis ergo, & vera opinio docet, nullo modo satisfacere præcepto eum qui hodie hora vespertina recitaret Primam, re-

liquasque horas diei crastinae. Hanc docent inter alios Caietanum verb. *Hora*, Suarez *Lib. IV. c. xxvii. n. 10.* Bonacina *disp. i. q. iii. punct. 3.* Leander *tract. viii. disp. iv. q. xcvi.* Martinez de Prado *c. xxx. §. 5.* & alii plures penes citatos.

V. Quæst. III. *Quæ causa requiritur ut licite quis anticipare, vel postponere recitationem precum canonicarum possit?* Resp. Convenit penes Theologos fere omnes culpam venialem perpetrare eum qui vel nimium anticipat, vel postponit officium divinum; puta, si recitaret Primam tempore Completorii; vel contra. Gravius tamen intra lineam venialis culpæ delinquit qui postponit, quam qui anticipat horarum recitationem. Iusta tamen occurrente causa, tum anticipatio, tum dilatio licita est. Nec gravis causa requiritur, sed levis sufficit. Solitæ causæ sunt concio, publica lectio, maior devotio, studium, periculum supervenientis occupationis, labor manuum, & cetera id genus. Pellizarius *Tom. I. tract. v. cap. viii. sec. 2. q. xxi. n. 103.* cum P. Sanchez contendit solam maiorem commoditatem sufficere ut quis valeat vel anticipare, vel differre officium divinum. Verum hæc opinio falsa, & laxa, est contra communem Doctorum sensum. Idem enim edicere, licere ob solam commoditatem pervertere ordinem recitandi, ac licere absque ulla causa hunc ordinem interturbare; quod communiter Theologi improbant.

VI. Quæst. IV. *Qua hora post meridiem diei antecedentis licitum est recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti?* Resp. Alii dixerunt hora prima, alii secunda licitum esse incipere officii recitationem. Verum, his relictis opinionibus, communis sententia docet, in hieme hora tertia, & æstate hora quarta a meridie præter propter licitum esse consuetudine invecata recitare Matutinum cum Laudibus. Regula certior hæc esto. Cum Sol propius abest ab occasu quam a meridie, tunc incipit tempus dicendi preces canonicas. Et hoc tempus congruit cum eo quod in tabulis Calendariorum communiter assignatur. Leander *tract. viii. q. xciii.* contendit probabile esse licere hora secunda post meridiem recitare Matutinum cum Laudibus: pro qua opinione falso laudatur D. Thomam *quodlib. v. art. 28. ad i.* ubi Angelicus asserit hæc: *Quantum ad ecclesiasticum officium, & solemnitatem celebrandi incipit dies a vespere: unde si aliquis post dictas Vesperas, & Comple-*

pletorium dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Hinc ne inferre dicet secunda hora post meridiem recitari posse matutinum diei sequentis? Si hæc ratio- cinatio valeret, si quis circiter, vel ante meridiem persolveret Vesperas, & Completorium, posset pro die crastina Matutinum dicere. Non aliud ergo Angelicus intendit, nisi quod hora consueta persolutis Vesperis, & Completorio, licitum sit matutinas horas dicere. Hora autem consueta recitandi Vesperas, & Completorium non est secunda post meridiem, sed ad minus tertia elapsa. Quod addit ex Thoma Tamburino Leander, nempe licere Matutinum persolvere, cum Sol ad occasum inclinatur: ad occasum autem declinat hora secunda: ergo &c. Ad occasum inclinatur, subdo ego, elapso puncto meridiem. Ut primum ab hoc puncto recedit, ad occasum gressum dirigit. Licitum ergo erit hora prima post meridiem Matutinum solvere: quod absurdum ex Tamburini doctrina sponte fluit, quodque nec adversarii admittent. Pro hac tamen opinione Leander citat præter Tamburinum, Dianam, Molfesium, Sanchez, Quintanadvenas, Garciam, Machadam, Bassæum, Acacium, Caramuelem, & alios: deinde hæc fatur. *Post tot tantosque Doctores a me citatos, diceret nunc Prado, meam, & illorum sententiam sui iudicio non esse probabilis: tract. viii. dif. iv. q. xciii.* Frequenter Leander ille ansam arripit carpendi Pradum, ratione pugnante. Laxitatis tota scaturit Leandri Theologia. Non modo probabilitate caret opinio ista; sed falsa, & laxa est, & communi, receptæque universali consuetudini contraria.

VII. Nec opinio Salmanticensium, qua asserunt, immediate post mediam horam meridianam posse quemquam recitare officium crastinum, nobis probatur, eo quod sit communi consuetudini adversa. Ratio quam ipsi *loc. cit. n. 15.* adducunt, nulla est. Quia tametsi admittamus quod dies ecclesiasticus incipiat post Vesperas, non inde tamen colligitur quod, si vespere anticipentur, dies ecclesiasticus incipiat. Hinc est quod iidem Salmanticenses reprobant opinionem P. Sanchez, Pellizarii, Dianæ, & aliorum, qui asserunt in Quadragesima in qua Vespere recitantur hora undecima, seu more nostro, una hora ante meridiem, posse continuo recitari Matutinum crastinum ob rationem adductam ab iisdem Salmanticensibus, quod dies ecclesiasticus incipit post Vesperas: qua-

ratio quando, & quo in sensu intelligenda sit, supra explicatum est.

VIII. Quæst. V. *Qui hodiernum officium recitare incipit paullo ante mediam noctem diei sequentis, satisfacit ne præcepto, si prosequatur recitationem post mediam noctem?* Resp. P. Leander a SS. Sacramento *tract. vi. de Ordin. disp. xiii. q. xxv.* adfirmantem sententiam defendit, & pro eadem allegat Basilium Legionensem, P. Franciscum a S. Iuliano, & Ludovicum a Conceptione, quos sui Ordinis Doctissimos appellat Theologos: & quod plus est *tract. viii. disp. iv. q. cix.* adversus Martinez de Prado hæc scribit: *Non solum probabiliter, sed probabilissime respondeo adimplere præceptum recitandi officium, si illud paullo ante mediam noctem incipiat, & sine interruptione recitando post illam finiat.* Plures pro hac sua opinione obtrudit rationes; quarum potissima est, quod omnes septem horæ canonicæ unica oratione comprehendantur, & unico mandato imperentur. Ergo qui has preces incipit ante punctum mediæ noctis, eas continuare debet, illasque persolveret intra tempus congruum, & præscriptum: quæ consequentia ex eo patet quod res una & individua tempore congruo, & a lege præscripto incepta continuari potest, & debet tempore sequenti, ut habetur *l. Lecta ff. Si tamen petatur.*

IX. Hæc opinio laxa est, & falsa contra communem Theologorum sententiam. Siquidem officium divinum, ut sæpius dictum est, pensum diei est. Dies autem a puncto mediæ noctis incipit, & in altero puncto mediæ noctis desinit. Quo tempore elapso, præceptum impleri amplius nequit intra tempus præscriptum. Ratio Leandri, & suorum, sopsissima purum putumque est, ignaviam, fœcordiamque, & laxitatem fovens. Quippe ex tali principio Pasqualigus infert, licitum esse nocte præcedente diem cinerum incipere cenam ante punctum mediæ noctis, eamque continuare post mediam noctem ad libitum: quod quam sit absurdum, nemo non videt. Actus enim non tribuitur tempori quo inchoatur, sed tempori quo perficitur leg. *contractus, cod. de fidei instrum.*

X. Ex principio satis affini illi quo Leander suam defendit opinionem, Caramuel in sua Theologia Fundamentali *fundam. xxxi.* clicuit propositionem damnatam ab Alexandro VII. quæ est 35. in ordine. *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die presenti, & crastino:* cuius propositionis falsitas ex eo patet, quod officium sit onus diei

affixum. Et quemadmodum, si omittis hodie officium, non teneris crastina die recitare duo officia; sic nequis unico officio duo præcepta duobus affixa diebus implere. Quæ opponit Caramuel, sunt mera sophismata. Audi hominem subtiliter delirantem. „Sint „ duo (inquit) horologia æque probabilia, „ quæ discrepent per mediam horam: puta, „ dum horologium A. pulsatur undecimam „ cum dimidio, horologium B. pulsatur duodecimam, seu mediam noctem iuxta transfalpinos. Si quis, recitato Matutino cum „ Laudibus, dum horologium A. pulsatur undecimam cum dimidio, & horologium B. „ duodecimam, incipiat recitare ceteras canonicas preces, satisfacit utique præcepto, „ quia eas terminat, si sit lingua expedita, „ ante quam horologium A. pulsatur duodecimam, & horologium B. duodecimam cum dimidio. Cuius ratio est, quod cum utrumque horologium supponatur probabiliter recite pulsare; probabile quoque est quod sit „ hora undecima cum dimidio, & duodecima. Quo posito probabile iterum est, posse „ tali recitatione utriusque præcepto satisfacere. Hic est *Probabilisimè exitiosè* insectus furculus. Duas ne contrarias opiniones coniunctim acceptas tibi amplecti licitum erit? Hætenus Probabilismus docuit alterutram; secus utraque propositiones oppositas posse te ex arbitrio seligere; Caramuel vero docet, te posse utroque contrariae probabilitatis emolumento frui eodem tempore: quod est manifestum paradoxon.

XI. Quæst. VI. *Qui celebrat Missam, non recitato Matutino, peccat ne mortaliter?* Resp. Adfirmantem opinionem defendunt Gabriel, D. Antoninus, Ledesma, Tabiena, Navarrus, Cenedus, Zanardus, qui pro hac opinione recenset triginta Auctores. Novissime hanc sententiam defendit P. Gabriel Antoine *tract. de virt. Relig. q. iv.* Hæc opinio mihi æquo rigidior apparet, & destituta solido fundamento. Quare sententiam negantem probabiliorem iudico. Ratio autem videtur evidens. Nam præceptum Missæ, & præceptum recitandi officium duo sunt omnino disparata, ut peroptime advertit Dominicus Soto *Lib. X. de iust. quæst. v. art. 4.* Nemo Theologorum docet peccatum esse mortale recitare matutinum officium hora meridiana, aut vespertina. Cur ergo peccatum erit letale, si Missa prius celebratur? Præcepta igitur sunt distincta, officia omnino diversa, quæ nullam habent connexionem. Nulla ergo occurrit ratio cur gravis culpæ eum damnemus qui,

neglecto uno, aliud exequitur. Accedit quod maior (ut post Sotum advertit etiam Paulus Comitulus *Resp. Mor. q. l. n. 3.*) & certior est ordo inter horas canonicas, quam inter ipsas & Missam; cum hæc duo sint omnino diversa, nec unum ab altero pendeat. Potest quisque, Missa indicta, horas canonicas persolvere, ut patet. Sed ordo Canonicarum precum pervertitur, & confunditur absque violatione præcepti, & absque letali culpa. Ergo multo magis turbari potest ordo qui est inter horas & Missam, qui ordo nullo præcepto iubetur.

XII. Contrariae opinionis argumenta nulla sunt. Consuetudo quippe quam opponunt, non obligat sub gravi culpa. Quod autem in Rubricarum libello scavendum dicitur, ne ante Matutini recitationem celebretur Missa, non propterea sequitur culpam perpetrare letalem eum qui talem ordinem violat: quia licet omnes Rubricæ coniunctim acceptæ, quæque formam substantialem ritus constituunt, obligent sub gravi; non tamen quælibet divisim accepta. Numquid aliæ Rubricæ quæ vel in Breviario, vel in Missali habentur, totidem sunt præcepta quæ sub letali culpa obligent? Væ recitantibus officium, & celebrantibus Missam, si omnes Rubricæ essent de præcepto graviter obligante. Hæc est hodie communis, & vera sententia. Pervertere tamen ordinem, & ritum Rubricarum culpa veniali non caret. Quoniam ritus in Rubricis præscriptus sub gravi præcepto absolute imponitur, collective spectatus. Transgressio autem deliberata huius aut illius Rubricæ ob parvitatem materiæ peccatum veniale tantum est. Et hæc est ratio cur peccare venialiter eos dicimus, qui, indicto officio divino, Missam celebrant. Quid de illis dicendum qui in pravo habitu persisterent celebrandi quotidie Missam ante matutinas laudes? Peccarent ne isti letaliter ob quotidianum culpabile accessum ad incruentum sacrificium? Peccati gravitatem ignoro; sed in malo versari fatu istos assero. Gravior difficultas est de Missa choralis, seu conventuali. Si scandalum absit, neque in tali ordinis perturbatione culpam mortalem agnosco, eo quod Rubrica quæ hunc ordinem præscribit, non contineat præceptum. Porro præcepta multiplicanda haud sunt absque gravi ratione. Nulla autem valida ratio urget, ut dicamus, hanc Rubricam præ aliis vim habere præcepti. Quin, si res absolute spectetur, nempe diversitas officii, & Missæ, quæ mutuo valde distant, colligitur, minoris obligationis esse præ-

præ ceteris Rubricam istam, quæ mere ceremonialis est. Verum, quia vix scandalum abesse potest, si Missa solemnis præcedat Matutinum; ideo vix excusarem eos a gravi culpa qui Missam choralis, & solemnem celebrarent ante Matutinum, quod pariter in choro recitandum vi præcepti sit.

## §. IX.

*De loco, & modo quo recitandæ sunt canonicae preces.*

I. **P**rivatæ recitationi nullus locus destinatus est; sed ubique divinæ laudes recitari possunt, dicente Psalmista: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Quare si rationalis causa adsit, neque culpa veniali eos inquinari existimo qui in locis immundis Deo laudes persolvunt. Radii solares non inficiuntur locorum immunditie: quanto minus inquinabuntur divinæ laudes externa locorum foeditate, si e corde nitido, & fervido proficiantur? Qui vero in locis distractionibus, & mentis evagationibus obnoxii preces canonicas absolveret, venialiter saltem peccaret absolute, & generatim loquendo. Quare qui recitaret officium inter clamores forenses, aut platearum strepitus, & profanorum negotiorum tumultus, non evitaret venialem culpam. Verum quidem habet, interdum clamores istos occasionem esse ut orans fortius animum intendat, mentemque vigilantius applicet ad Deum. Præcius siquidem quod eiusmodi tumultus mentem alio avocent, munit seipsum, & expectat factus, attentius solito preces persolvit. Ita me expertum quandoque fateor, iusta tamen impellente causa. Verum nec aliis id consulo, nec ipse hoc iterum experire, nisi gravi urgente necessitate: quia temeritate saltem non vacat tali se distractionum periculo exponere.

II. Qui in lecto decumbens horas recitaret canonicas, impleteret præceptum, nec venialiter peccaret, si adesset rationalis causa; quemadmodum nec illi qui aut stando, aut sedendo, aut deambulando recitant, aliquam perpetrant culpam.

III. Publicæ vero recitationi chorus, seu Ecclesia destinata est, ut habetur in Clement. *Gravi de celebr. Miss.* Sacristia Ecclesiæ iuncta communiter reputatur locus opportunus recitandi preces canonicas, ut supra indicatum est. Si vero per aliquos parietes ab Ecclesia distet, & nullam cum eadem commu-

nicationem habeat, non est locus aptus, in quo impleri præceptum possit, necessitate premente sublata.

## CAPUT X.

*De causis excusantibus a recitatione precum canonicarum.*

**P**lures occurrere causæ solent quæ a recitatione divini officii excusant, ut impotentia, infirmitas, repentina occupatio, idque genus similia. De his omnibus sequentibus paragraphis sermo erit. Quæ excogitantur docti recentiores, sub examen inducam, & brevius, quoad fieri poterit, omnia expediam. Laxitates quippe non paucas invenerunt, eis simillimas quas pro eximendis Christianis a ieiuniis, festisque servandis commentum sunt.

## §. I.

*De impotentia.*

I. **N**on est in disputationem vocandum, utrum impotentia excuset a recitatione officii, & a quocumque opere præcepto: quia impossibile non est lex, nec obligatio. Hæc impotentia aliquando confurget ex naturali oblivione, ex ignorantia, vel inadvertentia invincibili. Qui tamen experitur se oblivioni subiectum esse, quoties consueta hora non recitat, adhibere remedia debet ad memoriam excitandam, ut signum aliquod sibi imponere, vel recitationem consueta prævenire. Quod si etiam signi imposti inadvertentia, aut oblivio contingeret, culpæ, saltem gravi, non esset adscribendum nisi negligentia crassa deprehenderetur.

II. Qui voce proferre horarum verba nequit, ad mentalem recitationem non astringitur. Qui sustinent Regulares vi privilegiorum posse mentalem recitationem præceptum implere, consequenter defendere coguntur eos teneri ad persolvendum officium, si lingua impediti, mente illud percurrere valeant. Adde, eum qui legitima impotentia, seu quacumque iusta causa excusatur a reddendo officii pensio, non obligari ad alias preces substituendas. Quare qui dicere officium nequit, audire tamen potest, auditioni non subicitur: quia præceptum de dicendo est, non de audiendo. Si audierit, optime faciet: a præcepto non cogitur.

III. Quæst. I. *Qui solus nequit, cum sociis*

vero potest officium persolvere, tenetur ne socium adhibere, si commode eo uti potest? Resp. Plures reperiri possunt qui soli nequeant, cum sociis vero queant recitare officium, puta cæci, valetudinarii, oculis caligantes, similesque. Quæritio autem excitatur, dum socius commode haberi possit. Nam, si opus esset soluto previo socium acquirere, verisimilius est cum tanto onere neminem obligari. Illud ergo in disputationem vocatur, urgeat ne, an secus, præceptum adhibendi socium, quoties eodem commode uti cæcus, vel oculis caligans potest. Salmanticenses tract. xvi. cap. 3. punct. 6. §. 2. num. 43. pag. 180. citant Filiucium, Trullenchum, Garciam, Laymanum, Villalobum, Lessium, & Bonacinam. Aliqui contendunt falso citari Filiucium & Laymanum, penes quos fides sit. Prefati Auctores distinctione utuntur. Si oculis caligans, vel cæcus effectus solitus erat socium adhibere in recitandis horis, antequam impedimentum contraheret, tenetur socium adhibere, ut pensum solvat; secus vero qui talem non habebat consuetudinem. Hæc distinctio inanis est, & rationis vacua. Consuetudo enim adhibendi socium, nulum novum inducit ius, vel obligationem. Sive ergo solitus fuerit socio uti, sive secus, ad rem præsentem quod attinet, perinde est. Quare, si non tenetur adhibere socium qui absque socio recitabat, nec astringitur qui socio antea utebatur. Quibus positis, duplex occurrit sententia.

IV. Prima negans est, eo quod recitatio cum socio privilegium est, & favor, cui quisque renunciare valet. leg. Si iudex 45. ff. de minor. leg. Si quis 39. cap. de Episcopis. Hanc defendunt Leander de SS. Sacramento tract. viii. disp. v. quæst. viii. Ioannes Sanchez in select. disp. xv. num. 2. Martinus a S. Ioseph Tom. I. Lib. I. tract. xi. de orat. num. 4. Diana, Vericelli, Acacius. Citari etiam solent Navarrus, Toletus, & Sylvester; sed falso, ut fatetur etiam ipse Leander laxarum opinionum expiscator.

V. Sententia affirmans vera est; quia præceptum Ecclesiæ eo meliori modo quo potest, adimplendum est, & ordinaria media sunt executioni mandanda, ut fervetur. Qui vero mediis obviis adhibitis implere præcepta valent, haud dicuntur impotentes ad illa implenda. Ergo qui socium obvium habet, illoque absque incommodo frui valet, absolute impotens non est ad persolvendum officium reputandus. Neque iure cuiusquam privilegii, ut adversarii comminiscuntur, immo fabulan-

tur, sed iuris communis rigore officium cum socio erit recitandum. Hanc nostram sententiam defendunt Navarrus in Sup. cap. xxv. num. 100. Palatius in IV. dist. xv. disp. ix. Sanchez Lib. VII. Consil. cap. xii. dub. 48. Valentia Tom. III. disp. vi. quæst. ii. punct. 10. §. 7. Azorius Lib. X. cap. xiii. quæst. iii. §. vi. Ledesma tract. ix. cap. iv. Bonacina disp. i. quæst. vi. punct. 2. Suarez Lib. IV. cap. xxviii. Laymanus Lib. IV. tract. i. cap. vi. num. 2. Lessius disp. II. cap. xxxvii. dub. 9. num. 54. Castropalaus tract. vii. Lib. II. punct. 6. Reginaldus Tom. II. Lib. XVIII. cap. xiii. num. 283. Salmanticenses tract. xvi. cap. iii. punct. 6. §. 2. num. 44. & alii penes ipsos.

VI. Quæst. II. Tenetur ne cæcus memoria officium mandare, ut illud memoriter recitare queat? Resp. Adfirmare videntur Navarrus, Paludanus, Trullenchus, & alii pauci. Verum communior, & probabilior sententia docet non teneri ad hunc laborem: quia præcepta Ecclesiæ non obligant ad extraordinariam, atque perdifficilem diligentiam adhibendam. Quid quod memoria non omnibus adest? Quid quod si hodie memoria fideliter omnia suggerit, cras plurima abscondit? Nihil memoria infidelis, nihil labilius. Non est ergo unde colligere possimus quod lex obliget cæcos, aut inter infideles existentes, & Breviario destitutos, ad memoriæ commendandum officium quod legere nequeant.

VII. Si vero officium memoria teneant, tunc ad illud recitandum cæci, & alii Breviario carentes tenentur: quia isti commode implere præceptum valent: ergo ad id tenentur. Quot oculorum luce fruentes memoriter recitant? Nec enim lectio, sed precum pronuntiatio necessaria est. Quare ut quædam memoria viget, præceptum urget. Pellizarius Tom. I. tract. v. cap. viii. sect. ii. quæst. xxvii. cum Sancio in selectis disp. iii. & cum suo Sanchez Lib. VII. Consil. cap. ii. dub. 46. oppositum docet ut probabile. At opinionem hanc non probabilem, sed laxam, & falsam reputamus.

VIII. Si cæcus nesciat recitare officium huius diei proprium, puta feriæ, vel alicuius Sancti particularis, memoria vero teneat officium divinum de communi, hoc recitare astringitur. Ratio manifesta est: siquidem quando duo occurrunt mandata, si ambo observare nequeas, possis vero unum, hoc implere debes. Porro præceptum recitandi septem horas canonicas potissimum est, & ipsius divini officii substantiam spectat; præceptum vero

vero quod præscribit ritum, seu formam qua hoc officium persolvere debes, distinctum, & secundarium est. Ergo, si hoc tibi observatu impossibile est, alterum, quod potes, debes implere. Quid ageandum, si cæcus memoriter sciat dumtaxat maiorem huius diei officii partem; integrum vero in memoria habet officium divinum de communi? Censerem consultius esse integrum officium de communi, quam solam partem, licet maiorem, officii diei proprii recitare.

IX. Cæcus qui præbendam habet, tenetur ne choro assistere? Negant non pauci cum Diana. Verum P. Suarez Lib. IV. cap. xxviii. num. 15. assert declarationem Cardinal. Congreg. Concilii Trident. ad sess. xxiv. cap. xii. his verbis. „Cæcus non excusatur a recitatione sacrarum horarum, si beneficium obtineat, licet in aliis sit privilegiatus. Quæ verba (inquit Suarez) magis intelliguntur de recitatione in choro quam de recitatione privata. Nam Præbendatus cæcus, si aliud impedimentum non habet, non est cur excusetur a residentia, seu assistentia in choro: quia ad illud tenetur ex vi sui beneficii, & illam potest facile exhibere: cur ergo excusabitur? Unde etiam fit ut teneatur ibi recitare, prout potuerit, quia beneficium obligat illum ad recitandum. Satisfaciet autem huiusmodi cæcus attendendo ad ea quæ alii dicunt, & dicendo cum suo choro, si poterit. Quod si fortasse non potuerit, quia vel memoriæ non habet, vel alios canentes in choro non intelligit, neque eos sequi potest; non tenetur iterum postea privatim recitare, sed proferendo versus psalmorum quos potuerit, satisfaciet, quia per illum non stat; sed faciet quod in ipso est; neque sunt tot onera illi imponenda.“ Hactenus perdoctus Suarez. Hoc idem prius docuerat Navarrus de orat. cap. xix. n. 81. Filiucius, Macignus, Sanchez, Trullenchus, quos citat, & sequitur Leander disput. v. quæst. xiv.

X. Surdus recitare canonicas preces tenetur. Si una cæcus fuerit, recitare astringitur, quoties memoriter sciat canonicas preces eo quo diximus modo.

XI. Qui Breviario citra culpam caret, excusatur a recitatione: quia ad impossibile nemmo tenetur. Si horas memoria teneat, eas recitare debet. Qui domo discedit, de Breviario nihil cogitans, quin credens alibi, quo pergat, se reperiturum, non peccat non recitando, nisi memoriter pensum solvere valeat. Patet ex dictis quod præcepta non obligent

ultra vires. Supponimus enim hunc oblitum esse Breviarii sine ulla crassa negligentia; ita ut nec sit peccatum in se, nec in causa. Hæc est communis sententia excusans omnes a recitatione, dum Breviario ipsa carent. Qui autem propria culpa carerent Breviario, aut illi qui proiecissent illud in mare, vel se, eo privassent, ut impotentes fierent ad recitandum, non solum graviter peccarunt ea actione qua se Breviario spoliaverunt; sed peccant etiam, quamdiu persistunt in prava illa deliberatione non recitandi. Continuo vero ac voluntatem mutant, ipsosque poenitet prioris actionis, desinunt peccare, & excusantur a recitatione, eo quod sint impotentes ad eandem. Tenentur nihilominus diligentiam omnem adhibere, ut sibi Breviarium comparent.

XII. Qui beneficium obtinuit antequam officium recitare sciret, peccavit obtinendo, eo quod ineptus erat ad illud. Excusatur vero a persolvendis horis canonicis ob rationem impotentiae. Tenetur tamen sedulo incumbere, ut addisat: & si in hoc negligens fuerit, pro gradu maiori, vel minori negligentiae peccabit. Opinio communis.

## §. II.

## De infirmitate.

I. **G**RAVIS infirmitas omnium consensu excusat ab officio persolvendo: quia infirmitas gravis impotentem reddit hominem ad tale subeundum onus. Levis vero infirmitas minime excusat a recitatione ob contrariam rationem, quod nempe Clericus levi morbo laborans aptus sit ad recitandum.

II. Quæst. I. Excusatur ne ab officio qui tertiana febris laborat? Resp. Antequam quæstiunc. respondeo, præmittendum in antecessum est, legem evangelicam, legem esse caritatis, quæ benigna est, & patiens. Præcepta Ecclesiæ sunt veluti viæ quæ ad hanc caritatem disponunt, & instrumenta quæ eam fovent. Porro nec lex evangelica, nec lex ecclesiastica obligant cum propriæ sanitatis notabili detrimento. Dum ergo ægrotus decumbit, quamvis non sit evidens quod notabile damnum subiturus ex recitatione officii sit, nihilominus quia in statu afflictionis est, benignius cum eo agendum erit. Ad propositam quæstionem Navarrus de orat. c. xi. n. 3. Azorius Lib. X. cap. xiii. num. 1. Bonacina disp. i. quæst. vi. punct. i. num. 2. Trullenchus Lib. I. c. xxvii. & alii negant absolute excusari laborantem febris tertiana ab officio per-

perfolvendo. Ut quid probabilius, id est laxius, adfirmat Leander *disp. v. q. xxiii.* Ego vero dico, non posse regulam generalem, & fixam definiti. Quia interdum hæc ipsa febris ita extenuat vires, corpus imbecille ita languidum reddidit caput, ut absque notabili incommodo solvi officii pensum nequeat. Sæpe vero ita levis est, ut nullo gravi incommodo afficiat ægrotum. Quid ergo agendum? Prudentis viri iudicio hæc, & similia relinquenda sunt.

III. Quid dicendum de eo qui febris quartana laborat? Potiori iure negant citati Doctores hunc exemptum ab officio esse. Leander *loc. c. q. xxiv.* probabilius reputat eo die quo ægrotus vexatur febris, immunem ab officii obligatione illum esse. Probabile vero reputat, liberum eundem quoque esse duobus illis diebus quibus febris non laborat: quia, inquit, etiam his duobus diebus, si quartana gravis est, defatigatus, & languidus ægrotus reperitur: quam opinionem confirmat altera sua opinione, qua defendit, laborantes solutos a lege ieiunii esse, non modo illis diebus quibus defatigantur, verum etiam illis diebus intermediis quibus otio disfluunt: tum ut afflicta vires reparent, tum ut ad futuros labores subeundos robustiores evadant.

IV. Utraque opinio laxa est, & falsa. Hæc secunda de ieiunio quam sit a lege absque, alibi ostenditur. Hæc vero de officio seipsa corrumpit. Experientia siquidem compertum est, febrim quartanam non ita affligere corpus, ut diebus intermediis ineptum reddat hominem ad ipsum officium perfolvendum. Quare febris quartana absolute non eximit ab officio diebus intermediis in quibus Clericus liber est. Utrum vero eo die quo febris afficitur, liber sit, prudentium iudicio relinquendum. Si enim febris per solam diei medietatem corpus torqueat, facile sero diei præcedentis febrim perfolvi Matutinum potest, & illa diei parte qua febris cessat, celebrari ceteræ horæ poterunt.

V. Qui pluribus diebus continuam, aut textianam, sive simplicem, sive duplicem, febrim passus est, eximitur congruo intervallo ab officii onere, donec imbecillitatem, afflictaque vires restauret. Dierum, sive temporis spatium definiti nequit; sed prudentis, piique viri arbitrio relinquendum.

VI. Dolor capitis, aut stomachi contingens, qui nec continenter, nec graviter laedit, haudquaquam solvit ab officii lege. Sed, ut dixi, regula certa, & generalis pro similibus eventibus definiti nequit; at iuxta

circumstantiarum varietatem, quid in praxi expediat, vir prudens resolvat. Viri bene morati ipsi sibi regula sunt.

VII. Quæst. II. *Qui tali febre, vel oculorum infirmitate vexatur, ut valeat, & soleat reapse notabilem diei partem in fabularum, historiarumque lectione, aut in amicorum confabulationibus insumere, liber ne ab officio recitando est?* Resp. Non solum probabile, sed probabilius de more defendit Leander *loc. cit. disp. v. q. xxviii.* hunc ægrotum ab officio immunem esse, eo quod lectio fabularum, & historiarum, atque cum amicis dulces confabulationes recreant animum; horarum vero recitatio eundem gravat, opprimique; marorem, tristitiamque parit. Audistin? Deum alloqui, illi laudes pangere, marore, tristitiaque animum perfundit; hominum vero fabulationes spiritum exhilarant, lætitiâ, gaudiumque producant. Pro hac sua opinione citat Dianam, Escobarium, Vericellum, Pellizarium, Sancium, & Tamburinum, qui *Lib. II. in Decal. c. v. §. 3. n. 13. & 14.* hæc scribit. „ Hinc ex Pellizario „ quartana laborans, quando expectat vesperas, & Completorium recitare preveniendo tempus; nihilominus si mane imbecillis existat, timeatque sibi recitationem nocituram, a toto officio absolute, ut ex dictis patet, excusabitur. Hinc luscus, & quicumque ex oculis laborat, si timet videndi vim ex legendo paulatim deperdere, horas canonicas ne legat. Quid si hic luscus, vel ille valetudinarius legat voluntarie fabulas, vel historias, omittat autem officium, peccabit ne? Resp. non peccaturum contra obligationem recitandi officium: ita uterque Sanchez apud Pellizarium: quia ab illo iam excusatur. „ Quæ ratione, amabo te, excusatur a recitatione officii, si fabulas legere, & historias valet? Quia illud tristitiam, subdit Leander, fabulæ vero iucunditatem pariunt. Hæc sunt blandæ Probabilissimi regulæ. Hæc sunt sententiæ quas viri probi, pii, doctique in evangelicam invexerunt Theologiam.

VIII. Qui a chori frequentia excusatur, non propterea liber est a privata recitatione: quia infirmitas, quæ sufficit ad impediendum chori frequentiam, puta pedum debilitas, podagra, & similes morbi, minime officium privatæ recitationi.

IX. Quæst.

IX. Quæst. III. *Qui dubitat, utrum teneatur recitare, liber ne est a recitatione?* Resp. In dubiis istis medicus consulendus, & a superiore petenda dispensatio, quæ potissimum locum habet in similibus dubitationibus. Quid, si medici ipsi dubitant, allatura ne sit nocuum officii solutio? Vel adeundum superior pro dispensatione, vel deponendum dubium. Quia, quamdiu dubium perseverat, securior pars seligenda est: eo vel maxime quod hoc in casu præceptum recitandi est in possessione, a qua deiici nequit vel solam dubitationem, ut fatetur vel ipse Leander. Ad dederim, quod communiter loquendo, dum medici dubitant, argumento est te aptum esse ad recitationem. Ceterum, ut iam dixi, ad omnes perplexitates, angustiasque tollendas, superioris dispensatio obtinenda est.

### §. III.

#### De occupatione.

I. Occurrere interdum occupationem posse quæ ab officio excuset, certum est. Ut autem ab istius præcepti observatione eximat, oportet ut sit gravis, honesta, & quæ differri nequeat absque gravi vel scandalo, vel damno spirituali proprio, aut proximi. Ne multa: aliud maius præceptum urgere debet, ut prius recitandi officii præceptum cesserit. Sententia communis.

II. Quæst. I. *Excusantur ne a recitatione qui habituri sunt publicam lectionem ad cathedram, aut lauream acquirendam?* Resp. Adfirmat Leander, & pro hac sua opinione laudat Navarrum, Sanchez, Pellizarium, Trullenchum, Tamburinum, Bonacinam, Fillium, Sancium, Raphaellem de la Torre, Suarez, & alios. Ad Suarez quod attinet *Lib. IV. c. xxviii. n. 35.* magna cautione de more loquitur. Dicit enim, quod si occupatio esset totius diei, nec posset differri sine aut proprio, aut proximi damno, tunc excusatio locum haberet; secus vero, si aliqua diei pars libera esset, possetque preveniri, aut postponi recitatio. Quod aliquando id contingere possit, non nego: ceterum per raro accidit ut talis occupatio occurrat quæ prorsus excuset. Quid quod in gravioribus functionibus peragendis urget præceptum divinum orationis ad implorandum peculiare auxilium, quo potissimum tunc indigemus? Nec puto verum quod Leander *disp. v. q. xxxv.* addit, disputaturum per integrum diem exemptum ab officio esse: quia, inquit, plurimum sua interest se doctum præbere. Ve-

rum, cum die præcedenti Matutinum cum Laudibus recitare valeat, intelligi vix potest quod medietas horæ non supersit, qua minores illius diei horas recitare possit. Aio ergo, communiter ob eiusmodi functiones neminem excusari ab officii recitatione. Accidere aliquando casum exemptionis posse, iterum concedo; sed quam rarissime hoc accidit. Cum vero contingat, dispensatio, aut commutatio in paucas preces petenda a superiore est.

III. Quæst. II. *Concionatores quotidiani tempore Quadragesimæ excusantur ne ab officii recitatione?* Resp. Leander de SS. Sacramento distinguit: quando Religiosus concionatur quotidie ex obedientia, exemptus ab officio est: quia cum tali labore quotidiano recitatio officii componi nequit. Opera autem caritatis non sunt omittenda propter officium divinum. Hæc sententia falsa est, & falso nititur, ut aiunt, supposito. Experientia quippe compertum est, laborem hunc quotidianum non impedire officii recitationem. Vingtî & amplius annorum spatio quotidianas ego habui conciones in primoribus Italiae civitatibus; & nec semel officium neglexi. Quid quod Clemens VII. privilegium indulgit Clericis Theatinis, ut illorum Prælati valeant dispensare cum Concionatoribus, ut supra explicatum est? Si munus istud suapte natura eximeret, inane esset privilegium istud.

IV. Sed audi quæ subdit Leander. *Respondet etiam probabilius, quod etiam Concionator quotidianus, qui solum voluntarie, aut ex mercede concionatur quotidie in Quadragesima, excusetur ab horis quotidianis dicendis, si commode illas recitare non possit. Et certe, si hæc nostra sententia non est probabilis, ac in praxi tuta; ve ve Predicatoribus quadragesimalibus, ve millies illis.* Verum millies millies vè, & iterum vè illis qui talia typis produnt. Væ similibus Casuistis talia paradoxa ad christianæ pietatis extremam perniciem scriptantibus. Qui voluntarie, & ex mercede quotidie concionatur, exemptus ab officio est? Quis audire hæc absque scandalo valet? Munus Concionatoris potissimum ab oratione pendet. Si præceptum orationis frequentissime urget; quandonam fortius obligat quam cum ministerium adeo sublime exercetur? En, christianæ Lector, causam manifestam cur ætas nostra operariis, & mellioribus abundet, mellis vero penuria laboret: cur hodieum adeo rare peccatorum commotiones: cur divini verbi semen adeo sterile: cur vinea evangelica tam infecunda. Non negaverim plures esse tantæ inquietatis causas. Sed, si di-



si dixerim unam istarum, & certe non le-  
vem, esse Concionatorum ineptitudinem,  
qui apostolicum ministerium non in oratione,  
non in penitentia, sed in cuiusdam humane  
sapientie verbis collocant, fortassis non fal-  
lor. An ad orandum accendent fideles, si ipsi  
orationis canonicæ præceptum quotidie negli-  
gunt? An ad ieiunandum inducent, si ipsi  
pleno ventre eructant, & inquinant divina  
verba? Væ ergo Concionatoribus istis, &  
væ Casuistis, qui eosdem in tanta desidia,  
laxitate, & divini muneris sacrilega præva-  
ricatione fovent. Sententiam Leandri, &  
Bordonii laxiora amplectentis reprobat vel ipse  
Diana *Tom. IV. tract. VI. ref. 29.* & pro ead-  
em citat Suarez, Filliucium, Periscum, Gar-  
ciam, Raphaelem de la Torre, qui adver-  
tit in aliquo repentino casu posse excusari  
Concionatorem ab officio solvendo. Ad-  
do ego, si aliquid peculiare incommodum, ut  
gravis dolor capitis, vel stomachi superven-  
iret Concionatori, & nequiret tali die con-  
cionem habere, & officium recitare; posset  
negligere officium, vel petere dispensationem,  
ut concionem haberet ad populum. Ceterum  
ratione ministerii quotidiani nemo ab officio  
eximitur. Qui enim nequit hæc duo compo-  
nere, conciones omittat. At caritas, inquis,  
in proximum prævalet recitationi officii. Quis  
hoc inficias iverit? Sed qua fronte audes tu  
asserere, proximum adeo tuis concionibus in-  
digere, ut debeas cum divini officii dispendio  
concionari? Quid, si tu, ut Leander supponit,  
ob mercedem accipiendam tale tibi con-  
quisivisti ministerium? Si tanto ingenio, &  
memoria non potiris, ut hæc duo compo-  
nere valeas; hoc ipso te ineptum ostendis ad  
tale subeundum onus. Siquidem qui ingenio,  
spiritu, eloquentia præstant, qui eis dotibus  
instructi sunt quæ optimum constituunt Con-  
cionatorem, opus minime habent totum diem  
in addiscenda concione impendere; sed plures  
illis supersunt horæ quibus precibus vacare  
possint. Ceterum vereor ne Concionatores  
isti officium omittant, non necessitate cogente,  
sed ut colloquiis amicorum, confabulationi-  
bus, & interdum ludis indulgeant. Quod  
quam sit flagitiosum Dei legationem, apo-  
stolicumque ministerium similibus nugis, vani-  
isque diverticulis profanare, nemo est qui  
non videat. Sed adversus laxam, scandalique  
plenam opinionem, & Concionatorum quo-  
rundam corruptelam satis dicta sint.

V. Confessarios, fidelium confessiones ex-  
cipientes per totum diem, excusat ab officio  
recitando Leander *quest. XXXVIII.* Verum raro

accidit, ut istius ministerii causa quis a precibus  
canonicis excusetur: quia raro accidit ut ne-  
queant confessiones in alterum diem differri.  
Si tamen id accidat, concedimus negligens  
officium esse, ut caritatis præceptum im-  
pleatur. Hoc enim caritatis mandatum po-  
tissimum est, cum cetera subiciuntur præce-  
pta. Id tantum admonemus, ne sub caritatis  
larva ignavia, laxitas, & desidia foveantur.

VI. Leander *g. xl.* tamquam certum desi-  
nit, ab officio excusari eos qui toto die oc-  
cupantur in sedandis gravibus inimicitis. Sed  
quandonam occurrit ut in similibus exercitiis  
integrum diem infumere Ecclesiasticus debeat?  
Et tamen hic Auctor rem proponit ut obviam.  
Pariter Confessarios ab officio liberat  
qui hebdomada sancta, vel tempore inbilæi,  
magna penitentium copia affluente, confes-  
siones aliquorum omittere deberent, si officium  
recitarent. Diana, Villalobos, Trullenchus,  
ipso Leandro teste, negant excusari hos Con-  
fessarios: quia raro id contingit. Ipse vero  
Leander *probabilis* de more docet, *absolute,*  
& *per se* excusari. Sed nos de more laxita-  
tem istius Auctoris reiicimus, & cum lauda-  
tis Theologis asserimus, non solum raro,  
sed perquam maxime raro contingere quod  
tanta sit penitentium copia, & Confessario-  
rum inopia, ut nequeat vel anticipatione,  
vel postpositione aliqua, vel diei, vel noctis  
tempore, pensum precum canonicarum exsol-  
vi. In hac Venetiarum civitate vix unquam  
accidit, prout mihi constat, ut Religiosus ali-  
quis, ex iis saltem quibuscumque ego vitam de-  
go, neglexerit preces canonicas ob peniten-  
tium copiam. Si tamen præceptum caritatis  
succurrendi proximorum saluti urgeret, ultro  
concedimus, ut sæpius diximus, negligendum  
officium, Missam, & cetera omnia munia,  
ut periclitanti proximo subveniamus. Sed  
difficultas est, utrum reapse talis necessitas  
urget. In similibus tamen eventibus con-  
sultius erit dispensationem petere: quia rari-  
ssima est necessitas evidens quæ natura sua  
ab officio eximat, ut ut in oppositum fabuletur  
Leander cum Bordonio, aliisque similibus  
Casuistis.

VII. Quid, si Confessarius distulisset recita-  
tionem officii in horam proxime punctum  
mediæ noctis præcedentem, & tunc ad com-  
munionem deferendam moribundo, vel ad  
eiusdem confessionem audiendam vocaretur?  
Deberet, nedum posset, omittere officium,  
& proximo morituro succurrere: quia tum  
revera caritatis mandatum urgeret. Quid,  
si tum cenare etiam Parochus deberet, &

cra-

crastina die celebrare? Latus hunc casum  
proponit Tamburinus, ut in similibus meta-  
physicis speculationibus deliciis fruatur. Nos  
vero hæc ut inutilia, & numquam occurren-  
tia præterimus. Omnibus compertum est quod,  
quoties plura occurrunt præcepta ecclesiastica,  
& divina, hæc illis prævalere debeant, si om-  
nia servari nequeant. Istius generis est al-  
ter casus quem proponit Leander *g. xlv.* de  
Sacerdote ita paupere, ut nequeat necessaria  
ad vitam alendam invenire, & simul offi-  
cium recitare. Sane præceptum sustentandæ  
vitæ potius est præcepto ecclesiastico recitandi  
preces canonicas. At quando hæc occurrunt?

VIII. Quæst. III. *Licet ne propter contem-  
plationem altissimam officium omittere?* Resp.  
Affermat Leander *g. xlv.* inquit, posse quem-  
quam se se exercere in contemplatione divi-  
norum, etiamsi ex illa ita in extasim rapiatur,  
ut postea officium minime recitare queat,  
vel quia raptus est per totum diem, vel quia  
ex illa manet ita fatigatus, & fessus, ut fa-  
cile non valeat. Hæc doctrina phanaticum  
promovet, fovetque. Si Monialibus feminis  
nota evaderet, quam cito incalcescerent illarum  
phantasia; seseque raptas per totum  
diem facile crederent, ut privilegium exem-  
ptionis sibi compararent. Mentem in Deum  
erigant, dum divinas laudes celebrant. Quæ-  
nam est contemplatio isthæc libere suscepta,  
quæ a precibus vi præcepti impositis liberet?  
Quare hanc Leandri opinionem reiiciunt  
Suarez *Lib. IV. c. xxviii. n. 31.* A Sancto  
Fausto de *Hor. II. Part. g. cclxvii.* Escobar-  
ius, Ludovicus de S. Ioanne, quos allegat  
ipsemet Leander.

IX. Quæst. IV. *Peregrinatio ad loca pia,  
iuste, & legitime suscepta, excusat ne ab horis  
canonicis persolvendis?* Resp. Sententia negans  
communis est, quam defendunt Azorius *Lib.  
X. cap. XIII. g. xiv.* Bonacina *disp. I. g. II.  
punct. I. n. 9.* Trullenchus *Lib. II. c. vii.* &  
alii. Quia peregrinatio, tamen si actus reli-  
gionis sit honestus, & meritorius, volunta-  
rius tamen est. Porro prius implenda sunt  
quæ vi præcepti debentur, deinde quæ consilii  
sunt, & libera.

X. Quæst. V. *Ille qui distulit Matutinum  
usque ad meridiem absque urgente causa, exi-  
mitur ne postea a recitatione?* Resp. P. Suarez  
*Lib. IV. c. xxvii. n. 6.* refert Turrecrematam,  
& Cardinalem Caietanum docuisse, talem  
liberum esse a Matutino persolvendo: quia  
licet peccaverit in differendo usque ad meri-  
diem, non tamen peccat omittendo recita-  
tionem, eo quod elapsum sit tempus con-

gruum pro recitatione Matutini. Verum hæc  
opinio iam obsolevit, & Theologi communi-  
ter docent integrum diem qui a media in  
mediam noctem fluit, tempus esse oppor-  
tunum ad implendum præceptum, quamvis  
levis culpa contingat, si absque causa differ-  
ratur Matutinum extra illud spatium tem-  
poris quo celebrari solet, ut supra explicatum  
est. Emanuel Sa docet exemptum a Matu-  
tino illum esse qui iustam ob causam distulit  
in meridiem. Quæ opinio in secunda impres-  
sione expuncta fuit iussu Magistri sacri apo-  
stolici Palatii. In hanc sententiam concedit  
Caramuel in *Reg. S. Benedicti disp. cxvi. n.  
1442.* Opinionem Sa, & Caramuelis impu-  
gnat vel ipse Tamburinus *Lib. II. in Decal.  
cap. v. §. 8. n. 20.*

XI. Quæst. VI. *Qui providet aliquod im-  
pedimentum superventurum, tenetur ne antici-  
pare officium?* Resp. Distinctione opus est.  
Impedimentum aut libere apponitur, aut ex-  
terius vi obicitur. Caramuel *loc. cit.* contem-  
dit excusari eum qui libere sibi impedimen-  
tum recitandi imponit. Puta, quis libere sus-  
cipit iter, quod impedit recitationem officii,  
non tenetur iuxta Caramuelem prævenire so-  
lutionem. Hæc opinio falsa est, & commu-  
niter reiecta a Theologis. Aut impedimentum  
oriri potest a natura, quin sit in nostra liber-  
tate illud repellere. Prævidet febrim quarta-  
nam circiter meridiem superventuram, & us-  
que in mediam noctem duraturam. In hoc  
casu te liberum ab anticipando, atque adeo  
solvendo officium esse docent plures. Candi-  
dus *Tom. II. disquis. xiv. art. 28. dub. 34.*  
Henriquez *Lib. IV. c. iv.* Caramuel in *Re-  
gul. S. Benedicti disp. cxvi. n. 1442.* Quam  
opinionem probabilem reputant Sanchez,  
Trullenchus, Pellizarius, & alii. Mihi au-  
tem nullo modo probabilis, sed improbabilis  
est. Ratio clara est, & manifesta. Tempus  
obligationis officii est integer dies. Ergo,  
quando prævidetur aliquod impedimentum in  
tali diei parte superventurum, tenemur anti-  
cipare observationem præcepti; quemadmo-  
dum si prævidet te non posse circiter meri-  
diem Missam audire, teneris Missæ auditio-  
nem anticipare. Hæc sententia communior  
est, quam defendunt Navarrus, Maior, San-  
chez, Pellizarius, Leander, alique plures.

XII. Quæst. VII. *Qui non potest maiorem  
officii partem recitare, tenetur ne recitare mi-  
norem?* Resp. PP. Salmanticensis *tract. xvi.  
c. III. punct. 6. §. 2. n. 48.* hæc scribunt.  
„ Quare universaliter olim diximus, eum  
„ qui totum officium integre dicere non po-  
„ test,

test, ita ut ad partem notabilem illius non sit potens, a totius officii recitatione excusari: & probatur: quia secundum aliam sententiam vix certa regula in hac parte potest assignari, & totum scrupulis, ac perplexitatibus expositum relinquitur: tum quia præceptum recitationis est individuum, unicum, & simplex, & unico simplici præcepto totum officium imperatur: nec enim est præceptum quoad partem, sed quoad totum; sicut præceptum audiendi Sacrum non est de parte, sed de toto. Ergo sicut qui non potest totum Sacrum audire, non tenetur quoad partem; sic qui non potest totum officium recitare, nec etiam quoad partem quam potest, tenetur. "Laudant pro hac sententia Antonium a Spiritu sancto, Caramuelem, Martinum a S. Ioseph, Joannem Sancium, & alios. Sub finem vero illius numeri hæc addunt. "Auctoris sententia multis annis ante assumptionem Innocentii XI. morte præventi, correctæ fuit ab eodem summo Pontifice prop. 64. damnante, quæ erat huiusmodi; *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* Quare mandatis, ut par est, supremi capituli obtemperando, dicimus ad recitationem horarum teneri eum qui Matutinum, & Laudes ob aliquam causam non valeat recitare. "Hactenus laudati Patres, qui tamen argumenta in favorem damnatæ sententiæ minime solvunt. Hæc idcirco retuli, ut constet Auctores istos, quos alioquin magni facio, non raro in laxiores declinare sententias: quod tempori, in quo scripserunt, tribuendum est. Qui hæc illorum opera recederunt, opportunis locis inserunt damnatas opiniones signo distinctas; ac si in sola illa proscripta propositione venenum laxitatis includeretur, & non in principiis e quibus illa profuit, & in consecratis quæ ex illis deducuntur. Existimarunt isti ab omni laxitate purgare universam doctrinam, dum propositionem damnatam veluti laciniam affuerunt panno male intexto; cum totam telam reordiri deberent, & huiusmodi omnia ab illo Theologico cursu, ceteroquin commendabili, auferre. Quod dictum volo, non ut perdoctis Theologis, & de sacra doctrina optime meritis quidquam existimationis detraham; sed ut lectores in seligendis eorumdem sententiis cautiore efficiam.

XIII. Sententiam damnatam non modo ut probabilem, sed ut probabiliorem more suo

defendit P. Leander de SS. Sacramento tract. VIII. disp. v. quest. III. variasque allegat rationes, quarum ultima hæc est. *Quia (inquit) sic suavius redditur onus officii, & scrupulis, ut dicimus, minus obnoxium.* En quo modo ubique recurrit Probabilissimi suavitas, quæ eo spectat, ut iugum legis excutiat. Quænam maior suavitas illis quibus onerosum officium est, quam si eos tali oneri subducas? Pro hac sua damnata opinione citat *Castropalaum, Fillucium, Lessium, Navarrum, Sanchez, Raphaellem de la Torre, A. S. Fausto, Escobarium, a Corro, Dianam, Bassacum, Pradum, Garciam, Villalobos*, atque etiam P. Franciscum Suarez, sed immerito. Et ut doctissimum, piissimeque Theologum, quem summopere colo, ab hac nota liberem, illius verba transcribam: quod antequam præsto, præmitto, illum duplicem comparisonem instituire. Primo comparat partes cuiusque horæ, puta Primæ, & resolvit non teneri ad recitandum unum psalmum, illum qui non potest integram horam persolvere: quia unaquæque hora est quoddam totum morale individuum. Licet ergo quis possit dicere aliquas minimas horæ partes, nequiret vero partem substantialem, & præcipuam talis horæ, ad nihil teneretur: quia minima pars Primæ non est Primæ; & sic de ceteris. His positus num. 27. hæc addit.

XIV. "At vero iuxta alteram comparisonem (*integra hora ad totum officium*) non censeo esse veram generalem regulam negativam pro omnibus casibus, & impedimentis, videlicet ut qui non potest tot horas dicere, ut contineant saltem maiorem partem totius officii, nullam dicere teneatur. Non est enim similis ratio: quia unaquæque hora, ut dicebam, est per se quoddam totum, quod per modum canonici officii dicitur: & aliunde exempla, & rationes adductæ videntur mihi oppositum convincere in multis casibus. In casu autem infirmitatis, de quo tractatur, non censeo hanc excusationem, vel licentiam tam scrupulose restringendam, ut quicumque in infirmitate dicere possit unam, vel alteram horam sine gravi incommodo, ad illam dicendam obligetur. Nam hoc esset nimis onerosum, & præter suavitatem legis humanæ, & præter consuetudinem, quæ est optima legum interpretis. Et ideo respiciendum censeo ad modum infirmitatis impediens recitationem: nam, si peculiariter impedit aliquam horam propter

dit-

difficultatem in ea dicenda, ut verbi gratia in Matutino propter debilitatem visus, & capitis; & illa difficultas in aliis horis non sentitur, sed commode dici possunt; non video legitimam excusationem quoad tales horas, si illæ sint plures, si pauciores. At vero si infirmitas impediatur definitè totum officium, ut est febris gravis, vel aliquid simile, tunc non censeo esse scrupulose inquirendum, an possit infirmus unam vel alteram horam dicere: quia excusatio illa ex se indefinita aequivalere universali: ita enim, ut dixi consuevitudo hanc legem interpretatur: & fortasse ratio est, quia est valde difficile in huiusmodi occasionibus attingere punctum in iudicando, quid possit homo dicere, vel non dicere sine gravi incommodo; & ideo satis esse creditur quod officium ipsum dici non possit sine notabili incommodo. "Hactenus Suarez, qui plura addit huc pertinentia, & hoc in sensu locutum Navarrum docet.

XV. Laudatam doctrinam Suarez ambabus ulnis amplectimur, utpote solidam, & prudentiæ regulis nixam. Gravi infirmitate laborans absolute ab officio exemptus est, tum consuetudine obtinente, tum quia impotentia non subicitur legi. Porro, quamvis hic infirmus dicere fortassis aliquam horam valeat absque gravi incommodo; quia tamen datum nemini est punctum attingere virium, & fortitudinis, qua sine notabili damno ægrotus queat recitare unam aut alteram horam; idcirco ad tollendas angustias, perplexitates, animique agitationes ægrotus graviter decumbens ad nihil tenetur. In similibus eventibus humanæ, divinæque legis suavitas elucet. Subiungit autem prudens Theologus, tales occurrere morbos posse qui ob debilitatem vel capitis, vel oculorum impediunt legere Matutinum, lectionesque; secus vero recitare alias horas, quas sine difficultate dicere potest: & ad has recitandas teneri eum docet qui tali levi morbo laborat. Itaque, ut paucis omnia comprehendam, infirmitas gravis, quæ absolute eximit infirmum ab onere officii, ad nullam partem adstringit. Vix enim aliquis infirmus esset qui aliquam parvam horam recitare non valeret. Infirmitas quæ gravis non reputatur, quæque absolute iuxta prudentium existimationem non excusat ab officio (licet ægrotus ob debilitatem aut oculorum, aut capitis, aut ob aliud incommodum non valeat legere Matutinum) non ex-

Conc. Theol. Tom. II.

cusat illum ab illis horis quas sine notabili incommodo dicere potest. Quod si dubium occurrat circa potentiam, vel impotentiam recitandi absque incommodo, superior adestur pro dispensatione: quod in his casibus semper consultius erit.

XVI. Sententia ergo damnata, quam præceteris intrepide docent tum P. Thomas Tamburinus Lib. II. in Decal. c. v. §. 8. n. 3. pro eadem citans Azorium, Castropalaum, & Sanchez, tum P. Leander loc. cit. hunc habet sensum. Absolute qui non potest maiorem, potest vero minorem officii partem recitare, ad nihil tenetur: quia, inquit Tamburinus, cum aliis, *maior pars trahit ad se minorem.* Quæ ratio petitur ex cap. 1. de iis quæ sunt a maiori parte. Item accessorium sequitur principale. Addit Tamburinus, hac via suavius reddi officii onus. Immo suavissimum, addo ego. Caramuel vero, qui est alter antesignanus istius proscriptæ thesauri, utitur illo principio, quod totum divinum officium indivisibiliter præcipitur. Quo principio nitebantur quoque ad inferendum non teneri servare unicam comesturam diebus ieiunii qui non potest ob solam nauseam vesci piscibus, indigetque carni um usu. Quam opinionem anno 1742. duobus Brevibus datis mensibus Maii, & Augusti indirecte proscripsit BENEDICTUS XIV. Pontifex feliciter regnans, dum præcipit oppositam opinionem in præxi sequendam, præscribitque unicam servandam comesturam ab iis qui ab abstinentia a carnibus dispensantur.

XVII. Fallitas damnatæ sententiæ suapte natura patet. Quoniam, ut ex iis quæ dicta sunt, constat, officium divinum totum quoddam morale est, septem horis conflatum, quarum quælibet totum quoddam peculiare est. Sive enim pluribus præceptis, ut contendunt non pauci, sive unico mandato, ut communius contendunt alii, præscribatur; iuxta omnes tamen singulæ horæ integram perfectamque orationem continent. Ergo qui non valet omnes, potest autem aliquas, ad has tenetur. Nonne qui non potest solvere totum quod debet, tenetur solvere totum quod potest, quoties hoc separabile est? Qui non valet solvere centum, potest autem decem aureos, hos reddere cogitur. Horæ canonicæ separabiles sunt: qua de causa Subdiaconus sacro ordine versus meridiem initiatus iuxta omnes tenetur solum sequentes horas, Vesperas nimirum, & Completorium, recitare. Quid quod ipsi adversarii fatentur, eum ad maiorem officii partem quam potest

V

dicere,

dicere, astrictum esse, tamen nequeat minorem; aut, si aequalem valeat dicere, ad hanc recitandam urgeri? Fateantur ergo & ipsi dividuum officium esse, quemadmodum dividuum ieiunium est.

XVIII. Fundamenta quibus nitebatur scripta thesis, inania prorsus sunt, & pura putaque sophismata. Principium illud, quod maior pars trahit ad se minorem, locum habet in suffragiis, quorum maior numerus rem desinit, lege sic precipiente. In aliis dividuis materiis locum minime habet: alioquin qui nequit solvere centum, non teneretur solvere decem, cum possit: quod absurdum a nemine admittitur. Accessorium sequitur principale, quando a principali est inseparabile; secus, quando separabile ab eo est, & disparatum. Quapropter qui ovem cum agno promissit, pereunte ove, tenetur reddere agnum. Quod de consuetudine obtrudit Tamburinus, a veritate abluat. Consuetudo contraria omnino obtinet, videlicet quod reddat partem qui non potest totum: estque axioma lumine naturæ notum, solaque Probabilissimi caligine obtenebratum.

XIX. Quæst. VIII. *Qui non potest minorem, potest autem maiorem partem officii recitare, tenetur ne hanc dicere?* Resp. Negant plures iuniores, & negare coguntur omnes illi qui sustinent officium divinum individuum esse. Verum plures ex illis ipsis qui propugnant opinionem damnatam, docent, teneri Clericum ad maiorem officii partem, quam potest recitare, licet nequeat minorem, quia maior pars tunc trahit ad se minorem, inquit Tamburinus, & Leander. Hinc qui non potest Matutinum dicere, astringitur, cum potest, persolvere Laudes, reliquasque horas.

XX. Quæst. IX. *Qui non potest dimidiam, potest vero alteram officii dimidiam partem recitare, tenetur ne ad hanc?* Resp. Negant docti iuniores, Leander *disp. v. q. lvi.* & citat *Castropalaum, Dianam, Corrum, Rodriguez, Molfesum*, & alios. Sed difficultate torquentur in assignando puncto medietatis. Constituunt ex una parte Matutinum cum Laudibus, ex altera ceteras horas. Negant teneri ad istas eum qui nequit primas persolvere. Confectarium est propositionis damnatæ. Ideo hæc opinio falsa est. Fatentur tamen teneri ad matutinum cum Laudibus, si possit, eo quod existiment Matutinum Laudibus potius aliquo modo partem officii esse.

XXI. Quæst. X. *Qui habet Divinum, caretque Breviario, tenetur ne psalmos Matutini*

*recitare?* Resp. Pro sententia negante Leander *loc. cit. q. lx.* laudat Filiucium, Pellizarium, Tamburinum, Dianam, Garciam, Sancium, & alios plures. Ipse vero Leander adfirmat, si officium sit feriarum, vel Sancti simplicis: quia psalmi sunt maior Matutini pars; & tres lectiones cum responsoriis sunt parva Matutini portio: pro qua sententia laudat Sanchez, Dianam, Trullenchum, & alios. Negat vero, si Matutinum esset festi duplicis, vel semiduplicis: quia in hoc casu psalmi essent minor pars. Ad id vero debere hunc recitare aliquod officium de communi, casu quo illud memoriter dicere sciret.

XXII. Mihi probabilius videtur hunc debere recitare psalmos Matutini currentis, si officium sit feriarum, siue cuiusque Sancti, ut docet Navarrus *Lib. de Orat. cap. xi. n. 17. & 18.* cuius hæc sunt verba. *Ridendos fuisse, ait, qui facientes iter excusabant se ob defectum Breviarii ab omnibus horis cum possent omnia præter lectiones, & responsoria maiora memoriter dicere. Et multo magis eum quem meminimus excusare se a dicendo vespertinam, eo quod ignoraret antiphonam, & orationem illius diei propriam. Quoniam omnes præfati tenebantur de præcepto recitare omnia que poterant memoriter; & de consilio pro aliis aliqua que viderentur eis aptiora, substituere.* Hactenus Navarrus, cuius doctrinam utroque pollice subscribo. Hinc qui horarum psalmos recitare memoriter sciunt, quamvis ignorent antiphonas, capitula, & orationes, ad id tenentur, ut cum aliis docet vel ipse Leander *quæst. lxi.*

XXIII. Quæst. XI. *Excusatur ne ab officio qui magnam patitur in eo recitando difficultatem?* Resp. Negans opinio communis est, etiam penes iuniores, nisi tanta sit difficultas que impossibilem moraliter reddat recitationem; qualis esset, si quis ex recitatione febrim, vel gravem capitis dolorem timeret experientia doctus. Quod accidere solet in quibusdam nimium meticulis, scrupulisque obnoxiiis. Excusarentur pariter qui timerent gravem iacturam fortunarum, vitæ, & honoris, ut degentibus inter hæreticos, & infideles accidere interdum posset. Inter Catholicos enim id contingere vix potest.

## §. IV.

## De dispensatione.

I. Quæst. I. *Summus Pontifex potest ne dispensare Clericum ab officii recitatione?* Resp. Sententia adfirmans communis est: quia quilibet legislator dispensare valet in lege a se lata. Præceptum autem recitandi officium est ecclesiasticum. Ergo Pontifex super eo dispensandi facultate potitur.

II. Quæst. II. *Valet ne Pontifex dispensare Beneficiarium?* Resp. Negant Angelus Rosella, & Turrecremata apud Leandrum *q. lxxv.* eo quod obligatio Beneficiorum recitandi officium est de iure naturali. Contraria opinio communis est. Quia licet vi iuris naturalis teneantur Beneficarii aliqua subire onera, non tamen officium determinate sunt iure ecclesiastico, idcirco Pontifex in his omnibus dispensare valet, quatenus hæc omnia cadunt sub præcepto iuris positivi. Distingendum enim est ius naturale prohibens aliquid, quia malum, a quo nulla humana potestas dispensare potest; & ius naturale præcipiens aliquid bonum indefinite, & iuris positivi determinationi obnoxium. Ab hac lege, quatenus positiva, Pontifex dispensare valet.

III. Quæst. III. *Potest ne Episcopus dispensare in perpetuum Clericum ab officio?* Resp. Sententia negans est communis: quia inferior potestatem non habet in legem latam a superiore. Lex autem obligans Beneficiarios, & Clericos ad canonicas preces lata ab Ecclesia est. In casibus tamen occurrentibus dispensare pro temporum, & circumstantiarum varietate, & ex rationabili causa suos subditos possunt Episcopi: quia & Pontifex id concessisse rationabiliter præsumitur; & consuetudo invecita id confirmat. Qua dispensandi facultate potiuntur etiam Vicarii Episcoporum ex eorundem concessione, & peculiari mandato, nec non etiam Vicarii Capitulorum, Sede vacante.

IV. Quæst. IV. *Prælati regulares valent ne dispensare cum suis subditis?* Resp. Distingendum est de Religiosis sacris initiatis ordinibus, & de non initiatis. Tam de istis, quam de illis negant plures; quos citat Leander *q. lxxix.* Plures alii adfirmant primum de Reli-

giosis non constitutis in sacris: quia isti non communi, sed religioso iure tenentur ad horas canonicas; atque adeo, sicut possunt regulares Prælati in aliis Regulæ, & constitutum præceptis, sic etiam super hac obligatione, seu consuetudine subditos dispensare poterunt. Pro hac opinione Leander citat Lessium, Bonacinam, Palaum, Villalobos, Tamburinum, Caietanum, Sylvestrum, Navarrum, Medinam, & alios. Idem asserunt de potestate dispensandi ceteros Religiosos sacris initiatos: quia Prælati regulares se habent respectu suorum Religiosorum, veluti Episcopi, qui, ut diximus, in occurrentibus casibus subditos suos dispensare valent. Ad dunt, non solum titulo iuris communis, verum etiam titulo privilegiorum, dispensare posse Prælatos regulares cum suis subditis, puta tempore infirmitatis, & convalescendi ex eadem. Et certe, si quid privilegia in hac materia Regularibus concessa valent, potissimum locum habent in similibus eventibus. Quin vel ipsa privilegia facultatem expressam concedunt dispensandi cum debilibus, infirmis, studiisque litterarum occupatis. Advertit P. Suarez *Lib. IV. cap. xxviii. n. 41.* quamlibet Religionem servare debere propriam consuetudinem. Porro, quantum mihi scire licet, cuiusque Religionis Prælati dispensare solent tempore convalescendi ex morbo cum debilibus, & occurrentibus dubiis eventibus; quemadmodum dispensant in ceteris præceptis ieiuniorum, festorum, & similibus. Cum senibus vero, vel oculis caligantibus absolutam dispensationem impertire saltem in meo Ordine Prælati non solent; sed dispensatio a Summo Pontifice postulatur, ut pluries fieri ipse vidi. Dictas vero supra dispensationes, non modo Generales, ut contendit Bonacina, sed & Prælati conventuales impertire solent, consuetudine invecita, & privilegiis indulgentibus.

## CAPUT XI.

*De obligatione Præbendatarum, seu Canonicorum frequentandi chorum, ut quotidianas distributiones lucrentur.*

Hactenus disputatum est de omnibus iis qui canonicas preces recitare tenentur. In præsentiarum de peculiari personarum genere disputationem instituiamus. Canonici, seu Cathedralium Præbendati iustiori vinculo choro addicti sunt propter quotidianas distributiones. Et quia plures occurrunt difficultates resolvenda, ideo in varios paragraphos caput istud distribuam.

## §. I.

*Quanta sit Canoniorum obligatio chororum frequentandi, & qua ratione psallere, & canere cum aliis debeant, ut distributiones lucrentur.*

**I.** Nimadvertendum primum est, diversas esse cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum consuetudines. Nam in quibusdam cathedralibus singulis diebus officium canitur; in aliis non cantu, sed submissa voce persolvitur totum singulis diebus; in aliis non totum, nec in dies singulos, sed tantum diebus dominicis, & festis. Quisque inherere licite potest propriae Ecclesiae consuetudini.

**II.** Quaest. I. Peccat ne letaliter Canonicus, sive Praebendatus, qui abest a choro absque causa legitima? **R.** Communis Theologorum sententia est, Canonicos, sive Praebendatos lege teneri ad recitandum officium in choro. Quod colligitur ex cap. fin. dist. xcii. & ex Tridentino sess. xxiv. cap. xii. Quin aetiori vinculo tenentur isti quam Regulares. Quapropter Thomas Tamburinus non excusat a choro Canonicos, si duo tantum essent; quamvis excuset Regulares ob talem parvum numerum. Itaque, si absunt a choro Canonici ultra tempus a lege permittum, dubio procul peccant mortaliter, cum onere restituendi distributiones, si illas perceperint: quia praefati redditus ea lege dantur, ut Praebendati publice divinum officium recitent.

**III.** Quaest. II. Si absunt a choro animo eodendi distributiones temporis absentis debitas peccant ne letaliter? **R.** Negativam opinionem defendunt Sylvester verb. Hor. q. ii. Caietanus verb. Hor. §. 5. Navarrus de Orat. cap. v. Valentia 2. 2. dist. vi. q. ii. punct. 10. Reginaldus Lib. XVIII. n. 176. Barbosa de potest. Episcopi III. Part. alleg. 53. num. 182. Tamburinus Lib. II. in Decal. cap. v. §. 4. n. 7. Pellizarius Tom. II. tract. v. cap. viii. sect. 2. q. i. n. 130. & alii. Quoniam, inquit, nullus est textus evincens Canonicos teneri sub mortali ut choro adsint. Tota illorum obligatio assistendi choro nascitur ex distributionibus quas percipiunt: ergo, cum his renuntiant, se omni obligatione liberant.

**IV.** Communior, & probabilior sententia est, praefatos Canonicos peccare mortaliter: tum quod cap. Relatis 61. dist. cap. Si quis Presbyter 92. excommunicationi subiicitur Clericus non recitans in Ecclesia cui addictus est: tum quia Praebendati non solum tenentur assistere in choro propter distributiones, tamquam mercede conducti; sed potissimum

ob primariam beneficii institutionem. Denique Praebendati obligantur ad residendum in propria Ecclesia sub gravi culpa. Porro quoniam istius residentiae finis, nisi chori frequentia? Hanc sententiam defendunt Suarez Lib. IV. cap. x. n. 17. & cap. xiii. n. 5. Bonacina disp. II. q. i. punct. 2. Vasquez de Benef. cap. III. art. 2. dub. i. n. 182. Castro-palaus disp. III. punct. 2. Filliucius tr. xxiii. cap. vii. n. 207. Salmanticenses tract. xvi. cap. iv. punct. i. num. 3. Leander disp. vi. q. xxxiv.

**V.** Quaest. III. Peccant ne letaliter Canonici qui semel, aut bis a choro absunt absque ulla causa? **R.** Negat Castropalaus loc. cit. Leander ut probabilem hanc amplectitur sententiam, & aequo probabilem ac oppositam disp. vi. q. xxxiv. & citat Vasquez, Grassium, Bonacinam, & alios: quibus addo ego Salmanticenses tract. xvi. c. iv. punct. i. n. 5. Mihi arridet iudicium prudens P. Suarez, qui de hac quaestione talia scribit Lib. IV. cap. xiii. n. 8. & q. Aliqui docti existimant, etiam unius diei absentiam non esse rem gravem, quando regulariter servitium chori diligenter, ac strenue fit. Nam Grassius ait, semel, aut bis deesse in choro, non esse mortale: idemque sentit Sylvester statim citandus; quod certe non videtur improbabile.

Ego vero nolo esse fautor huius licentiae, neque in hoc iudicium meum interponere. Nam difficile profecto est in his rebus moralibus in particulari definitum arbitrium proferre: & ideo consulo ut haec licentia non facile, vel frequenter sumatur: quia est grave periculum peccandi mortaliter: quae culpa non excusatur, eo quod distributiones amittantur: quia non excusatur culpa ratione poenae, & quia Ecclesia privat servitio sibi debito ratione talis beneficii. Hac moderatione in rebus obscuris loquuntur viri docti, qui Probabilissimi fuisse Suarez Camargo ostendit. Cum eodem Suarez l. c. non auderem damnare gravem culpam Canonicum qui tempore unius horae abesset a choro; dummodo tamen privatim eam recitet, amittatque distributiones.

**VI.** Quaest. IV. Quomodo Canonici, seu Praebendati cantare, & recitare in choro cum aliis debent, ut distributiones lucrentur, praecipueque faciant satis? **R.** Certum primo est non teneri Canonicos cantu, quem figuratum vocant, persolvere divinas laudes. Quare, dum in magnis solemnitatibus officia divina tali modo canuntur, non tenentur Canonici suam immixtam vocem, eo vel maxime

xime quod isti communiter talem canendi formam penitus ignorent. Igitur Canonici, & Praebendati tenentur psallere, & canere officium iuxta ritum ordinarium, & consuetum cuiusque Ecclesiae. Qui solam assistentiam corporalem praestarent, nihil recitantes, seu vocaliter dicentes, non satisfacerent praecipito, nec acquirerent distributiones. Siquidem non ideo Canonici instituti sunt, ut in choro se tamquam statuas, & stupidos truncos praebent; sed ut Deum laudent, populumque devoto cantu in Deum excitent. Idque clare in iure habetur, & praecipue in Tridentino sess. xxiv. c. xii. & sess. xxii. c. iii. ubi iubet ut unusquisque personaliter competens ibi servitium iuxta formam ab Episcopis praescribendam quolibet die statuto impleat.

**VII.** PP. Salmanticenses l. c. n. 5. asserunt, consuetudine inuenta maxime in Hispania, Canonicos, seu Beneficiarios non teneri per se in choro psallere, seu canere; sed suo muneri facere satis, & distributiones lucrari assistendo, suaque officia praestando psallentibus ministris, & Capellanis. Quae consuetudo inquit, nullam praefert indecentiam; sed magis decorem, splendoremque. Pro qua opinione citant Reginaldum, Sanchez, Pellizarium, Aragonium, Ledesnam, Suarez, Bonacinam, & alios. Haec opinio falsa est, & scandalum plena, urbe, & orbe exterminanda.

**VIII.** Ex tali consuetudine inferunt plures ab iisdem Salmanticensibus laudati, Canonicos lucrari distributiones, & satisfacere obligationi, etiam si nihil canant, aut recitent, etiam si divinis officiis non attendant, sed voluntarie sint distracti interius, vel etiam exteriori confabulando, legendo, dormiendo (quamvis peccant mortaliter sic indebite assistendo, saltem si non recitent postmodum privatim) quia vere assistunt, licet indebite: ergo distributiones assistentibus debitas lucrentur. Pro hac opinione citant Cordubam, Garciam, Medinam, Martinum a S. Ioseph. Quin addunt ex Sanchez, Pellizario, Martinoque a S. Ioseph, quod, licet Canonici privatim non recitent quae in choro non recitaverunt, adhuc distributiones quotidianas lucrentur. Pro prior opinione laudant etiam P. Franciscum Suarez Lib. IV. c. xiv. n. 12. ubi haec scribit. Propter haec est valde probabile non excusari a culpa mortali Beneficiarios qui choro intersunt sine proposito ibi orandi, vel attendendi; sed tantum cantandi materialiter, vel assistendi, ne lucrum amittant. Non est tamen hoc certum, sed satis

Conc. Theol. Tom. II.

dubium, quando habent propositum, & usum privatim recitandi. Sententia sapientis Suarez haec est. Si aliqui Canonici sunt ita obnoxii distractionibus, & evagationibus mentis, ut propter diurnitatem vereantur ne non valeant mentem attentam habere; non videntur damnandi mortalis culpae, si privatim attente officium, & eo quo possunt modo, sive etiam distracte interius recitent. Sic ipse semetipsum explicat num. 13. Quando in exteriori modo assistendi, vel canendi in choro nulla datur aliis offensio, neque ponitur impedimentum attentioni, & interior attentio omittitur, non ex contemptu, sed ex quadam negligentia, vel remissione animi, propter diurnitatem, cum proposito iterum legitime recitandi, non facile damnanda est illa culpa ut mortalis. Quantum haec docti Theologi doctrina distet a laxa opinione pro qua illum citant Salmanticenses, nemo non videt. Recipiunt autem vel iidem Salmanticenses laxissimam opinionem illam quae asserit Beneficiarios distributiones quotidianas lucrari, etiam si choro assistant, legendo, dormiendo, confabulando: quia istae distributiones non conferuntur nisi ob assistentiam humanam, quae in Dei cultum cedat, & populi devotionem. Porro eiusmodi assistentia dormitione, risu, confabulationibus profanata non in cultum, sed in contemptum Dei, populorumque scandalum cedit. Ut paucis rem expediam, Canonici seipsis recitare, canere, psallere in choro debent. Non consuetudo, sed corruptela gravissima illa est qua ministrorum voce sua implere onera contendunt. Eo ne spectat Canonicatum institutio, ut Canonici statuarum in choro vices gerant? Quam sunt contemnendi Casuistae illi quos vanis opinionibus, tam horrendos abusus honestare minime pudet!

**IX.** Quaest. V. Satisfaciunt ne suis obligationi Canonici qui suam officii partem ita submissa voce recitant, ut ab altero choro non audiantur? **R.** Adfirmant Sanchez, Garcias, Diana, & alii praecedenti quaestione citati. Verum probabilior sententia docet, illos non satisfacere praecipito assistendi choro, nec distributiones quotidianas acquirere. Quia haec distributiones illis conferuntur qui choro inserviunt; at qui psallunt, ut non audiantur ab altera parte, choro non inserviunt: quia sic recitare perinde est ac domi officium privatim persolvere. Hanc defendunt Azorius Lib. X. cap. xi. quaest. v. Lessius Lib. II. de iustit. cap. xxxix. dub. 33. Reginaldus Lib. XVIII. n. 175. Leander

V 3

disp.

*disp. VI. q. xxxviii.* & penes ipsam Beia, Squillante, Marchinus, Suarez, Navarrus, Bonacina, Sotus, Graffius, pluresque alii. Hinc sequitur, neque dimidiam distributionum partem respondentem dimidiata recitationi præfatos Canonicos acquirere: quia illa dimidiata recitatio privata est, non publica, qualis requiritur ad implendum præceptum frequentandi chorum. Illi vero Canonici qui ita clara voce suam partem pronuntiant, ut ab altero choro audiantur, vel audiri possint, acquirunt distributiones, præceptumque implent, etiam si illi attentione adhibita nequeant alterius partis percipere versus. Neque isti tenentur privatim repetere, ut inquit Suarez Lib. IV. cap. xlii. a n. 8. *Quod autem non debeat Canonicus repetere, aut suppleri ea quæ non percipit, colligi potest ex eo quod esset illi magnum onus denovo, post tot onera quæ habet &c.* Verum vix in praxi hoc accidere autumo. Vix enim fieri potest ut aliqui saltem alterius partis non audiantur. Quod si contingeret ut una pars nihil omnino perciperet eorum quæ recitantur ab altera parte, non adeo facile absolverem a repetitione. Onerosa utique repetitio: sed quot ob hominum malitiam, & pravitatem onera, & gravamina subire non tenemur? Sed, ut dixi, vix in praxi hoc contingit. Distributiones tamen acquirunt, quia per ipsos non fiat quin divinum officium rite celebretur, & recte. Dum musici canunt aliquam horam, debent Canonici submissa voce eam recitare: & consultius esset ut ante musicam, vel post, prout opportunius fuerit, ipsi Canonici in choro recitarent de more quæ a musicis de divino officio canenda sunt.

X. Quæst. VI. *Quid præscribunt Concilia de modo quo Canonici, & præbendati tenentur implere præceptum assistendi choro?* Resp. Post relatas Theologorum sententias lubet aliqua Conciliorum decreta isthuc transcribere. Et quamvis Concilia referenda, non sint ecumenica, non idcirco tamen parvi faciendæ sunt. Non pauci Casuistarum auctoritates alicuius Synodi diocesane, vel provincialis majori ausu respuunt, ac si essent opinioniones cuiusdam privati Probabilistæ; cum tamen decreta Synodorum quarumque, quæ morum doctrinam explicant, pluris habenda sint quam nostrorum iuniorum placita. Quippe Synodis omnibus ab Episcopis quos Deus posuit regere Ecclesiam suam, legitimè congregatis peculiariter Spiritus sanctus assistit; non ea quidem assistentia qua assistit summis Pontificibus, aut Concilio generali

ab eisdem Pontificibus congregato, vel approbato, ne umquam errent; sed peculiariter quadam protectione, quam impertiri solet suis ministris, quos elegit ad regendam Ecclesiam suam. Quare eiusmodi Synodi quæ solent a summis Pontificibus approbari, magna polleere auctoritate, plurisque faciendæ esse quam recentiorum Casuistarum placita, nemini dubium esse potest. Verum hæc obiter dicta sint. Nunc transcribam nonnulla decreta synodalia isthuc pertinentia.

XI. D. Carolus Borromæus II. Part. tit. xxxiiii. *Qui dignitates, inquit, aut personatus in Ecclesiis obtinent, & Canonici, nominis, ac institutionis suæ memores, ea pietate, & assiduitate divina officia colere debent, ut alii eorum exemplo ad studium, & amorem divini cultus accendantur.* Itaque auctoritate etiam Concilii Tridentini præcipimus ut, cum in choro psallendum est, ipsi quoque, quantum honoris gradu ceteris præstant, tanto studiosius psalmis, hymnis, & canticis una cum aliis modulantes Dei laudes celebrent. Cui officii si defuerint, pro absentibus habeantur; & earum horarum quas ea ratione non obierint, distributionibus multentur.

XII. Concilii Burdigalensis anno 1583. celebrati decretum, quod refert Natalis Alexander Lib. II. art. 2. regul. 14. hæc præscribit cap. viii. *In choro colloquia nulla permittantur; sed omnes pie, ac devote divino cultui sint intenti. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat, privetur eius horæ distributione, vel graviore poena mulctetur.* Dum psallitur, Canonici omnes, & Sacellani, nisi per invaletudinem, aut aliam legitimam causam impediantur, psallant, nec maneant in suis sedibus otiosi; neve putent se officio functos, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent. Preces, & divina officia, non cursim, & festinanter, sed devote, attente, & graviter in choro omnes recitent, perpetuo memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.*

XIII. Similia præcipit Concilium Turense eodem anno 1583. celebratum cap. xlii. *Cum in choro fuerint, gravitatem servant, quas locus, & officium exigunt, non inter se, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, non dormientes, aut litteras, seu scripturas alias legentes. Cumque psallendi gratia ibidem considerant, muta, aut clausa labia non teneant; sed omnes, præsertim qui maiore funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur.* Non modo

modo Canonici a psallendi munere non eximuntur, verum etiam potiore iure, quia maiore honore sunt ornati, astringuntur.

XIV. Concilium Mediolanense IV. part. II. cap. xlii. hæc statuit. *Quicumque, dum alicuius statæ horæ officium in choro peragitur, Missam celebrando, tunc a choro abfuerit, illius horæ distributionis tanquam absens particeps ne sit, ut a sancta Sede apostolica declaratum est: id vero nisi præ absentia Sacerdotum qui in Ecclesia tunc Missæ sacrificium faciunt, necessitas aliquando inciderit, et Præfectus Canonicorum aliquem Sacerdotem e choro exire, a statæque horæ officio abesse, Missæ celebrandæ causa iubeat; aut nisi a Sede apostolica aliter concessum fuerit.*

XV. Consilium Basileense sess. XXI. cap. xlii. hæc regulam tradit. *Nemo, dum hora in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim officium: nam non solum obsequium quo obnoxius est choro, subtrahit, sed alios psallentes conturbat.*

XVI. Concilium Provinciale Florentinum celebratum anno 1573. sub Archiepiscopo Antonio Altovita hæc præscribit rub. xvii. cap. II. *In dignitatibus aut canonicatibus constituti, ceterique Ecclesiarum servituti addicti, statis horis attente divinis adsint officiis; nec tunc vagentur per Ecclesiam, neve a choro discedant, nisi precibus absoluris, aut aliqua compulsi necessitate: in choro, propriis quisque sellis, considereant, CONCORDI VOCE, & corde psallant simul omnes, debitis opportunitatibus adsurgant, sedeant, genuflectant, capita detegant, & nihil alienum divinis misceant; privatim officium non recitent, litteras non legant, non colloquantur. Si vero aliqui in his offenderint, quas percepturi essent, distributionibus careant, aliterque pro culpe gravitate corripiantur.*

XVII. Tandem S. Antoninus Part. II. titul. ix. cap. xii. inter negligentias in persolvendis horis canonicis occurrentes hæc enumerat. *Sexta (inquit) negligentia est, quando psallentibus aliis cantando, vel legendo, quis velit illo tempore dicere alias horas privatas submisit, plures horas per se citius dicens: hic quodammodo furtum facit. Nam furtum committit qui re alterius vititur contra voluntatem ipsius. Cum autem voluntas Religiosi sit in manibus Prælati, & Prælati velit subditum cum ceteris persolvere horas, ut iuret alios, & conveniat cum aliis, proprio arbitrio vocem subtrahens, ut suas orationes dicat, furtum committit, nec Deo placet.* Unde Bernardus: Ingratum est Spiritui

sancto quidquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. *Nec est sufficiens excusatio, si quis dicat, se non habere vocem bonam ad adjuvandum chorum: quia & in templo Domini erant vasa non solum aurea, & argentea, sed etiam ænea, & omnia Domini opera suo modo benedicunt Dominum; & suis vocibus non solum psittacus, & cygnus, & philomela, sed & canis, & asellus, & cicada.* Plura alia Synodorum decreta referunt Natalis Alexander, & Franciscus Genet Tom. II. cap. vii. & x.

XVIII. Ex his luculenter colligitur, Canonicos, & Præbendatos debere in choro nedum corpore præsentem esse, sed mente & animo, suisque labiis Deum laudare. Nec obligatio laudandi Deum solum conventum frequentantium chorum spectat, sed singulos afficit: quia singuli percipiunt distributiones, singulique choro affecti sunt, non ut loco statuarum ibi sint, sed ut Deum laudent. Quare mihi haudquaquam probatur consuetudo illa, ut supra dixi, qua Canonici aliena tantum voce chori officium persolvunt. Excipe, dum in magnis solemnitatibus cantu figurato, quem vix eorum aliquis caller, officium celebratur. Consuetudo quippe laudata, seu corruptela, & Ecclesiæ intentioni, tot canonum voce expressæ, & communi sensui adversatur. Quid enim vero magis rationi contrarium quam alicuius professionis præcipuos magistros otiosos in eadem esse, inertesque? Chororum frequentare tenentur; & ab eo onere, in quo chori professio sita est, exempti sunt? Si silentio chori præceptum non impletur; qui fieri potest ut muti isti Præbendati præcepto faciant satis? Sed canunt, inquit recentiores, per Mansionarios, Capellanosque. At onus frequentandi chorum, persolvendique officium, Canonicorum personas afficit, & sicut per alios residentia, & præsentia suppleri nequit, ita neque debitum recitandi officium. Sic ego sentio, canonum auctoritate, & ratione fretus; & contrariam opinionem inter paradoxa Casuistarum reiicio.

XIX. Postquam hæc scripseram, sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. laxam opinionem profligavit in sua Constitut. *Cum semper, quæ extat in eiusdem Bullar. Tom. I. n. 103. pag. 366. sub finem §. 24. Equidem scimus in aliquibus metropolitans, & cathedralibus Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentem assistunt, licet ipsi*

sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inventarum consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam præfata Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess. xxiv. c. xii.* loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare;* quumque pauca omnino sint Capitula in quibus eo modo a Canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita, examinata sit, quin statim explosa fuerit, & improbata: quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum patriarchalium huius nostræ urbis super hoc instantibus; quum denique idem iudicium prolatum reperiat a pluribus Conciliis provincialibus, ab hac etiam apostolica Sede approbatis & confirmatis: nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum, nisi illis præsto sit apostolicum, non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigeas privilegium, sive indultum; iure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum iudicem fraudis sit, si in huiusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debeamus, dissimulatione, ac silentio nostro fovisse, & confirmasse inveniamur &c. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem die XIX. Augusti 1744. Pontificatus nostri anno quinto.

XX. Profectæ, ac desperatæ conscientiæ dicendi forent Canonici illi qui in tanta luce

cæcutientes, & tam luculentis documentis aures occultantes, etiamnum in depravata corruptela oblinati persistenter. Doctissimus Pontifex primum omnium sibi opponit consuetudinis larvam, vi cuius a cantu exemptos nonnullarum Ecclesiarum Canonici se se iactabant. Consuetudinis istius spectrum explodit Pontifex summus sacrosancti Concilii Tridentini sanctione allegata. Addit, sacram istius Concilii Congregationem Romæ erectam, putidam hanc consuetudinem, atque laxissimam Casuistarum opinionem hanc toties improbasse, quoties eidem proposita fuit. Sub examen revocata fuere obiectæ consuetudines, rationes, & fundamenta, quibus nixa perhibebatur improbatæ opinio; & omnia tamquam futilia, vana, & inepta reiecta fuerunt. Tandem concludit Pontifex summus, hoc idem iudicium plura Concilia provincialia ab ipsa apostolica Sede approbata pronuntiasse adversus præfata opinionem.

XXI. Quæ cum ita se habeant, quo se recipere Canonici in choro obmutescerent possint, non video. An ad patrocinium Bonacini, Sanchez, Pellizarii, Ledesmae, Salmanticensium, similiumque Moralistarum confugient? Hos ne constituit Deus regere Ecclesiam suam? Istos ne homines Concilio Tridentino, Conciliis provincialibus a Romana Sede confirmatis prætulit? Pluris ne homines istos facies quam sacram Tridentini Concilii Congregationem, quam Pontifex summus BENEDICTUM XIV. his verbis Episcopos omnes alloquentem? *Quapropter vestrum erit, venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum iudicem fraudis sit, si in huiusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus, & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debeamus, dissimulatione, ac silentio nostro fovisse, & confirmasse inveniamur &c.*

XXII. Bene, & recte, inquit. At Pontifex summus litem minime definivit; sed sub indice illa reliquit. Quippe concludit hoc pacto. *Iure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant.* Audistis? Verendum, non definiendum ait Pontifex. Porro nihil nos veremur Casuistarum nostrorum auctoritate fulti. Sic in re gravissima nugantur, & cavillantur cæci homines. Nam revera documenta luculentissima quæ Pontifex summus præmittit, necessario inferunt, malos istos Canonicos præbendarum, & distributionum fructus nequaquam sibi acquirere. *Fac vero*

vero Pontificem prudentissimum æquè ac doctissimum novam non protulisse definitionem: quid inde? An denuo definiendum erat quod toties a pluribus Conciliis definitum Pontifex declarat? An conceptis verbis non testatur Pontifex summus, Concilium Tridentinum præcipere ut cum ceteris Canonici psallant? An non subdit Pontifex semper a Congregatione Concilii explosam fuisse præfata opinionem? An non reperit Pontifex summus plura Concilia provincialia a Sede confirmata eandem improbare opinionem? Tandem non ne compertum est & ipsum Pontificem summum doctrinam illam improbare quam, ipso teste, improbant Concilium Tridentinum, Congregationem eiusdem Concilii, & tot Concilia provincialia ab apostolica Sede confirmata? Hæc omnia perspicua, splendida, inconcussa. Et hæc omnia tibi satis non sunt? In tot documentorum conspectu super una voce verendum cavillaris, rixaris, ineptis?

XXIII. Urgent dubio procul hæc quæ hæcenus dicta sunt. At non heinc consequitur, damnatam esse opinionem nostram. Probabilis ergo remanet, utpote quinque aut sex Theologorum auctoritate suffulta. Si probabilis, ergo licite, & secure demandare illam executioni valeamus: qui enim probabiliter agit, prudenter agit, ut commune fert axioma. En quam verum sit, veneficum illum Probabilismi abusum universam inficere morum Theologiam. Quamquam semper explosa fuerit a Concilio Tridentino Congregatione opinatio isthæc, quamquam tot Concilia provincialia, & ipsa apostolica Sedes eandem reiiciant, non propterea a gradu excidit probabilitatis? Sola Vaticana excommunicationis fulmina cervices deprimit Probabilismi? Nisi hæc tela iugulum petant, rationibus, tametsi luculentissimis, haudquaquam acquiescunt Probabilitatum non pauci.

XXIV. Audivi ipse per insignis Ecclesiæ Canonicos similia effutientes. Laudata Concilia iubent ut iis in Cathedralibus in quibus tam pauci sunt Mansionarii, Beneficarii, & Clerici, ut laudabiliter preces persolvere divinæ nequeant, Canonici quoque psallant. At cum in nostra Cathedrali ingens sit Clericorum, & Mansionariorum numerus, hi soli digne, & valde decenter divinas celebrant laudes. Canonici vero sua præsentia, atque silentio religionis cultum, officiumque decorant. Varietate quippe silentii, & cantus splendet Ecclesiæ disciplina. Accedit inveterata Cathedralis nostræ consuetudo. Quid plura? Delirio hæc fundebant Canonici Probabilissimi præsti-

giis obducti. Siquidem in eadem pulcherrima civitate nonnulli Theologi Probabilitatæ in tam erronea confirmabant opinione Canonicos ipsos. Et quia illorum unus, doctrina, zelo, morumque probitate clarissimus, quique nunc episcopali fulget dignitate, religioni sibi vertebat in choro silentium, adeoque una cum Mansionariis elata voce canebat, peccare eum mortaliter effutiebant laudati Probabilitatæ. Ecceur? Quod laudabili consuetudini se se opponeret: quod confusionem, perturbationem, & dissidia inter mutos Canonicos disseminaret: quod depravatæ eorum corruptelæ non consentiret. Incredibilia hæc videntur, sed veritates sunt mihi manifestissimæ, quas propriis auribus audivi.

XXV. Monitrosa, & horrenda quæ recensui commenta, seipsis, ex iis quæ dixi, corruunt. Concilium Florentinum sub Archiepiscopo Altovita celebratum non parvæ, sed amplissimæ Ecclesiæ suæ Canonicos alloquitur. Summus Pontifex Benedictus XIV. non de parvis, sed de metropolitanis Ecclesiis loquitur: istarum antiquas consuetudines reiicit. Perri-dicula ergo est recensita Ecclesiarum parvarum distinctio, quod attinet ad psallendi debitum.

XXVI. Paucis rem expediamus. Pluris facienda una sola Synodus provincialis, potissimum a Sede apostolica confirmata, quam centum Casuistæ contrarii. Non una, sed plures Synodi provinciales, sacra Concilii Tridentini Congregatio, Pontifex summus improbant Canonicorum in choro silentium, ceteris canentibus: illud damnat communis omnium graviorum Theologorum auctoritas: illud tandem damnat ratio. Pii fideles bona sua Ecclesiis donarunt, ut Ecclesiastici a mundi negotiis seiuncti Deum inter & populum mediatores constituti divinas celebrent laudes, Deumque placabilem populo reddant. Ideo ne fideles bona sua elargiti sunt, ut Canonici statuas, truncos, stipitesque in choro agant? Si tu soluto pretio advocatum destinasses, ut apud Principem causam ageret tuam, illumque propitium tibi efficeret; suo ne ille fungeretur officio, si nullo ad Principem pro te verbo facta, tamquam statuam se Principi listeret? Quinam finis chori? Psalmodia, qua Deus laudatur. Ideo ergo adesse choro debes, ut psallas. Ergo, te non psallente, corporis præsentia ludicra est. Peccas, si corpore ablis: ergo potiore iure peccas, si ore taces.

XXVII. Hæc omnia tam evidentia sunt, ut vel ipsos illuminare cæcos valeant. Quare non rationibus amplius disputandum, sed præ-

cibus potius orandum ut Deus tenebras dispelat erroris. Non modo omni probabilitatis gradu caret opinio confutata, sed scandali plenissima est, & futilitatis. Hinc collige quam merito cavendum a non paucis Casuistis sit, qui talia opinionum portenta propugnare non erubescunt, etiam postquam summus Ecclesiae Pontifex tam luculenter corruptelam rejecit. Maxima illius moderatione, cautioneque abutuntur. Nihil apud illos valent rationum momenta, nihil Conciliorum decreta quae allegavit Pontifex, qui maluit veritatis ostensione convincere, quam solius auctoritatis gladio in servitutem redigere subditorum mentes. Verum ne pluribus te detineam, scias velim, eos omnes viam percurrere damnationis qui nullam ut improbabilem, erroneamque reiicere opinionem volunt, nisi sit anathemate confixa. Non disputandum contra istos est, sed orare pro iisdem debemus.

XXVIII. Grates interim referendae Deo sunt, quod Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. novum aliud diploma ediderit, quo causam nostram extra non disputationis modo, verum etiam cavillationis cuiusque aleam constituit. Breve istud est ad Eminentissimum Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquileiensem datum, quo suam laudatam Constitutionem *Cum super oblatas* confirmat, & roborat, occasione quorundam privilegiorum, quae insigni Capitulo Ecclesiae cathedralis Veronensis benigne impertiit. Si quidem post privilegiorum concessionem haec adicit Pontifex Maximus in hoc Brevi; cuius initium est, *Dilecte Fili . . . Praeclara decora* &c.

XXIX. Porro nolumus inter tot tantaque privilegia eidem Capitulo, & Canonicis concessa, numerandum esse illud quod, quemadmodum Tibi, aequae ac Nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum Canonum sanctiones, ac nostram praesertim Constitutionem, cuius initium est, *Cum super oblatas*, investum ab ipsis Canonicis, non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi dumtaxat choro, & cum ceteris Mansionariis, Capellanis, Acolythis, & Clericis canentibus, psallentibusve assistendi, numquam vero cum iisdem canendi, psallentibusve, etsi nonnullos eorumdem esse accepimus qui aliter sentientes a conscientiae angustibus agitantur ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a Te, dilecte Fili noster, poscimus & flagitamus, ut non solum huiusmodi ABUSUM, ET CORRUPTE-

LAM ab ecclesiastica disciplina absonam, & canonicis ordinationibus, ac nostrae quae Constitutioni contrariam penitus evellere, & eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter, fortiterque admoneas, & hortaris ut impostum ea qua decet, ac tenentur reverentia choro intersint, assistantque; nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia omnino canere, vel psallere cum ceteris studeant, & contendant. Deinde iisdem edicas, & notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis litteras Tibi declaramus, & iniungimus, decernere, atque statuere, sicut in eadem Constitutione nostra innuimus, ipsos, suosque successores Canonicos, choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesve, NULO PACTO ex praebendis, & distributionibus facere fructus suos, atque adeo RESTITUTIONI obnoxios esse, ac fore. Verum cum iis qui hac super re conscientiae stimulis acti ad Te confugerint, benigne indulgentes, Tibi facultatem tribuimus, & impertimur, ut five per Te ipsum, sive per alios a Te deputandos, unusquisque Canonicus qui se in canendo, psallendo in choro cum aliis defecisse animadvertit (dummodo promittat se deinceps omnino curaturum ut in choro & praesens assistat, & cum aliis canat, psallatve) absolutionem a culpa, & ab omnibus fructibus indebite perceptis dispensationem obtinere possit, & valeat. Ceterum volumus, & mandamus ut nulli eorumdem Canonicorum, qui licet praesens in choro assistat, tamen minime canat, psallatve, suffragentur huiusmodi indulgentia, ac privilegia, quae unicuique moderno, & pro tempore existenti Canonico, ad tuorum meritum intuitum per easdem praesentes litteras concedimus, & elargimur. Ceterum Te, dilecte Fili noster, rogamus, & in Domino hortamur, ut iisdem studiis quibus Nos, supplicationibus tuis inclinati, eosdem Canonicos novis apostolicae benignitatis, auctoritatisque privilegiis auximus, nostris, tuisque rationibus Pastorum Principi Iesu Christo aeterno iudici reddendis, satisfaciendum cures; & abusu, & corruptela huiusmodi penitus sublata, divinum cultum per divinam psalmodiae cantum promoveri, & augere satagas, ut non minus ipsi Canonici quam Nos ipsi invicem aeternam mercedem a bonorum omnium largitore Deo consequi mereamur. Interim caelestis praesidii

fidii auspiciem, & studiosae nostrae ad Tibi gratificandum voluntatis pignus esse cupimus apostolicam benedictionem, quam Tibi, dilecte Fili noster, & iisdem Canonicis peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX. Ianuarii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXX. Quae nunc ad effugium rima superest? Nulla sane. Qui olim cavillabantur *Verendum est ne isti faciant fructus suos*, audiant nunc nullo pacto facere fructus suos, sciantque restitutioni esse obnoxios, & tandem agnoscant oppositam opinionem, & consuetudinem abusum esse, & corruptelam ipso summo Pontifice teste. Hinc quoque discant mollioris Ethices assertores, dociliores in posterum esse, atque simpliciores in interpretandis excipiendisque apostolicae Sedis constitutionibus. Nullum quippe diploma, quantumvis perspicuum luculentumque, consistet, si sopsista commentator accedat.

XXXI. Quae? VII. Quibus poenis obnoxii sunt Praebendati, seu Canonici qui absque legitima causa a choro absunt? Resp. Duplex istis poena constituta est. Prima, qua ipso facto privantur quotidianis distributionibus, ut decrevit Bonifacius Papa VIII. cap. unico de Clericis non residentibus in 6. ubi haec habentur. *Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam exceperit . . . rerum sic receptorum dominium non acquirat, nec faciat eas suas: immo ad omnium restitutionem, qui contra nostram huiusmodi constitutionem receperit, teneatur.* Idem statuit Tridentinum sess. xxiv. cap. xii. Cui privationi, & restitutioni post acceptationem obnoxii sunt praefati Canonici ante iudicis sententiam, ut supra dictum est. Altera poena ex Tridentino est, quod Praebendati qui ultra tempus a lege permittum absunt a choro pro primo anno, primaque vice spoliandi sunt fructuum beneficii medietate: quod si persistierint in negligentia, & socordia, omnibus beneficii fructibus privari debent. Denique si fuerint contumaces, ipso beneficio spoliandi sunt.

### §. I I.

Quibus applicandae sunt distributiones quas qui a choro absunt, perdunt?

I. Concilium Tridentinum sess. xxi. c. III. & xxiv. c. xi. de refo. statuit distributiones amissas ab absentibus absque legitima causa dividendas inter praesentes esse:

quod rationi congruum est: quia praesentes, aliis absentibus, plus defatigantur. Si ergo ex aliorum absentia plus incommodi sentiunt, convenit ut & maius commodum percipiant. Quod intelligendum est, nisi statutum, aut consuetudo peculiaris aliud statuatur. Excipiendae quoque sunt ipsius Tridentini statuto sess. xxii. cap. III. distributiones debita extraordinariae, quae percipiuntur a persona constituta in dignitate. Haec siquidem non praesentibus debentur, sed fabricae, vel cui Ordinario placuerit. Solae ergo distributiones ordinariae, amissae ob defectum absentiae, dividi inter praesentes debent, secus vero illae quibus Canonici, seu Praebendati privantur ob aliquod crimen, ob excommunicationem, vel interdictum. Tales namque distributiones Ecclesiae fabricae, si egeat, vel alteri pio loco applicandae sunt, ut communiter Auctores docent.

II. Quae? I. Qui legitima causa a choro absunt, acquirunt ne distributiones, non modo propriae praesentia debitas, sed eas etiam quae ex aliis absque causa absentibus accrescunt? Resp. Adfirmant aliqui; sed probabilior, & communior sententia negat. Quia nullum ius reperitur quod hoc privilegium impertiat legitima causa impeditis, ut nempe absentium absque causa distributionum participes fiant. Satis quippe est quod privilegio potiantur acquirendi eas quae propriae praesentiae debita sunt. Neque praesumi potest privilegium, quod in divini cultus diminutionem cedit. Ita docent Castropalaus disp. III. punct. 8. n. 8. Bonacina disp. II. quae. VII. punct. I. Salmanticenses tract. XVI. cap. IV. punct. 2. n. II. & alii. Quod si alicubi obtinet consuetudo opposita, eidem standum est. Porro si omnes Praebendati propria culpa absunt, aut ob interdictum latum in ipsum Capitulum, distributiones applicandae sunt Ecclesiae, vel alteri pio loco, prout magis opportunum fuerit. Si vero omnes inculpate absunt, vel quia diruta Ecclesia est, aut ob infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum; tunc ipsis Praebendatis applicandae sunt, quia absque culpa non infligitur poena.

III. Quae? II. Praebendati praesentes iure ne valent absentibus absque causa remittere distributiones, vel donare, aut de eisdem cum illis transigere? Resp. Concilium Tridentinum, ut omni efficacitate induceret Praebendatos, & Canonicos ad chorum frequentandum, omnem conventionem, collusionem, mutuaque remissionem vetat. Sess. xxiv. cap. XII. de refo. *Distributiones vero, qui*  
statis

statis horis interfuerint, percipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant. Terminorum explicatio rem claram efficit. Collusio est mutua debitorum condonatio, sive expressa, sive tacita. Donatio illorum est quæ quis possidet, quorumque dominio potitur. Remissio dicitur eorum bonorum quæ alicui debentur, eo quod ad illa ius habeat. Omnia hæc Tridentinum prohibet fieri. Disputant Theologi, num Tridentinum ita hæc prohibeat, ut sint invalida, nedum illicita. Negant Navarrus in *Manual. cap. xxv. num. 153. Sylvester verb. Benef. q. III. & alii*. Sed affirmans sententia probabilior est, quam defendunt Bonacina, Suarez, Pellizarius, Salmanticenses *tract. xvi. c. IV. punct. 2. n. 12. & 13.* ubi advertunt, hoc intelligendum esse non modo de amittendis in posterum, verum etiam de amittendis propter defectum absentia. Quia Concilium omnem collusionem, remissionem, & donationem excludit, ut omnis spes tollatur absentibus percipiendi quacumque via distributiones, quibus privantur ob absentiam. Idque clarius colligitur ex declaratione sacre Congregationis, quam refert Garcias III. *Par. cap. II. num. 431. Nec fas sit cuiquam eas accipere: & si accipiat, suas non faciat; sed restituere cogatur, illico distribuendas fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi*. Nec officit quod quidam iuniores obiciunt, præceptum odiosum esse; adeoque strictè interpretandum de distributionibus dumtaxat amittendis, secus de amittendis. Quoniam licet odiosum sit præceptum ipsis reis absentibus, favet tamen divino cultui, favet chori frequentia, quam omni via promoveri Concilium intendit, omnemque prætextum, & ansam absentia auferre.

IV. At numquid illicita erit donatio præfatarum distributionum? Minime. Quisque licite sua donare valet: nec licitam, genuinamque donationem Concilium vetat. Quare Præbendatus perceptas distributiones quas re possidet, cui voluerit, donare potest. Ante possessionem, cum solum ius ad illas habeat, remitteret, non donaret. Remissio autem vetita a Concilio est: remissio, inquam, facienda Præbendato ob absentiam distributionibus privato; secus cuique alteri pauperi, vel Ecclesiæ faciendæ. Cavenda tamen *collusio*, etiam tacita, est. Nam si præbendati, seu Canonici absentes mutuo sibi distributiones perceptas donarent; ex tacita quadam collusionem ipsa donatio illicita, & invalida foret ob implicitam collusionem prohibitam a

Concilio. Quare donatio hæc inter Præbendatos semper suspecta est, periculique plena. Qui liberalitatis virtutem exercere cupit, donet pauperibus indigentibus, Ecclesiæ, piisque locis. Cum vero lis est, & dubium, cuiusnam distributiones debeantur; transactio super his ad tollenda diffidia, & lites optima, nedum licita, erit.

## §. III.

De causis excusantibus Præbendatos, sive Canonicos a chori frequentia, quin distributiones amittant.

I. **T**Res in iure habentur designatæ causæ quæ excusant Præbendatum a chori frequentia, quin ullam subeat poenam amittendarum distributionum. Causas istas definit Bonifacius Papa VIII. *cap. unic. de Cleric. non resident*. Prima est infirmitas; secunda iusta, & rationabilis corporis necessitas; postrema evidens Ecclesiæ utilitas. Qui absunt a choro ob quodlibet aliud impedimentum, etiam si legitimum, puta ad succurrendum propriæ familiæ, ad exercendum aliquod pium opus, amittunt distributiones. Explicandæ nunc sunt præfatae tres causæ.

II. Quæst. I. *Quæ infirmitas excusat Canonicum, sive Præbendatum a chori frequentia?* Resp. Convenit penes omnes, solam gravem, secus levem infirmitatem reddere immunem Præbendatum & a choro, & a poena amittendarum distributionum. Quænam autem gravis, quænam levis infirmitas dicenda sit, certa regula definiri nequit; sed prudentis viri iudicio declaranda est. Si res ad forum deducatur, Prælati iudicio standum erit. Si forum internum spectetur, medicus consulendus, si dubitetur levis ne, an gravis sit infirmitas. Levis absolute morbus esse potest, qui tamen ob egressum e domo, & aeris intemperiem, attento gracili temperamento, gravis fieri potest. Quo in casu nullam subire Præbendatus poenam debet. Ceterum nullus in his casibus iudex melior quam Præbendatus ipse bene moratus, prudens, non meticulosus, nec scrupulis obnoxius. Si vero his defectibus laboret, christianum medicum, non palponem, aut alium pium, prudentemque virum consulat.

III. Quæst. II. *Canonicus qui culpa propria infirmitatem contraxit, amittit ne distributiones?* Resp. Sententia negans communis est. Quoniam ius excusat infirmos, nec distinguit infirmitatem necessariam a voluntaria. Nec nos ergo distinguere debeamus. Quid quod

quod nos frequenter, nobis inficis, aut semivolentibus; morbis nostris causam damus. Via ergo latissima aperiretur scrupulis; & perplexitatibus, si nostra cooperatio in morbum attendenda esset, & examinanda. Sententiam hanc defendunt Navarrus, Garcias, Covarruvias, Barbosa, Sanchez, Palaus, Leander, Salmanticenses, & communiter omnes.

IV. Quæst. III. *Canonicus qui data opera se in morbum conicit, ut a choro absit, amittit ne distributiones?* Resp. Negant Bonacina, Salmanticenses *tract. xvi. cap. IV. punct. 3. §. I. num. 16.* Leander *quæst. I. v. ob rationem num. præced.* expositam, quod iura ad infirmitatem, non ad intentionem respiciunt. Et est opinio satis probabilis. Hic tamen in foro exteriori posset privari distributionibus in poenam delicti. Et revera etiam in foro interiori, quem serio tanti facinoris poeniteret; ipse, naturali quodam instinctu, hanc poenam lueret. Et, si fide bona dirimenda causa sit, non video rationem cur ex iniquitate commodum colligere iste debeat.

V. Quid, si Canonicus infirmus ante infirmitatem consueverat abesse choro, acquireret ne infirmitatis tempore distributiones? Leander *disp. VI. quæst. IV.* probabilius esse docet hunc non acquirere distributiones: quia tunc infirmitas non est causa cur a choro absit, si cessante morbo reapse choro non adesset. Pro qua sententia citat Vasquez, Azorium, Bonacinam, qui asserit sic decisum a Rota esse 2. Maii 1630. Trullenchum, Escobarium. Bonacina tamen limitat, si infirmus mutaret voluntatem, & deliberaret chorum frequentare. Præcisa auctoritate, ratio potius suadet oppositum. Siquidem præbendatus, graviter infirmus reipsa impeditur a chori frequentia. Inpediti a chori frequentia ob infirmitatem a iure excusantur. Cur ergo hic excusari non debet? Ob delictum præcedens? At numquid delictum præcedens efficit quod non sit infirmus, aut vim privilegii infringit? Inconsequenter profecto loqui videntur Auctores isti. Nam si eximunt illum qui sua iniqua voluntate infirmitatem contrahit, hac ratione quod iura non respiciunt intentionem, sed morbum; non video qua ratione velint subicere poenæ amissionis distributionum eum qui nulla sua culpa infirmatur. Si delictum præcedens contrahendæ infirmitatis non tollit vim privilegii, cur præcedens peccatum negligendi chorum privare infirmum suo privilegio debet? Quare

satis probabilis mihi est opinio quæ docet hunc non amittere distributiones; potissimum si mutata voluntate deliberet chorum frequentare. Hanc sententiam defendunt Petrus Navarra *Lib. II. de restitut. cap. II. dub. 3. n. 238.* Salmanticenses *tract. xvi. cap. IV. punct. 3. §. I. num. 17.* Si tamen oppositum decisum a Rota est, quod me latet, præferenda rationi Rotæ auctoritas est; & in re dubia tutior pars eligenda.

VI. Si Canonicus, seu Præbendatus extra locum residentiaæ absque legitima causa degens infirmetur, non fruitur privilegio concessio infirmis: quia hic ex malitia reputatur absens. Si vero extra residentiaæ confinia reperiat ob legitimam causam, puta ob Ecclesiæ negotia, quibus peractis infirmetur: tunc suas facit distributiones, sicut ceteri infirmi in loco residentiaæ. Hæc omnia communia sunt.

VII. Laborantes podagra impediende accessum ad chorum acquirunt distributiones: quia vere absunt ob infirmitatem. Senes pariter qui sine probabili periculo gravis infirmitatis domo egredi nequeunt, suas faciunt distributiones.

VIII. Reiciimus vero tamquam laxam & falsam opinionem Leandri *disp. VI. q. LXXI.* Bonacina, & aliorum Probabilistarum, qui asserunt senes septuagenarios communiter exemptos esse a choro, eo quod ipsa grandæva ætas morbus est. In cuius opinionis præsidium laudat Leander versiculum Psalmi lxxxix. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem impotentibus octuaginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Perperam ad fovendam laxitatem verba sancta allegantur. Si labor sit, & dolor in senibus, experientia dignoscitur; & sic excusantur; si autem sani sint, & robusti, si domo egrediantur ad alia peragenda negotia; cur a choro eximi debent? Non ergo ratione ætatis, sed ratione debilitatis verè, & gravis, qua senes frequentius afficiuntur, a choro excusantur.

IX. Quæst. IV. *Quænam dicenda sit rationabilis corporis necessitas, quæ est secunda causa excusans Præbendatum a chori frequentia?* Resp. Regula generalis quam communiter Theologi assignant, hæc est. Quoties chori frequentia parit aliquod grave damnum honoris, salutis, vitæ, aut fortunæ; tunc rationabilis necessitas censetur abstinendi a chori frequentia. Hinc qui ex medici prudentis iudicio domi moratur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam, non amittit-



mittit distributiones; sicut nec ille qui ex medicorum consilio ad balnea, vel ad locum salubrioris aeris, ut sanitatem recuperet, proficiscitur. Similiter distributiones acquirit qui ab hostibus capitur, aut per vim detinetur: qui habet inimicum, quocum reconciliari non potest, timetque ab illo grave damnum. Quid de eo qui abest ob timorem pestis grassantis in loco beneficii? Acquirere distributiones defendunt Leander *disp. vi. g. lxxviii.* Salmanticenses *loc. cit. num. 19.* quia hæc reputatur rationabilis corporis necessitas. Negant vero Covarruvias *Lib. III. var. cap. xliii. num. 8.* Barbosa *Lib. III. de iur. univ. cap. xvii.* Sanch. *Lib. II. consil. cap. ii. dub. 92. num. 2.* & alii. Concedunt fructus beneficii percipi iure posse ab præfatis, secus distributiones. Quoniam, si nolunt communi pericula subiicere, non videtur congruum quod commodum percipere debeant. Et hæc opinio videtur rationabilior. Si Præbendatus curam habeat animarum, omnes fatentur quod distributiones non acquirit; immo communis addunt nullo modo hunc abesse a grege posse. In carcere detentus per iniustitiam, quin ipse causam dederit, distributiones acquirit; secus, si iuste detineatur.

X. Quæst. V. *Quid de Præbendato absente ob excommunicationem?* Resp. Similiter hic acquirit distributiones, si nullam excommunicationem causam dedit, atque adeo sit iniuste excommunicatus: dummodo tamen curet ab excommunicatione absolvi; alioquin sua negligentia abesse. Si vero iuste excommunicatus sit, sive vitandus fuerit, sive non, distributiones amittit.

XI. Quæst. VI. *Quid, si iuste excommunicatus choro assistat?* Resp. Lucrari hunc distributiones, licet mortaliter peccet, contendunt Salmanticenses *tract. xvi. cap. iv. p. 3. §. 2. num. 21.* & pro hac opinione laudant Martinum a S. Ioseph, Bonacinam, & Petrum Navarram. Leander probabilius existimat hunc Præbendatum non modo mortaliter peccare, verum etiam amittere tum fructus præbendæ, seu beneficii, tum distributiones. Et hæc opinio communis est inter Canonistas, & Theologos, ex quibus citantur ab eodem Abbas, Innocentius, Covarruvias, Ugolinus, Moneta, Sayrus, Suarez, Alterius, Garcias, Hostiensis, Paludanus, Toletus, Sylvester, Decius, Armilla Summa Confessor, Fillicius, Baunius, Basseus, Reginaldus, Navarrus, & alii. Advertit tamen Garcias de *benef. cap. xiv. num. 129.* contrariam in Hispania obtinere consuetudi-

nem, quod videlicet excommunicatus fruatur fructibus beneficii, & distributiones percipiat quotidianas: de qua consuetudine nihil nobis dicendum occurrit. Id tantum adfirmamus, quod tali consuetudine sublata, probabilior opinio est, excommunicatum amittere & fructus beneficii, & distributiones.

XII. Quæst. VII. *Quid de Beneficiato, seu Canonico, suspensio?* Resp. Probabilior opinio est, non solum fructibus beneficii, sed etiam quotidianis distributionibus hunc privatum esse; quamvis horis canonicis intersit. Secus dicendum, si iniuste suspensus foret: quia tunc ob rationabilem causam abesset a choro, ne videlicet maiori damno subiaceret. Idem dicendum, quando Ecclesia est interdicta; dummodo Beneficiati, seu Canonici causam huic interdictio non dederint. Tempore vero cessationis a divinis officiis, quo officia Canonici celebrare nequeunt, distributiones amittunt: quia sic declaravit Gregorius X. in cap. *Si Canonici §. Scituri*, ubi statuitur, quod qui causam dedit cessationi, omne interesse restituere debeat Canonici, quod deperdunt ex omnia assistentia divinis officiis. Nec eadem ratio est de interdicto, & de cessatione: quia in hac datur specialis iuris prohibitio, secus in illo. Commune esse opinionem hanc adfirmat Leander *disp. vi. quæst. lxxxiii.* & pro eadem citat Covarruviam, Suarez, Monetam, Sayrum, Henriquez, Bonacinam, Palaum, Trullenchum, & alios. Tempore quo polluta Ecclesia est, acquirunt Præbendati distributiones: quia per ipsos non fit quod sit polluta, neque quod officia non celebrentur. Similiter Præbendatus qui sit irregularis, si divinis assistat officiis, non amittit distributiones. Irregularitas enim non impedit assistentiam officiis divinis. Qui vero ante beneficii collationem irregularis erat, eandem amittit: quia probabilis est collationem factam irregulari esse nullam.

XIII. Quæst. VIII. *Quid de Canonico iudicis sententia beneficio privato?* Resp. Non pauci adfirmant, hunc lucrari distributiones, si iniuste spoliatus sit. Negant alii, asserentes etiam iniuste per iudicis sententiam privatum beneficio nullum ius ad illud retinere. Castropalaus, & Leander *quæst. lxxxvii.* dicunt quod si beneficium per iudicis sententiam collatum alteri sit, etiam iniuste, tunc illo privatus amittit fructus, & distributiones; cum nullum ius ad illud retineat. Tenetur tamen qui iniustitiam commisit, omnia damna reparare. Si autem ita privatus est, ut

illud

illud retineat; usquedum accedat criminis sententia, quemadmodum regulariter in omni privatione delicto annexa accidit; omnes fructus, & distributiones, medio illo tempore contingentes, lucratur, si officiis assistat; cum hoc tamen onere, ut, lata sententia declaratoria criminis, omnes fructus, & distributiones a commisso criminis die restituere debeat. Opinio valde probabilis. Canonici, seu Præbendatus degradatus omnes amittit fructus, & distributiones, beneficium, omneque privilegium clericale. Sententia communis est.

XIV. Quæst. IX. *Qua utilitas Ecclesiæ evidens excusat a chori assistentia?* Resp. Tertia causa quæ absentem a choro participem reddit distributionum, est evidens Ecclesiæ utilitas: dubia enim utilitas hoc privilegium non confert. Debet ergo esse utilitas gravis, ac manifesta, & Ecclesiæ propriæ, non alienæ. Si vero sit manifesta utilitas Ecclesiæ universalis, & fructus, & distributiones lucraris: quia bonum commune prævalet bono particulari. Sed quando dicenda erit utilitas gravis, & manifesta? Quando consensu Capituli, vel Ordinarii iudicata fuerit talis.

XV. Quæst. X. *Qui absens est a choro in utilitatem Ecclesiæ manifestam, debet ne esse in loco beneficii, ut distributiones lucratur?* Resp. Adfirmant plures, idque probant ex c. Cum non deceat, de Cleric. in 6. ubi Clerici ad Sedem apostolicam accedentes, suarum Ecclesiarum negotia tractaturi, distributionibus quotidianis privantur. Verum contrariam sententiam probabilior reputant Salmanticenses *tract. xvi. punct. 3. §. 3. n. 24.* & pro eadem citant Pellizarium, Palaum, Martinumque a S. Ioseph. Rationem petunt ex cit. cap. *Unico*, ubi conceditur privilegium absentibus in utilitatem evidentem Ecclesiæ absque ulla limitatione: & cum huiusmodi sit dispositio favorabilis, non est cur limitari debeat. Caput vero *Cum non deceat* limitant pro peculiari casu, quo Præbendatus accedit ad Sedem apostolicam ob instructionem electionis. Opinio videtur satis probabilis. Verum hæc, & similia consuetudine iam sancita sunt.

XVI. Quæst. XI. *Qui a proprio Episcopo mittitur ad visitanda limina Apostolorum, lucratur ne tempore absentis distributiones?* Resp. Communiter adfirmant omnes: quia tunc agit negotium Ecclesiæ, illius statum exponendo, & representando summo Pontifici. Idem dicendum de Canonico comitante suum Episcopum ad eadem limina, ut decrevit Six-

tus V. Subdunt tamen, non posse Episcopum duos mittere ad visitanda præfata limina suo nomine, sed unum tantum. Cum vero ipse Romam pergat, duos secum ducere potest. Minime vero distributiones acquireret Canonici qui aliarum Ecclesiarum nomine, vel ut alienum Episcopum comitaretur; pergeret ad limina Apostolorum: quia tunc non abesset in suæ, sed in alienæ Ecclesiæ utilitatem. Sententia communis, & vera. Si missus ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum esset Parochus, solius bimestris tempore distributiones percipere posset: quia ultra hoc intervallum nequit Episcopus Clericum animarum curatorem in alio negotio, pastorale ministerium impediendo, occupare. Plures sacre Congregationis declarationes refert Garcias *III. Part. de benef. a n. 40.* in istius communis sententiæ confirmationem.

XVII. Quæst. XII. *Canonici qui ab Episcopo mittuntur ad Concilium generale, vel provinciale, tamquam Theologus, Canonista, vel Procurator, acquirunt ne distributiones?* Resp. Auctores qui negant Præbendatum acquirere distributiones, dum est extra locum beneficii, licet in utilitatem Ecclesiæ suæ, negant quoque illum in hoc casu acquirere, dum Concilium extra locum beneficii celebratur. Verum probabilior est opposita sententia, ut ex iis quæ dicta sunt, patet. Si vero Canonici simul Episcopus sit, pergatque ad Concilium ut Episcopus, non ut Canonici, tunc non recipiet distributiones: quia tunc non dicitur abesse a choro in utilitatem Ecclesiæ, a qua distributiones accipit titulo canonicatus. Si autem in Concilio peculiaris negotia suæ Ecclesiæ perageret, tunc distributiones acquireret, quia in utilitatem suæ Ecclesiæ abesset. Canonici qui a suo Capitulo mittuntur ad Pontificem, vel ad Principem, ut legatus, pro agendis negotiis Ecclesiæ, distributiones acquirunt. Si Canonici occuparetur a Capitulo in supputandis redditibus mensæ fabricæ, dum divina celebrantur officia, acquireret distributiones, si ratio urgens occurreret has faciendi supputationes tali tempore. Si vero congruenter alio tempore fieri possent supputationes, distributiones non acquireret: quia Capitulum non valet tempore indebito absque rationabili causa Præbendatum occupare in negotiis quæ æque commode alio tempore post celebrata officia peragi valent. Quod si hoc speciale gravamen reputatur Canonici, qui alio tempore a divinis officiis destinatur ad eiusmodi negotia, labor illius, soluto pretio, compensatur,

setur. Hæc mihi magis aridet opinio, ut ut Salmanticenses cum aliis sentiant.

XVIII. Quæst. XIII. *Canonicus qui, Sede vacante, eligitur a Capitulo Vicarius, seu provisor, amittit ne distributiones, si abest a choro causa exercendi officium?* Resp. Communis sententia negat, quia abest ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem; secus, si eligeretur Vicarius Episcopi: quia tunc Episcopo, non Ecclesiæ inservit. Archidiaconus quoque visitans Ecclesiam, aut prædia suæ Ecclesiæ, acquirit distributiones: quia visitando hæc loca servit Ecclesiæ in re utili. Consulenda tamen est consuetudo. Qui tempore divini officii confitetur peccata sua, non acquirit distributiones: quia non abest in utilitatem Ecclesiæ, sed in profectum animæ suæ: quemadmodum non acquirit distributiones qui abest voti proprii adimplendi causa, ob dictam rationem, quod talis absentia non cedit in utilitatem Ecclesiæ; aut qui Missam celebrat tempore divini officii, nisi id præstet ex mandato superioris, vel nisi consuetudo contraria obtineat. Pœnitentiarius vero Ecclesiæ cathedralis, qui tempore divini officii detinetur in excipiendis fidelium confessionibus, acquirit distributiones: quia sic definit Concilium Trid. sess. xxiv. c. viii. de refor. Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituitur, qui Magister sit, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel iure canonico, & annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperitur: qui dum confessiones in Ecclesia audit, interim præsens in choro censeatur. Observat tamen Garcias *Par. de benef. cap. v. n. 12.* tunc solum præsentem in choro censeri, dum actu confessiones audit; secus, si post auditas confessiones in confessionario maneat, & privatim officium recitet, ut deinceps opportunius audire valeat accessuros pœnitentes: & refert super hac re declarationes sacre Congregationis. Cui sententiæ subscribit Barbosa *de officio, & potest. Episcopi, allegat. lv. n. 30.* Bonacina *disp. II. q. v. punct. 2. §. 5. n. 3.* Leander vero, Palaus, & alii id negant. Verum circumstantiæ consulendæ sunt. Si enim reapse soleant pœnitentes accedere, & Pœnitentiarius sincero animo ibi se detineat, ut commodius pœnitentibus inserviat, non videtur privandus distributionibus; potissimum cum Tridentinum absolute loquatur. Eisdem distributionibus fruitur Canonicus surrogatus Pœnitentiario in audiendis confessionibus, nisi surrogatio sit in fraudem. Alii

vero Præbendati qui occupantur in confessionibus audiendis sponte, non lucrantur distributiones. Quid, si superior præciperet ut adiuveret Pœnitentiarium ob magnum concursum? Tunc necessitas audiendi pœnitentes excusaret a chori præsentia, & adiutor Pœnitentiarii acquireret distributiones. Præbendatus cui animarum cura annexa est, acquirit & fructus, & distributiones, dum sacramentis ministrandis operam navat; quemadmodum acquirit ille qui in defendendis beneficii iuribus occupatur: quia in utilitatem Ecclesiæ manifestam cedit talis defensio. Minime vero eas acquirit, dum propria iura ad beneficium adversus alterum tuetur: quia tum propriam, non Ecclesiæ, causam agit.

XIX. Quæst. XIV. *Quanto tempore fruitur privilegio percipiendi distributiones qui abest a choro ob Ecclesiæ negotia tractanda?* Resp. Communis sententia est, hunc præfato privilegio gaudere, quamdiu in necessaria negotii procuracione occupatur, sive adeundo locum in quo negotium transigi debet, sive redeundo domum, sive commorando. Advertunt tamen omnes assiduam adhibendam esse diligentiam, ut celerius, quoad fieri possit, negotium expediatur. Si enim minister moras neceret, & negligenter se haberet, ut diutius quam par sit, a choro abesset; fraus illi non suffragaretur, nec distributiones iure percipere posset. Istius celeritatis, aut prolixitatis sola prudentis, & optime morari ministri conscientia index esse valet.

XX. Quæst. XV. *Celebratio Capituli excusat ne absentiam a choro?* Resp. Capitula celebrantur pro Ecclesiæ regimine, illisque necessario interesse sub gravi culpa Canonici tenentur: quia Capitula regimini, & conservationi Ecclesiarum necessaria sunt. Hinc tamen minime inferas, quemlibet Canonicum peccare mortaliter, si semel aut iterum abesset a Capitulo. Peccaret, si sua causa Capitula celebrari non possent; secus, si tot sint, quot sufficiant ad rem decidendam, & si negotium magni momenti non sit. Si enim negotium grave esset, tunc non excusaretur omittens interesse Capitulo. Antequam tamen culpæ gravis damnetur qui abest, negotii qualitas spectanda est, habilitas personæ, & damni, vel beneficii magnitudo quæ sperari, aut timeri ex illius præsentia, vel absentia potest. Tribus tantum mensibus, quemadmodum a choro, sic a Capitulis celebrandis excusantur, nisi urgens negotium aliud exposcat. Igitur non modo Canonici non acquirunt distributiones, si abint

a cho-

a choro, ut Capitulis intersint; sed etiam vetitum illis est tempore officiorum, & maxime choralis Missæ, Capitula celebrare, excepto inopinato, & urgenti negotio, quod nec dilationem, nec anticipationem permitteret: quia assistentia in Capitulo tempore precum canonicarum non cedit in utilitatem, sed in detrimentum Ecclesiæ, & divini cultus diminutionem.

XXI. Quæst. XVI. *Canonicus Theologus, seu Lectoralis acquirit ne distributiones, si abest a choro die qua lectionem habet, vel concionatur?* Resp. Convenit penes omnes, præfatos Canonicos absentes a choro diebus quibus legunt, aut concionantur, acquirere distributiones. Garcias III. *Part. de benef. cap. II. n. 120.* contendit eas tantum distributiones Magistros Canonicos acquirere quæ correspondent horis quibus legunt, aut concionantur, secus aliis eiusdem diei quibus addiscunt, seque ad legendum, aut concionandum disponunt. Verum opposita sententia communior, & probabilior est, & constat ex declarationibus sacre Congregationis, quas adducit ipse Garcias. Quando enim duo sunt connexa, qui concedit unum, & alterum impertiarum necesse est. Porro ad legendum, & ad concionandum necessaria est præparatio. Neque tamen hinc inferas, eiusmodi Præbendatos Magistros choro censeri præsentem, etiam aliis diebus, quibus se præparant ad legendum, vel concionandum, quia hæc remota sunt; immo hoc privilegium lucrandi distributiones neque extenditur ad Matutinum, quod fero pro sequenti concionis, aut lectionis die celebrari solet, ut declaravit sacra Congregatio, quam refert Garcias his verbis. *An Theologum qui divinis pro præsentem habetur diebus quibus legit, censendus etiam sit præsens Matutinis, qui ex antiqua Ecclesiæ consuetudine dicuntur fero præcedenti pro sequenti? Congregatio respondit non censeri.* De consuetudine alicubi obtinente, vi cuius eiusmodi Canonici magistræ abesse solent octo diebus ante concionem, vel lectionem, non aliud occurrit dicendum, nisi ut serio perpendatur, ne abusus consuetudinis larva imponatur. Loco abusus illam habent Garcias, Palaus, Peilizaris, Leander, & alii, si ad distributiones illa extendatur; secus si ad solos præbendæ fructus restringatur. Admissa tamen hypothesi, quod eiusmodi Magistris concedi soleant octo dies, quibus se ad concionem, aut lectionem parent, si his diebus choro assisterent, minime possent aliis octo diebus abesse, & percipere distribu-

nes: quia privilegium, si quod est, istis diebus illigatum est. Neque præfati Magistri vacare a choro possunt ea die qua alterum Canonicum substituunt ad lectionem, vel concionem, quia cessat suis privilegii.

XXII. Quæst. XVII. *Quid de Canonicis curam animarum habentibus in aliis Ecclesiis a cathedralibus?* Resp. Iam dictum supra est, Canonicos curam animarum habentes in propria Ecclesia, distributiones acquirere, dum absunt a choro, ut sacramenta administrant, suaque obeant munia, ut declarat Tridentinum sess. xxii. de refor. cap. III. Difficultas est, utrum fruatur hoc privilegio, dum curam animarum habent extra propriam Ecclesiam. Bonacina adfirmat, etiam si animarum curam eiusmodi Præbendati haberent extra diocesim. Alii absolute negant. Probabilior videtur opinio, quod acquirant distributiones Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatae, in qua habent dignitatem, si animarum cura sit intra propriam diocesim; secus, si extra diocesim Ecclesia in qua hæc cura exerceri debet, constituta fuerit. Parochi quoque capiunt distributiones, dum absunt propter munera parochialia. Examinatores Confessorum fructus acquirunt, secus distributiones, dum absunt a choro: quia non sunt occupati in Ecclesia propria, sed Episcopi servitio. Consulenda tamen Ecclesiarum consuetudo. Canonici quoque ab Episcopo instituti visitatores hospitalium, & Ecclesiarum diocesis, Vicarii foranei, & administratores locorum, fructus, non distributiones acquirunt, eo quod non occupentur in servitio Ecclesiæ. Idem dicendum de Canonicis occupatis in Episcopi servitio. Distributiones vero acquirunt, dum Episcopo inserviunt solemniter in cathedrali Ecclesia celebranti; minime autem, dum eidem inserviunt privatim sacrificanti. Vicarius generalis acquirit fructus, non distributiones, si abest a choro.

XXIII. Canonici inservientes Legatis summi Pontificis, vel Cardinalibus, non percipiant fructus præbendæ, si abint a choro: quia non adeit aliquod privilegium vi cuius eximantur a choro, vel absentes choro præsentem reputentur ob tale servitium. Præbendati autem qui inserviunt summo Pontifici in munere Capellani, Camerarii, Secretarii, Bibliothecarii &c. acquirunt fructus præbendæ, ut colligitur ex *cap. Cum dilectus de Cleric. non resident.* secus distributiones, quæ talis occupatio non cedit in utilitatem Ecclesiæ propriæ. Inservientes vero Regi, aut supremo Principi, nec distributiones, nec fructus

Stus canonicatus acquirunt, ob eandem rationem, quod non absint ob manifestam Ecclesie utilitatem: & antiqua privilegia, si quae erant, per Tridentinum *sess. vi. cap. 11. de refor.* revocata sunt. Auditores Romanae Rotae acquirunt fructus, & distributiones suarum praebendarum ob privilegium illis concessum a Clemente VII. in Bulla, quae incipit *Convenit* data an. 1525. nonis Augusti. Hoc idem privilegium concessere I. quilibetibus haereticae pravitate Paulus III. & S. Pius V. prout refert Garcias III. *Part. de benef. cap. 11. n. 356.* Quamvis tamen acquirant fructus, & distributiones praebendarum, non tamen gaudent dicto privilegio Inquiritores illi qui habent beneficia curata: quia sic decisum est a sacra Congregatione, ut refert Gonzales *ad regul. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 266.* Collectores, & subcollectores, & alii officiales Camerae apostolicae acquirunt fructus, & distributiones ob privilegium illis concessum a Sixto V. anno 1590. ut refert Barbosa III. *P. de potest. Episc. alleg. 53. n. 157.*

XXIV. Praebendati, & Canonici docentes Theologiam in aliqua universitate, seu studio generali, acquirunt fructus praebendae, ut colligitur ex *cap. final. de Magistris*, & decisum est a sacra Congregatione, ut testatur Barbosa *in remiss. ad Concil. sess. v. de refor. cap. v. n. 80.* secus vero distributiones: quia munus illud non cedit in utilitatem propriae Ecclesiae. Solum enim Praebendatus qui legit in propria Ecclesia, has distributiones acquirunt, ut diximus supra. Idem dicendum est de Praebendato docente ius canonicum: quia licet in *cit. cap. sermo* sit de sola Theologia; attamen, cum & ius canonicum aequae Ecclesiae proficit, non est cur haec facultas a privilegio excludatur. Et Garcias adfirmat id declaratum esse a sacra Congregat. Cardinal. estque communis opinio. Ab hoc vero privilegio excludunt Auctores Praebendatos qui in universitatibus docent ius civile: quia id non pertinet ad Ecclesiasticos. Frui vero hoc privilegio citati Auctores docent illos qui docent Grammaticam, aliasque artes, quae ad Theologiam, & ius canonicum disponunt.

XXV. Quaest. XVIII. *Quid de Parochis publice legentibus Theologiam?* Resp. Frui laudato privilegio docent plures, Leander, Palaus, Pellizarius, & alii. Verum post Tridentinum non video qua ratione haec defendi opinio possit. Nequeunt siquidem Parochi abesse a propriis Ecclesiis ultra bimestre, nisi ex urgenti, & gravi causa: qualis sane non est munus docendi in publica Acade-

mia, seu universitate, ubi plures esse Doctores solent quam cathedrae, ne dicam discipuli. Omnes vero fatentur, Parochos docentes Grammaticam in universitate non frui privilegio exemptionis.

XXVI. Quaest. XIX. *Ut Praebendati legentes in universitate, aut studio generali fruuntur privilegio exemptionis, requirunt ne ut sint conducti?* Resp. Adfirmant nonnulli. Verum contraria opinio probabilior est: quia in *cap. fin. de Magistris*, & in Tridentino *sess. v. cap. 1. de refor.* solum definitur, quod eiusmodi Praebendati legant in universitate, aut studio generali nulla facta stipendii mentione. Ergo sive sponte, sive pacta mercede legant, perinde est ad fructus lucrandos beneficii, seu praebendae. Verum tamen est quod eiusmodi Praebendati, quos vocant Magistrales, adprobati esse debent ab universitate, seu Doctorum collegio, ne superflue Magistri multiplicentur.

XXVII. Quaest. XX. *Quid de Praebendatis studentibus in universitate?* Resp. Illi acquirunt fructus canonicatum, seu beneficiorum, non distributiones, ut colligitur ex *cap. 12. de privileg. in vi. ex cap. Tua de Cleric. non resident.* Ut vero hocce fruuntur privilegio, satis haud est ut studeant in Ecclesiis cathedralibus; sed requiritur ut operam studiis dent in universitate, aut studio generali, excluso quocumque studio particulari. Debent insuper incumbere in ius canonicum, aut in Theologiam, seu sacram Scripturam; nec privilegio fruuntur, si audiant ius civile. Quin eiusmodi scholastici, ut fructus capiant beneficii, debent maiore anni parte in universitate commorari: quae si duo diligentia scholarum frequentare. Sicut scholares otio diffidentes, qui scholas raris frequentant, nec sedulo studiis dant operam, sed tempus inutiliter terunt, nullo modo scholasticorum privilegiis gaudent: cum cesset omnino finis horum privilegiorum, quae ideo data sunt, ut scientias Praebendati sibi comparant.

XXVIII. Quaest. XXI. *Tenantur ne eiusmodi Praebendati licentiam ab Ordinario petere, ut possint causa studii abesse?* Resp. Sententia communis adfirmat, quia id expresse praescribitur in Bulla Pii V. cuius initium est, *Ad cuius aures*; & in Tridentino *sess. xxiii. cap. 1. de refor.* Ratio etiam manifesta est. Quia ad Ordinarium spectat examinare eorum ingenia, qualitates, & habilitatem ad studia: sint ne aetate, moribus, capacitate apti ad studia, & utrum ex eorum absentia cultus divinus detrimentum patiat. Si qualita-

litas recensita splendeant in Praebendatis, ex iustitia Ordinarii facultatem adeundi studia impertire tenetur: quod si denegaverit, licita erit ad superiorem appellatio. Sententia communis.

XXIX. Quaest. XXII. *Praebendatis parochialia beneficia habentibus licitum ne est abesse ab Ecclesia studiorum causa?* Resp. Adfirmant Navarrus, Toletus, Valentia, Lessius, & alii. Verum haec opinio post Tridentinum improbabilis est. Prohibetur quippe a Tridentino *sess. xxiii. cap. 1. de refor.* Episcopis ne licentiam dent Parochis, ut a propriis absint Ecclesiis, nisi urgente causa. Porro studium respectu Parochi non modo non est causa gravis, sed inanis, & vana. Siquidem beneficia parochialia nunc illis tantum conferuntur qui iuridico experimento in publico certamine omnium Clericorum beneficium petentium scientia necessaria ad obeundum ministerium instructi ab examinatore iudicati fuerint. Privilegia data olim fuere, ut Beneficiarii congruam compararent scientiam. Si ergo hac tempestate Clerici non admittuntur ad beneficia parochialia, nisi sufficienti scientia polleant, nulla causa datur cur abesse ab Ecclesiis possint, ut in litterarum studia incurram.

XXX. Quaest. XXIII. *Licentia quae ab Episcopo datur Praebendatis non Parochis, extenditur ne ultra quinque annos?* Resp. Leander cum aliis contendit hanc facultatem extendi posse usque ad septennium. Sed mihi probabilior est opinio Garciae restringentis hanc facultatem ad solum quinque annos. Allegat Garcias declarationes sacrae Congregationis Concilii. Hanc quoque opinionem defendit Barbosa III. *Part. de p. alleg. lvi. n. 3.* Hoc tempus limitatum studentibus, secus pro Magistris qui scientias docent. Consulenda tamen est consuetudo.

XXXI. Quaest. XXIV. *Si beneficium consistat ex solis distributionibus quotidianis, lucratur ne eas qui studii causa absunt?* Resp. Dicitur est Praebendatos causa studii ab Ecclesiis absentes fructus dumtaxat beneficii, non distributiones quotidianas acquirere. Difficultas autem insurgit, num, si beneficium solis distributionibus constat, has acquirant eiusmodi Praebendati? Negant Bonacina: quia privilegium fructus, non distributiones, concedit. Ergo, si praebenda nullos habet fructus, nulla erit concessio. At contraria opinio videtur probabilior: quia distributiones hoc in casu succedunt loco fructuum, induuntque istorum naturam: atque ita decla-

ratur a sacra Congregatione fuisse docet Garcias III. *Part. cap. 11. n. 113.* & est communis opinio.

XXXII. Quaest. XXV. *Canonici non curati qui tribus mensibus singulis annis absunt ab Ecclesiis, lucrantur ne fructus, & distributiones?* Resp. Tempus concessum Canonici non curatis exemptionis a choro est trium mensium. Hoc vero tempore fructus percipiunt, secus distributiones. Ut vero hoc privilegio frui possint, oportet ut toto anno resident, & frequentent chorum, ut observat Garcias III. *Part. de benef. cap. 11. n. 311.* Hinc Canonici qui in anni medio possessionem capit sui canonicatus, non potest tribus mensibus abesse, quia toto anno non residet. Quare medietate privilegii tantum frui potest. Qui maiore anni parte abesset a choro, adhuc eum frui posse hoc privilegio, contendunt Palaus, Pellizarius, Leander, & alii: quorum opinio mihi non arridet: quippe levamen illud datur, ut continuitas chori, humanae fragilitati permolesta, interrumpatur. Qui vero per totum annum, aut per maiorem anni partem non frequentat chorum, non modo dignus hoc privilegio non est, sed poenam potius meretur. Nec tamen necesse est ut ante hoc trimestre novem mensibus frequentent chorum, sed sive ante, sive post frequentiam uti possunt privilegio illi qui reapie frequentare chorum solent. Nec metaphysica subtilitate, sed prudenti iudicio, bonaque fide metienda haec sunt. Navarrus *c. v. n. 20. de orat.* sustinet, Canonicum qui inutiliter praefatos tres menses prodigit, teneri ad fructuum restitutionem; quod prius docuerat Paludanus *in IV. dist. xv. q. v.* Negant vero Sanchez, Leander, Pellizarius. Res dubia mihi est; atque adeo tutior pars amplectenda. Spectandae tamen circumstantiae sunt. Nam iuxta Navarrum ipsum, ut debitum sit restitutionis, oportet ut Canonici principaliter prodigant hos tres menses in vanos usus. Concedit & ipse, in foro exteriori praefatos Canonicos acquirere portiones. Quare, nisi abusus sit manifestus, non videntur cogendi ad restitutionem. Si vero una cum tempore prodigerent fructus ipsos, dubio procul restituere deberent totum id quod superflue expenderunt.

XXXIII. *Ut Canonici non curati per privilegium trium mensium non recipiant fructus, & distributiones, nec licentia Ordinarii est ne in intervallum concessum a Communi in praesentia le-vamine a chori frequentia. Quare quovis anni tempore hoc privilegium uti possunt, nisi in con-*


consuetudo contraria. Quid, si mensibus Octobris, Novembris, & Decembris anni præteriti Canonicus aliquis abfisset a choro, poterit ne mensibus Ianuarii, Februarii, & Martii anni currentis cont. suo abesse? Adfirmat Pellizarius, & Leander. Si res absolute spectetur, licitum est. Sed spectanda sunt circumstantiæ: si videlicet ex eius absentia diminuatur cultus divinus, si scandalum oriatur, & alia id genus. Menses isti confici ne debent ex horis quibus Canonici absunt a choro? Responsio est negativa declarata a sacra Congregatione his verbis: *Congregatio censuit non posse confici ex horis quibus Canonici residentes absunt a choro, dies; & ex diebus & horis sic collectis confici menses absentia de quibus in hoc Decreto. Neque ad colligendum servitium novem mensium colligend punctaturas, quasi ii qui novem præsentiarum, ex duodecim quæ ex præteritis anni constantur, deserviendo tunc servitium novem mensium satisfecerint. Servitium novem mensium, sive continuatum, sive interpolatum, numerandos esse, complementum dictorum novem mensium. Hanc declarationem refert Leander disp. vi. quæ. cxliv. ex Garcia, & Barbosa.*

XXXIV. Quæst. XXVI. *Canonicus qui habet duplex beneficium, ut canonicatum, & decanatum, acquirit ne duplices distributiones?* Resp. Adfirmat Leander, qui plures alios citat. Verum contraria opinio videtur probabilior: quia distributiones dantur propter assistentiam; & cum unica sit assistentia, unica quotidiana distributio ei respondere debet. Sed consulenda est cuiusq; Ecclesiæ consuetudo.

XXXV. Quæst. XXVII. *Quomodo interpretanda est dispensatio non interessendi choro?* Resp. Dictum iam supra est, posse summum Pontificem dispensare aliquem Præbendam a choro, qui simul percipiat tum grossam seu redditus præbendæ, tum distributionem. De Episcopo diximus, eum non posse in perpetuum quemquam Præbendorum dispensare. Porro privilegium pontificis

sentia a choro strictissime interpretandum esse fatentur communiter omnes, salva verborum proprietate, quod in divini cultus diminutionem cedat. Si privilegium concedit fructus, non est dilatandum ad distributiones; nisi in casu quo præbenda ex solis distributionibus constaret, ne privilegium evadat otiosum, & inane. Si autem ultimum quo conceditur privilegium, & distributiones non inchoantur, aliquam ex tribus rationibus extendi contendunt. Præterea, quæ vocantur *minutas*, non conceduntur; nisi Pontifex hoc esse declarat, quia voluntas testatur esse ut præsentibus tantum impertiantur. Quare distributiones illæ quæ ex manifestatorum voluntate destinatae sunt ad usus huic Missæ, vel huic officio, non dantur ab absentibus quocumque titulo: consuetudo introduci potest, vi cuius privilegium non datur; quia naturale nullum est, quod præsentibus tantum datur, quamvis non

consuetudinibus ecclesiarum consuetudinibus. Nam quælibet feruntur. Siquidem aliquarum ecclesiarum modo est ut Præbendati, quæ Longius spatium occupant vel ob aeris incertitudinis causas. In aliquibus consuetudinibus Præbendati tempore officiorum vacante celebrare, quin amittuntur, quod tempore vacationis non dantur distributiones, nedum si aliquis ecclesiarum consuetudo sola privilegium absentia his Præbendatis, quæ quadraginta annorum spatio a choro inferuntur, tamen si robusti sint. Verum, ut dicitur, quod longius remanent, anaqueque Ecclesia est. Cavendum solum ab usus, & corruptelæ in-



zariu, & non video quomodo possit. Ne

O I I S I

ix p

ritur nec speculatio: quia hoc privilegium est.

atu